




MONUMENTA

ORDINIS

FRATRUM PRAEDICATORUM

HISTORICA

TOMUS VIII.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM (VOL. III.)

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT


EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta «San Sebastiano», 10

STUTTGARDIAE-VINDOBONAE
APUD JOS. ROTH, BIBLIOPOLAM
33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1900



ACTA
CAPITULORUM GENERALIUM

ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. III.

AB ANNO 1380 USQUE AD ANNUM 1498

IUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS


FR. ANDREAE FRÜHWIRTH

MAGISTRI GENERALIS

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGARDIAE-VINDOBONAE
APUD JOS. ROTH. BIBLIOPOLAM
33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1900

LECTORI

Exhibentur hoc tomo acta capitulorum generalium, quae tempore schismatis et dehinc ad annum usque 1498 celebrata sunt.

Orto nimirum anno 1378 ecclesiae schismate, etiam ordo noster in duo veluti castra divisus est. Altera quidem pars sequebatur pontifices Avenionenses seu Clementistas, altera vero Urbano VI eiusque successoribus adherebat. Utrique autem suus erat magister generalis, qui cum fratribus suae obedientiae capitula quoque generalia celebrabat.

Hinc est, quod ab anno 1378 ad finem schismatis duplex series actorum capitulorum generalium est recensenda.

Quod dum aggredior, nullatenus inter partes diversas arbitri vices agere contendo, omni huiusmodi disputatione in prolegomenorum volumen reiecta; at unice capitulorum acta iuxta codicum fidem recensere cupio, incepturus quidem ab ea, quae Avenionensis dicitur obedientia.

Duplex autem occurrit methodus in actis capitulorum huius periodi edendis, quarum prima est, ut post edita acta primi capituli, puta a Clementistis celebrati, ponantur acta primi pariter capituli Urbanistarum, et sic deinceps; altera vero methodus in eo est, ut omnium capitulorum unius obedientiae acta

coniunctim exhibita excipiant deinde alterius obedientiae acta pariter coniuncta. Et hanc quidem alteram methodum praeferendam duxi, eo quod ex actis sic recensitis facilius patebit, quae in utraque obedientia leges et ordinationes, praecepta et admonitiones tunc temporis pro ordinis regimine disciplinaque regulari sint facta.

Celebrabantur vero tempore schismatis sequentia capitula:

I. *In obedientia Avenionensi.*	II. *In obedientia Romana.*
1380 Lausanae [1] (1).	1380 Bononiae [92*]
1381 Biterris [13]	1382 Budae [92*]
1383 Valleoleti [13*]	
1385 Divione [13*]	1385 Veronae [92*]
1386 Avenione [14]	
1388 Ruthenis [30]	1388 Viennae [92]
1391 Caesaraugustae [46]	1391 Ferrariae [92]
1394 Narbonae [56*]	1394 Venetiis [92]
1396 Claromontii [57]	1397 Francofurti [93]
1399 Lemovici [70*]	
1401 Montispessulani [70*]	1401 Utini [103]
1403 Palentiae [71]	1403 Erfordiae [110]
1405 Barchinonae [80]	1405 Nurembergae [112]
1407 Pictavis [81]	1407 Bononiae [133]
1409 Condomii [91*]	1410 Bononiae [133]
1411 Gerundae [91*]	
1413 Burgis [91*]	1413 Ianuae [148]
1415 Perpiniani [91*]	1414 Florentiae
	1417 Argentinae [148]

---

(1) Numerus uncinis [ ] inclusus indicat paginam, in qua de capitulo nominato agitur; numerus cum asterisco ad notam revocat lectorem.

At vero fateri non dubito, me capitulorum istorum acta, praesertim quod attinet Urbanistas haud integra invenisse. Plurima quidem, dum per spatium unius anni tabularia et bibliothecas Italiae septentrionalis, Dalmatiae, Helvetiae, Boemiae, Franciae et Hispaniae orientalis perlustrabam, feliciter inveni, quae ad capitulorum acta pertinent, at nullatenus omnia. Nec tamen plura inveniendi spem omnem amisi, ubi primum perquisitiones, quas interrumpere cogebar, resumere concessum mihi post breve fuerit. Non pauca enim, nec parvae notae tabularia et bibliothecae in Hispaniae praesertim et Galliae regionibus manent inspicienda.

Ad Germaniam vero quod attinet, ipsi tabulariorum et bibliothecarum praefecti, pro summa qua excellunt urbanitate, rogantem me certiorem reddiderunt, utrum necne acta quaedam vel fragmenta actorum capitularium apud se serventur; unde nonnisi ad pauca tabularia investiganda ipse accessi.

De codicibus manuscriptis a me pro hoc volumine conficiendo usurpatis pauca sunt dicenda; si excipis codicem bibliothecae Herbipolensis, qui continet acta capitulorum Francofurti 1397 et Utini 1401 celebratorum, tabularii Venetensis continentem fragmenta capitulorum 1456, 1459, Bononiensis universitatis n. 1535 cum actis capituli Senensis 1462, codicellum unitum codici III, 3 tabularii ordinis, quo inveniuntur acta capituli Perusii celebrati anno 1478, codicemque n. 768 bibliothecae universitatis Lipsiensis, quo nobis haud spernenda fragmenta plurium capitulorum generalium sunt tradita; omnes, inquam, codices sunt apographa

plus minusve recentiora. Sunt autem codices III 2, III 3, III 4 tabularii ordinis generalis saec. XVIII, et codex sign. n. 1529 Parisiensis archivii nationalis, in quo invenire poteris acta annorum 1459, 1462, 1465, 1468, 1470, 1478, 1481, 1494, 1498, exemplar usui nostri ECHARDI destinatum saec. XVII.

Quo cum codice, quanta diligentia fieri potuit, contuli codices III 3 et III 4; codicem vero III 2 nonnisi obiter consului, cum in omnibus eundem textum praebeat ac codex III 4; si lectiones variantes non apponantur, argumentum habes, me usum esse codice III 4.

Quid vero dicam de textu hoc codice nobis tradito, nisi me saepe saepiusque erubuisse, dum me coactum videbam ad publici iuris faciendum textum tot tantisque librarii ineptiis vitiatum deformatumque adeo, ut haud raro, quid sibi dicere velint acta, ne suspicari quidem liceat. Quot nomina oppidorum fratrumque propria, ab imperito librario quam pessime corrupta, ambigua relinquere debui, omni medio ad genuinam formam lectionemque restituendam plane deficiente. Sane a vero non aberrabit, qui textum actorum ipsius ordinis tunc temporis misere periclitantis imaginem praeferre dixerit.

Si tandem quaeras, cur actis capituli generalis anno 1498 Ferrariae celebrati hoc actorum volumen absolverim, ratio est, quia haec acta ultima sunt tum saeculi XV tum magistri generalis fr. Ioachimi Turriani, qui anno MD kal. augusti diem obiit supremum.

Bibliothecarum moderatoribus tabulariorumque praefectis, quin nomina eorum hic recenseam, soda-

libusque, qui me apud ipsos hospitantem tam officiose tractabant, omnibus sinceras maximasque gratias habeo.

Dabam Romae, die festo b. Iordanis de Saxonia, 1900.

Fr. Benedictus Maria Reichert
Ord. Praed.



TITULUS COMPLETUS

LIBRORUM PLURIES CITATORUM

Albanès, Le couvent royal de S. Maximin. Marseille 1880.

Bullarium Ord. FF. Praedicatorum opera Fr. Thomae Ripoll editum. III et IV. Romae 1731–1732.

Brunner Seb., Der Predigerorden in Wien und Oesterreich. Wien 1867.

Denifle-Chatelain, Chartularium Universitatis Parisiensis III et IV. Parisiis 1894–1897.

Eubel, Hierarchia Catholica Medii Aevi sive Summorum Pontificum, S. R. E. Cardinalium, Ecclesiarum Antistitum Series ab anno 1198 usque ad annum 1431 perducta. Monasterii, 1898.

Eubel, Die Avignonesische Obedienz der Mendikanten-Orden sowie der Mercedarier und Trinitarier zur Zeit des grossen Schismas beleuchtet durch die von Clemens VII und Benedikt XIII an dieselben gerichteten Schreiben. Paderborn MDCCCC.

Masetti, Monumenta et Antiquitates veteris disciplinae Ord. Praed. ab anno 1216 ad 1348 praesertim in Romana Provincia, Praefectorumque qui eandem rexerunt Biographica Chronotaxis. I. Romae 1864.

Scriptores Ordinis Fratrum Praedicatorum recensiti a PP. Iac. Quetif et Iac. Echard. I et II. Lutetiae Parisiorum, 1719–1721.

Wedel-Iarlsberg, Une page de l'histoire des Frères-Prêcheurs. La Province de Dacia (Danemark, Suède et Norwège). Rome-Tournai 1899.

Siglis usus sum his:

A = Codex III 3.
B = Codex III 4.
BO = Bullarium Ordinis Praedicatorum.
C = Codex Bononiensis.
MOPH = Monumenta Ord. FF. Praedicatorum Historica.
P = Codex Parisiensis.
SSOP = Scriptores Ord. Praedicatorum.
V = Codex Venetensis.
Vat. = Codex Vaticanus.
Uncinis ( ) inclusi, quae delenda, uncinis [ ], quae addenda esse puto.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. III.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM



I.

Acta capitulorum generalium obedientiae Avinionensis.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
APUD LAUSANNAM CELEBRATI
ANNO DOMINI ·M°· CCC°· LXXX°· IN FESTO PENTECOSTES.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Theutonie, provincie Provincie, Terre sancte, Aragonie et Lombardie superioris.

Facimus hos vicarios generales in provinciis: In provincia Lombardie superioris fr. Thomam de Cassasco (1); in provincia Aragonie fr. Martinum de Contuvyl, priorem conventus Cesarauguste; in provincia Provincie fr. Guillielmum de sancto Blasio, magistrum (2); in provincia Theutonie fr. Petrum de [conventu] Buscensi, lectorem Coloniensem.

Absolvimus hos priores conventuales Ambianensem, Anasticavensem (3), Constanciensem, Totosensem (4). Et volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales in hiis actis absoluti, et qui per litteras absolventur, isto anno in eisdem provinciis et conventibus ad eadem officia nullatenus valeant reassumi.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Inprimis multiplicacionem ordinacionum vitare volentes, et fratres omnes nostri ordinis ad principalem religionis observanciam reducere cu-

13) Cassasco] Oalasto AB. — 18) Totosensem] Tortosensem B.

(1) De fr. Thoma de Cassasco cf. MOPH. IV, 455, MOPH. VII, 56.
(2) De fr. Guilelmo de s. Blasio cf. MOPH. IV, 455, 456.
(3) Loco « Anasticavensem » legendum esse arbitror « Matisconensem ».
(4) Forte legendum est « Turonensem » vel « Tolonensem ».

pientes, omnes et singulos presidentes provinciarum et conventuum nostri ordinis monemus et exhortamur in domino, quatenus ad observancias ecclesie et constitucionum nostrarum ceterarumque ordinacionum per capitula generalia ordinis multipliciter factarum, et ab bonam educacionem puerorum vel aliorum iuvenum, nec non ad studium predicacionis et animarum salutem, ac divini cultus conservacionem dent, quantum potuerint, tam per se quam per alios operam efficacem. Quicumque autem fratres in hiis reperti fuerint delinquentes, statim per suos presidentes iuxta nostrarum constitucionum seriem puniantur. Presidentes vero, qui in premissis defecerint, in sequentibus capitulis provincialibus suarum provinciarum in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Serenitati ac securitati conscienciarum fratrum nostrorum providere de cetero cupientes, volumus et ordinamus, quod nullus presidens conventualis possit dare de cetero quodcumque preceptum nec quamcumque excommunicacionis senteneiam, nisi de assensu maioris partis fratrum discretorum a consiliis illius conventus, ubi preceptum vel senteneiam huiusmodi habebunt fulminare; et si oppositum fuerit per quemcumque factum, totum sit irritum et inane; declarantes, quod illi fratres dumtaxat sunt ad consilia convocandi, qui sunt vel fuerunt priores aut lectores principales, vel magistri vicarii, aut in studio generali sentencias perlegerunt, seu qui actualiter sunt subpriores, vel iam annum quadragesimum in ordine attigerunt, nisi fuerint apostate vel sentencialiter carcerati vel privati graciis ordinis, quos ad consilia huiusmodi admitti nolumus quovis modo.

Omnes et singulas excommunicacionis sentencias latas, omniaque et singula precepta data a quibuscumque actis capitulorum generalium vel provincialium vel quibuscumque conventibus per presidentes eorundem usque in presens revocamus simpliciter tenore presencium pariter et annullamus, illis dumtaxat exceptis, de quibus in actis presentis generalis capituli habetur mencio specialis.

Item. Districte iniungimus prioribus provincialibus ac vicariis generalibus et diffinitoribus capitulorum provincialium universis, quatenus de cetero absque magnis causis et necessariis precepta vel excommunicacionis senteneiam non fulminent, sed quoscumque per conventus aut fratres fide dignos reperient deliquisse, tales iuxta nostrarum constitucionum seriem puniant indilate.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod priores provinciales vel vicarii generales provinciarum nostri ordinis non possunt absolvere quoscumque priores conventuales nec predicatores generales, nec privare quoscumque fratres voce, nec capitula provincialia de loco ad locum nec quoad tempus mutare a

tempore, quo diffinitores provinciarum accipiunt viam ad capitulum generale, nec ex tunc quousque audiverint noticias certas de ipso generali capitulo per relacionem ipsorum diffinitorum vel sociorum ordinariorum eorundem. Quod si oppositum anno presenti vel alias in futurum fuerit per aliquem quomodolibet attentatum, illud tenore presencium cassamus, revocamus et annullamus ac ad statum pristinum reducimus per presentes.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fr. Arnulfum Lasteria (1), cui substituimus fr. Bernardum de Boscarello de provincia Tholosana (2), quem eciam quantum nostra interest, pro primo anno extraneis debito iuxta determinacionem domini Caroli, quam inquirant universi, ad legendum sentencias ibidem assignamus. Pro primo anno intraneis debito iuxta determinacionem domini memorati assignamus ad legendum sentencias ibidem fr. Guillielmum de Rosseriis (3) de provincia Francie. Volumus autem et ordinamus, quod quicumque frater, qui legat sentencias Parisius vel Tholose per graciam, solvat pro anno quolibet conventui, ubi legit, sub precepto sancte obediencie quadraginta francos, quos presidens eiusdem conventus sub precepto eodem exigat realiter ab eodem, alias dictam summam per suum provincialem de proprio solvere compellatur. Ad legendum bibliam ibidem immediate post illum, qui nunc legit actu, fr. Iohannem Ade (4), cui substituimus, quantum nostra interest, fr. Iohannem Alberti de Toredo de Lotaringia.

Studiorum ordinaciones autem Oxonie, Cantabrigie quoad extraneos committimus reverendo patri magistro ordinis, quoad intraneos vero fr. Iohanni Periis, vicario generali in provincia Anglie et magistro in theologia.

In conventu Tholosano assignamus ad legendum sentencias pro anno presenti fr. H. de Cohimbano (5) de provincia Tholosana. Pro primo vero anno extraneis debito fr. Petrum de Valle Auri de provincia Hispanie. Pro magistro studencium assignamus ibidem pro anno presenti fr. Iohannem Lombardi (6) de provincia Provincie, et pro anno immediate sequenti fr. Vitalem de Aurisa de provincia Tholosana. Ad legendum bibliam ibi-

9) Lasteria] Lateyra A; Lasterjvia B.

(1) De fr. Arnulfo Lasteria cf. MOPH. IV, 447.

(2) De fr. Bernardo de Boscarello cf. DENIFLE *Chartularium* etc. III, 291; EUBEL *Avign. Obedienz der Mendicantenorden* n. 952.

(3) De fr. Guilelmo de Roseriis cf. MOPH. IV, 433; EUBEL l. c. 259, 320, 372.

(4) De fr. Ioanne Ade cf. MOPH. IV, 458; EUBEL l. c. 118, 393.

(5) Estne idem ac fr. Hugo de Columbario de quo MOPH. IV, 448.?

(6) De fr. Ioanne Lombardi cf. ibid. 448; EUBEL l. c. 885, 1024, 1199.

dem pro anno presenti fr. Vitalem prenominatum; pro anno immediate sequenti fr. Heliam de Gardia de eadem provincia; quem eciam pro anno presenti pro studente honoris ibidem assignamus. Precipimus autem in virtute sancte obediencie priori ac magistris regentibus theologie, qui sunt vel erunt pro tempore, quatenus de cetero nullum fratrem presentent vel admittant ad lectionem sentenciarum ordinariam in dicto conventu, nisi prius iuraverit ad sancta dei evangelia, servare statuta ibidem facta per reverendum patrem magistrum ordinis, cum omnibus et singulis declaracionibus et interpretacionibus factis super eisdem per prefatum reverendum magistrum ordinis, vel alterum vice sua, et quod nunquam licenciam aut gradum magistralem recipiat, nisi per annum integrum ibidem fuerit magister studencium, et nisi ante lectionem sentenciarum unum annum integrum ibidem compleverit in officio memorato; quod iuramentum volumus fieri publice in testimoniorum presencia et in libro magistri studencium annotari.

In conventu Coloniensi assignamus pro lectore principali fr. Petrum de Lonfrenensi (1) [conv.] de provincia Theutonie, et in casu, quo ipsum impediri contigerit, fr. Petrus, de quo supra, de lectore valeat providere. Pro sublectore assignamus fr. Petrum Engerlin (2); de magistro studencium provideat fr. Petrus vicarius memoratus.

Item. In conventu Montispessulani assignamus pro lectore fr. Petrum Bintonis magistrum.

Item. Ad legendum sentencias ibidem fr. Arnaldum Cabossa, cui substituimus fr. Gerardum de Rege. Pro magistro studencium fr. Iohannem Alberti (3); pro biblia fr. Petrum Fornerii.

Item. In conventu Barchinonensi de provincia Aragonie facimus lectorem principalem fr. Raymundum de Olivariis (4). Ad legendum sentencias ibidem fr. Antonium Genebreda (5), cui substituimus fr. Gerardum de Aragona. Pro magistro studencium fr. Michaelem de Podio (6), cui substituimus fr. Gerardum Zavila. Ad legendum bibliam ibidem fr. Petrum de Arenys (7), cui substituimus eciam pro anno immediate sequenti fr. Petrum Molinerii Tarraconensem.

---

19) Engerlin] Engerill AB.

---

(1) « Lonfrenensi » forte corruptum ex « Lovaniensi ».

(2) Fr. Petrus Engerlin de Augusta, mag. s. theol., anno 1384 eligitur provincialis Teutoniae. Cf. MOPH. VII, indicem.

(3) De fr. Ioanne Alberti cf. MOPH. IV, 448.

(4) De fr. Raymundo de Olivariis cf. ibid. 435.

(5) De fr. Antonio Genebreda cf. MOPH. VII, 57.

(6) De fr. Michaele de Podio cf. ibid. 74.

(7) De fr. Petro de Arenys cf. ibid. 51 sqq.

Item. Ordinaciones ceterorum studiorum generalium committimus provincialibus vel vicariis generalibus.

In conventu Avenionensi pro lectore principali assignamus fr. Petrum de Duroforti (1); pro secundo lectore fr. Petrum Bigueti; pro magistro studencium fr. Bernardum de Galiacho (2).

Item. Ordinacionem studii Parisiensis et omnium aliorum studiorum generalium committimus reverendo patri magistro ordinis, ut ipse de lectoribus, baccalaureis, biblicis ac magistris studencium provideat, prout honestati et honori nostri ordinis visum fuerit expedire.

Committimus insuper eidem magistro ordinis reverendo, quatenus provinciis Grecie et Terre sancte, quocienscumque et in quocumque casu ipsas aut earum aliquam contingeret priore provinciali carere, usque ad immediate sequens capitulum eisdem provinciis aut illarum cuilibet de priore provinciali providere valeat, quousque sibi videbitur expedire.

Item. Ne casu aliquo iusticiam ordinis contingat impediri, aut quomodolibet contingat retardari, ad maiorem expressionem et roboris firmitatem concedimus et committimus eidem magistro ordinis reverendo auctoritatem nostram plenariam in omnibus et per omnia, quantum possumus et quantum nostra interest, tam circa assignaciones quam circa disposiciones et dispensaciones ac priorum provincialium per se vel per alium seu alios absoluciones et ordinaciones quascumque, nec non circa alia, que paci, iusticie, honestati, tranquillitati et conservacioni ordinis et conventuum quorumcumque iudicaverit expedire, et que per nos ipsos facere possemus; mandantes eidem magistro, quatenus quocienscumque habuerit querelas de aliquo provinciali vel de alio quocumque fratre simplici vel de ipso presidente, quamcicius poterit commode, per se vel per alium seu alios studeat iusticiam, correctionem et reformacionem tam auctoritate sua quam nostra in capitibus et in membris per omnia ministrare.

Declaraciones factas in provincia Lombardie superioris in capitulo Ianue ultimo celebrato sub magistro Leonardo (3), tunc provinciali eiusdem provincie super hiis, que fecerat fr. Antonius Albeganni, tunc prior Ianuensis contra fr. Laurencium Nargonium approbamus, confirmamus et ratificamus.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, aut obedienciam sibi vel alteri iniunctam per quamcumque personam extra nostri ordinis

(1) De fr. Petro de Duroforti cf. MOPH. IV, 448, 453; Eubel l. c. 494

(2) De fr. Petro de Galiacho *seu* Galhaco cf. ibid. l. c. 707.

(3) De fr. Leonardo cf. ibid. 456.

obedienciam constitutam quomodocumque revocari vel in aliqua provincia aut conventu seu officio eciam, aut studio generali aut speciali [vel] universitate ad legendum sentencias vel bibliam poni vel inde amoveri procuraverit, seu ibidem pro forma docere presumpserit, nisi per magistrum ordinis vel per generale capitulum ad aliquod premissorum fuerit deputatus, et tunc nisi in loco per aliquem predictorum sibi taxato; seu qui in opere alchymie scienter et de proposito operatus fuerit, aut alium vel alios fecerit operari; vel qui fratrem aliquem scienter et ex proposito apud personam aliquam extra nostri ordinis obedienciam constitutam infamaverit, vel facta fratrum aut secreta ordinis, ex quibus ordo noster vel frater aliquis turbari possit racionabiliter seu eciam infamari, quibuscumque personis extra obedienciam ordinis dixerit vel revelaverit; aut qui ad Romanam curiam sine licencia magistri ordinis vel procuratoris accesserit vel in ea absque socio fratre ordinis discurrerit seu ibidem sine sciencia et beneplacito procuratoris ordinis negocium quodcumque alicuius ponderis perpetraverit; vel qui ad dictam curiam noviter veniens se eidem procuratori infra diem naturalem non presentaverit, aut ibidem remanserit ultra terminum, per prefatos magistrum aut procuratorem ordinis assignatum; vel qui eciam prelato vel cuicumque alteri de eodem publice dicere presumpserit, quod non sit prelatus suus, sicque propter hoc a sua obediencia se subtrahat quovis modo: quilibet in aliquo premissorum deficiens excommunicacionis sentenciam incurrat ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit in diffinitorio iuridice, nobis presentibus, de omnium nostrum consilio pariter et assensu; cuius absolucionem sibi soli quoad omnia puncta, et procuratori ordinis quoad puncta illa dumtaxat, que tangunt Romanam curiam, retinuit ac eciam reservavit. Cui procuratori per presentes committimus et mandamus, quatenus fratres omnes, quos in aliquo de premissis punctibus tangentibus Romanam curiam repererit deliquisse, quamcicius poterit, suis provincialibus denunciet excommunicatos, ac in penas transgressoribus sentenciam excommunicacionis iuxta seriem nostrarum constitucionum debitas incidisse; et si ibidem pro studentibus fuerint vel alias sint assignati per aliquem, ipsos ac eorum quemlibet ad provincias et conventus proprios in penam remittat indilate. Committimus autem singulis provincialibus et vicariis generalibus provinciarum, quatenus non obstante predicta excommunicacionis sentencia possint ad Romanam curiam pro negociis suarum provinciarum aut conventuum earundem mittere duos fratres; provincialis vero illius provincie, ubi Romana curia residebit, possit illuc mittere fratres sue provincie, prout sue discrecioni visum fuerit expedire; qui tamen ad Romanam curiam tangencia obligantur sub penis supradictis.

Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis prioribus provincialibus ac vicariis generalibus provinciarum, quatenus quilibet eorum mittat ad Romanam curiam in Avenione procuratori ordinis pro expensis suis sex florenos de Florencia infra festum nativitatis domini proxime venturum; illis vero, qui debuerant eidem procuratori mittere totidem florenos in qualibet duarum festivitatum nativitatis domini proxime preteritarum et non miserunt, mandamus sub eodem precepto, quatenus quidquid debent de dictis duobus terminis et de toto tempore preterito mittant infra festum beati Michaelis proxime venturum magistro ordinis reverendo, distribuendum per ipsum iuxta ipsius et nostram ordinacionem in procuratorem ordinis, qui nunc est, et illos, qui fuerunt vel erunt, secundum quotas eis debitas pro tempore, quo fuerunt in officio memorato.

Item. Nos fr. Helias, magister ordinis predicatorum, et diffinitores presentis generalis capituli Lausanne celebrati, in isto capitulo personaliter presentes priores provinciales, magistri in theologia, baccalaurei, priores, lectores, inquisitores heretice pravitatis, visitatores, predicatores generales ceterique fratres numero circiter ducenti octoginta denunciamus fratribus universis, ut non circumveniantur, non moveantur, non seducantur per quemcumque, quod nos habita deliberacione diligenti cum multis in sacra theologia magistris, intendentes et attendentes, ac in facto supponentes tamquam veram, seriosam et deliberatam assercionem seu electionem, liberam, gratuitam et spontaneam, collegialem, simultaneam et unanimem, publicam, positivam et solemnem, diuturnam, perdurabilem, et iam in annos perseverantem non solum duarum parcium, sed fere omnium antiquiorum et indubitatorum cardinalium, qui post obitum sancte memorie domini Gregorii indubitati pape XI. novissime in urbe defuncti, in partibus Italie remanserunt, hic dei gracia existentes et habitantes, ad quos noscitur de iure domini pape electio pertinere, asserencium, referencium et dicencium, ut providerent periculo animarum suarum, prout relatum extitit medio iuramento per multos nostri ordinis fratres in sacra theologia magistros, se post mortem predicti Gregorii reverendissimum in Christo patrem et dominum Robertum, sancte Romane ecclesie cardinalem, tunc vocatum Gebennensem in Hispania (!), verum [papam] seu Romanum summum pontificem, nunc dictum Clementem VII., et non aliquem alium rite et canonice elegisse et recepisse, et se ex tunc in hoc perseverasse usque ad presens: et cum qui sic electus est et receptus secundum sanctiones et canones debeat absque hesitacione pro vero papa seu summo Romano pontifice haberi ab ecclesia sancta dei, prefate relacioni et assercioni reverendissimorum dominorum cardinalium predictorum innitentes, easdem reipsa et de facto et in seipsis veras ac veris-

simas humiliter supponentes, prefatum dominum Clementem pro vero et legitimo papa seu summo pontifice habuimus legitime et habemus, concorditer recepimus et recipimus, sicut debemus. Ut vero membra capiti conveniant et oves sectentur pastorem suum, (et) non audientes vocem alieni semper sit unum ovile, sicut est in terris unus, solus, verus Christi vicarius atque pastor, ea propter nos prefati magister ordinis ac diffinitores omnibus et singulis universis fratribus nostri ordinis antedicti in virtute sancte obediencie precipimus et mandamus, ut una nobiscum eundem dominum nostrum Clementem, ut verum papam et summum ac Romanum pontificem, et non alium, ipso presidente, recipiant et universaliter habeant, cum id omnes dicti domini cardinales modo prefato asserant, quorum assercioni et testimonio innitimur in premissis, sicut et eorundem dominorum testimonio et assercioni innixa est universalis ecclesia iam usque in presens multis temporibus ab antiquo in recepcione summorum pontificum, per dominos cardinales sui temporis electorum, et non aliter; et nostro iudicio dato eciam, quod absit, quod aliter rei veritas se haberet, nullum immineat periculum in hoc casu, sicut modo simili in adoracione corporis Christi in altari et recepcione sacramentorum ecclesie non accidit periculum adorantibus idem corpus Christi, et vera se credentibus recepisse sacramenta ad solum testimonium et assercionem ecclesie ministrorum. Iniungimus autem et mandamus vobis in remissionem peccatorum, ut ad premissa credenda et tenenda populos iuxta graciam a domino vobis datam exhortemini diligenter (1).

Adiicientes insuper eidem denunciacioni nos prefati diffinitores et eisdem fratribus iniungentes, quatenus reverendum patrem fr. Heliam magistrum ordinis nostri indubitatum atque certum, iam per annos circiter undecim ante exortam controversiam et dubitacionem seu dubium de summo pontificatu, cum idem fr. Helias certitudinaliter et absque contradictione alicuius magister nostri ordinis fuerit et extiterit, et certitudo huiusmodi dictum dubium de summo pontificatu precesserit, et certa non debeant pro dubiis derelinqui, habeant, sicut et nos habemus, pro vero magistro ordinis nostri, et ei, prout tenentur, pareant humiliter cum effectu.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod mens et firma voluntas prefati domini nostri Clementis et similiter vera intencio est firmiter atque fuit, quoscumque fratres ordinis nostri, qui sui miserti redierint ad eiusdem domini nostri Clementis et nostri ordinis obedienciam humilem, debitam pariter et devotam, benigne suscipere et pertractare, personas fovere filialiter, amicabiliter et clementer; quia, sicut sumus de hoc ple-

(1) Qua de re cf. Denifle l. c. pag. 291 nota; de initio schismatis cf. inter alios auctores Valois *La France et le grand schisme d'Occident*. Paris, 1896, I, II.

narie informati, non vult idem dominus noster totus in se clemens, quod fratres nostri ordinis, quos precipue ipse sincerissime diligit et dilexit toto tempore vite sue, rigorose aut penis confusibilibus reducantur, cum ex ignorancia, proveniente ex defectu, quod non sunt informati de veritate facti et iuris sue canonice electionis, credat ipse dominus fratres nostri ordinis errare in facto et non ex proposito, intencione, malicia vel conceptu: et nos eidem benignitati, et clemencie tantum attendentes et respicientes, volumus et iam deliberavimus ac firmavimus ei cunctis vocibus favorabiliter conformari; quinimmo pocius cupimus totis viribus et optamus assidue, in dulcissimis visceribus caritatis in amplexus, et oscula illorum nostrorum fratrum et alumnorum redeuncium et (in) carorum filiorum nostrorum, quos iam flevimus longius absentes, occurrere propius, et propicius applaudentes, ac stolis primis et honoribus iuxta sancti evangelii piissimam nostri salvatoris parabolam ipsos cum spirituali ac temporali gaudio, consolacione et edulio reverencius ac devocius multipliciter adornantes, perpendentes in hoc ipsos nostros filios, qui perierant, salvos et vivos recipere ac eosdem ad presens sui dominium et debitam obedienciam ac mansionem propriam non tam humili, quam provido exemplo illius filii prodigi providencius remeare. Obstinati autem, si qui fuerint, quod absit, et ex malicia obtrectantes ac perseverantes in errore, si redire tardaverint, se iuste noverint debere pro merito pertractari, quibus tamen numquam fuit vel erit, dante domino, nunquam a nobis, nunquam ab ecclesia sancta petita veraciter venia deneganda. Iubemus autem districtissime et mandamus, instantissime observari ab universis fratribus et sororibus nostri ordinis, cuiuscumque gradus, status aut condicionis existant, sub pena excommunicacionis et sub aliis penis debitis schismaticis et rebellibus ecclesie sancte dei, ut nullus eorum contra prefatum sanctissimum dominum nostrum papam Clementem VII. seu ipsius papalem et summam potestatem et summam auctoritatem et iurisdictionem publice vel occulte, per se vel per alium, verbo vel scripto predicent, dogmatizent aut aliquam personam inducant ad aliquod premissorum quocumque ingenio sive modo. Quicumque vero oppositum attentare presumpserit alicuius premissorum, talis excommunicacionis sentenciam incurrat eo facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit iuridice de omnium nostrum consilio pariter et assensu; cuius absolucionem sibi soli retinuit pariter ac reservavit. Quicumque insuper frater nostri ordinis, qui aliquod officium cuiuscumque iurisdictionis seu promocionis aut privilegium aliquod intra nostrum ordinem receperit ab aliquo, se pro summo pontifice gerente contra predictum dominum nostrum Clementem prefatum papam septimum, quam cicius poterit a noticia presencium, ad tardius infra mensem, dicta officia, pro-

mociones aut privilegia huiusmodi dimittat et eisdem renunciet publice, realiter et de facto; alias dictis penis se noverit absque mora mancipandus, et aliis eciam communibus nostri ordinis multipliciter aggravandus; nec aliquis frater nostri ordinis presumat talibus in aliquo obedire aut consilium prebere quomodolibet vel favorem, si velit predictas penas et alias aggravaciones multiplices nostri ordinis providenciûs evitare. Si vero aliquis frater quicumque in premissis defecerit in futurum, penas predictas eo facto se noverit incurrisse.

Item. Ordinamus firmissime et mandamus per presidentes singulos nostri ordinis, prout eorum tangit quemlibet, diligentissime exequendum, ut ubicumque fratres nostri ordinis, postquam legitime eis de premissis constiterit in ipsorum aliquo excessisse, capiantur et arrestentur ac diligenter custodiantur, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis.

Omnes autem et singulos priores provinciales, qui certificati per litteras reverendi patris magistri ordinis aut procuratoris eiusdem ordinis vel alias legitime edocti, quod nostrum generale capitulum debebat hoc anno in Lausanna celebrari, nichilominus ad anticapitulum generale, quod dicitur in Bononia presumptuose de facto celebrari, accesserunt, contemptis litteris predictis, vel aliis in magnum nostri ordinis contemptum pariter et iacturam, a suorum prioratuum provincialium officiis in penam absolvimus per presentes et eosdem inhabilitamus ad quodcumque officium et honorem; et similiter illos priores provinciales et conventuales, qui predictas litteras ex eorum parte noluerunt aut interceperunt vel alias occultaverunt aut quomodolibet impedierunt, ex quo numquam ad illos, quibus dirigebantur, portarentur, absolvimus a suorum prioratuum officiis per presentes, aliis penis suo tempore indilate puniendi; et idem dicimus de illis fratribus, qui in dicto anticapitulo generali hoc anno, ut dicitur in Bononia presumpto, aliquod officium sive diffinicionis sive electionis aut aliud qualecumque contra reverendum patrem magistrum ordinis, et ipsum nostrum ordinem exequi temerarie presumpserunt, quod videlicet sunt penis alias expressis superius contra premissos contemptores acriter puniendi.

Item. Significamus fratribus universis, quod sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus papa Clemens VII. ad supplicacionem reverendi patris magistri ordinis omnibus et singulis fratribus, qui interfuerunt presenti generali capitulo, concessit indulgenciam plenariam in mortis articulo in forma per ecclesiam in talibus consueta.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino nostro papa Clemente quilibet sacerdos quatuor missas. Et volumus et ordinamus,

quod in quolibet conventu nostri ordinis notetur singulis septimanis unus hebdomadarius, qui omni die celebret pro bono statu prefati domini nostri et tocius ecclesie sancte dei; et quod in singulis missis conventualibus, exceptis dumtaxat festis duplicibus aut missis defunctorum, terminato pater noster, dicatur pro eisdem psalmus: « letatus sum » cum Kyrie eleison et pater [noster]; deinde subiungatur: « et ne nos » cum versiculis « post partum », « oremus pro domino papa », « salvum fac populum tuum », « fiat pax in virtute tua », cum oracionibus: « protege domine », « deus omnium », « ecclesie tue », « deus, a quo sancta », et per Christum dominum nostrum finiantur; et quod quilibet frater sacerdos celebrans missam privatam, dicat in eadem oraciones « Deus omnium » et « ecclesie tue », nisi fuerit missa pro defunctis.

Item. Pro bono statu prefati domini et ecclesie sancte dei, et pro reverendissimo in Christo patre et domino domino cardinali Nicholao [s.] Saturnini (1), et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus cardinalibus de Agrifolio (2), de Luna (3), et Pictavensi (4), legatis apostolice dignitatis, et pro bono statu eorum in negociis ecclesie, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis cardinalibus Mimatensi (5), Pampilonensi (6), Cusentino (7), et pro collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino episcopo Lausanne quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendo in Christo patre et domino domino Sedunensi, domino officiali suo, domino cantori et ceteris dominis canonicis ecclesie Sedunensis, et dominis canonicis ecclesie Gebennensis quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino rege Francorum et domina consorte sua quilibet sacerdos unam missam.

---

14) Nicholao] Simone AB. — 20) Cusentino] Costerano] AB. — 25) cantori] Cantorensi AB.

---

(1) De fr. Nicolao de s. Saturnino O. Praed. card. tit. s. Martini cf. MOPH. IV, pag. 438; Eubel *Hierarchia* p. 26, n. 5.

(2) Guil. de Agrifolio, tit. s. Stefani in Coelio monte, † Avinione 13 Ian. 1401 Eubel l. c. p. 20, n. 4.

(3) Petr. de Luna, diac. s. Mariae in Cosmedin; postea Bened. papa XIII; l. c. p. 21, n. 21.

(4) Guidone de Malosicco, tit. s. Crucis in Hier. l. c. p. 21, n. 17.

(5) Guil. de Chanaco, tit. s. Vitalis; l. c. p. 21, n. 6.

(6) Petro de Monteruco, tit. s. Anastasiae; l. c. p. 19, n. 4.

(7) Nic. de Brancatiis, tit. s. Mariae tr. Tiberim; l. c. p. 26, n. 2.

Item. Pro serenissima regina Blanca, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo comite Sabaudie et domina consorte sua et nobili prole sua, et pro domino comite de Vallimonte et domina Catharina eius consorte et liberis eorundem quilibet sacerdos unam missam.

Pro magnifica et potenti domina domina comitissa Gebennensi, domino comite filio suo, et domina eius consorte, et domina filia sua quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissima domina comitissa Novi castri quilibet sacerdos duas missas, unam de beata virgine, aliam defunctorum.

Pro spectabilibus dominabus domina de Gernia et domina Orba quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili viro domino Antonio de Cerio et domina Iohanna eius consorte, et aliis qui benefecerunt capitulo, et pro anima fratris de Adventua quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobilibus dominabus Margarita de Belay, pro domina Maria de Salatres, et Laurencia de Saciles quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobilibus viris domino Ludovico de Connosenay, domino Hymone de Calerio, qui benefecerunt capitulo, et pro anima fr. Iohannis Iordanis de Cobianis quilibet sacerdos unam missam.

Pro comitatu (!) Friburgensi (?), et pro diversis aliis, qui benefecerunt capitulo, et pro iis, qui bene receperunt fratres venientes et redeuntes, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendo patre magistro ordinis et diffinitoribus capituli generalis quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia mortuorum.

Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino cardinali de Aquaquisi (!) quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino quondam Hostiensi (1) quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimis in Christo patribus domino fr. Guillielmo Petri, quondam cardinali Sabinensi (2), et domino Arnaldo Fredeti (3), quondam episcopo Conseranensi, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissima domina comitissa de Lecanio quilibet sacerdos duas missas.

---

21) comitatu] *forte* communitate. — Friburgensi] Furlugensi AB. — 32) Fredeti] Francisci AB.

---

(1) Videtur esse Guilelmus Sudre, de quo MOPH. IV, 459.

(2) De fr. Guilelmo Petri Godin cf. l. c.

(3) De fr. Arnaldo Fredeti cf. SSOP. I, 565; Eubel l. c. p. 211.

Pro qualibet missa superius nominata quilibet fr. clericus non sacerdos septem psalmos, quilibet vero conversus centum pater noster et totidem ave Maria dicere teneantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Litanie et salve regina more solito dicantur.

Sequens generale capitulum assignamus pro anno immediate sequenti in conventu Biterrensi de provincia Provincie in festo pentecostes celebrandum; et volumus et ordinamus, quod nullus frater ad ipsum veniat, nisi de licencia magistri ordinis speciali; diffinitores autem intrabunt locum capituli dominica infra octavas ascensionis domini. Nullus autem alius frater locum intret eiusdem capituli ante sextam feriam festum pentecostes immediate precedentem.

Expliciunt acta capituli generalis apud Lausannam celebrati.

Locus ✠ sigilli.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS BITERRIS CELEBRATI ANNO DOMINI M°· CCC°· LXXXI°· (1).

Denunciamus fratribus universis, quod reverendus magister ordinis speciali commissione domini nostri pape Clementis septimi sibi facta de nostrorum consilio et assensu aliqua dubia circa rubricas divini officii declaravit et defectus supplevit alios in eisdem, isto modo ut videlicet, quando agitur de beata virgine in sabbato vel in tercia feria de beato Dominico, « Te deum laudamus » in matutinis et « gloria in excelsis deo » in missa per totum ordinem sunt dicenda.

Item. Quocienscumque responsoria alicuius istorie non possunt complete cantari extra terciam feriam vel sabbatum, tunc non est de beato Dominico in tercia feria nec de beata virgine in sabbato ecclesiasticum officium peragendum; adiicientes, quod tempore pascali, quando agitur de beata virgine, psalmi primi nocturni sunt dicendi, et quod in fine invitatorii, antiphonarum, responsoriorum alleluia sunt dicenda.

In capitulo generali Biterris celebrato sub magistro Helya anno domini ·m°· ccc°· lxxxi°·

---

7) Biterrensi] Vitriensi AB. — 30) Biterris] Veneciis *cod. ms. Gratianopolitanus.*

---

(1) Quae sequuntur de cap. gen. Biterris celebrato desumpta sunt e cod. ms. 587 (antea 639) bibliothecae publicae Gratianopolitanae. — Anno 1383 celebratum est cap. gen. Valleoleti, anno 1385 Divione; cf. SSOP. I, p. XVIII; quorum capitulorum acta hucusque desunt.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD AVENIONEM ANNO DOMINI ·M°·CCC°·LXXXVI°· IN FESTO PENTECOSTES CELEBRATI SUB REVERENDO PATRE FR. HELIA MAGISTRO ORDINIS FRATRUM PREDICATORUM.

Iste sunt absoluciones conventuales.

Absolvimus hos priores conventus Buxi, Valencie, Podii; et volumus et ordinamus, quod priores in hiis actis absoluti, vel qui per litteras absolventur, hoc anno ad eadem officia non valeant in eisdem resumi conventibus.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod in sabbatis, in quibus agitur de beata virgine, antequam in fine hymnorum dicatur versus « gloria tibi domine », premittatur versus « Maria mater etc. », et postea subiungatur « gloria tibi, domine ».

Item. Quod festivitates trium lectionum, que impedientur feria tercia vel sabbato propter officium beati Dominici aut beate virginis, in primas ferias eiusdem septimane vacantes vel immediate sequentes, si in prima septimana plures ferie vacantes non fuerint, transferantur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

In primis volumus et ordinamus, quod de cetero nullus frater nostri ordinis ad recipiendum aliquem maiorum ordinum licencietur per quemcumque nisi in litteris et in etate a iure determinatis sufficiens extiterit. Quicumque quorumcumque conventuum presidentes oppositum huius ordinacionis facientes per priores provinciales vel eorum vicarios generales in penam a suis presidenciis quamcicius absolvantur; fratresque alii, de quorum consilio tales licenciati fuerint, penis gravioribus indefensabiliter (!) puniantur.

Item. Ne bona communia dissipentur, sed melius solito conserventur, volumus et ordinamus, quod anniversaria et libri sumptuosi seu quecumque eleemosyne alie perpetue, sive quevis alia bona conventuum immobilia, vel pecunia pro elemosynis perpetuis deputata minime vendantur seu quovis modo alienentur per quemcumque aut permutentur seu eciam transferantur, nisi de licencia speciali reverendi patris magistri ordinis aut priorum provincialium seu vicariorum generalium ipsorum; que non concedatur nisi ex causa racionabili et urgenti, interveniente nichilominus ad hoc expresso consensu tocius conventus vel maioris partis ipsius, sine dolo et fraude capitulariter congregati. Quod si oppo-

situm factum fuerit, totum per presentes determinamus fore irritum et inane. Et nichilominus volumus, quod alienatores ipso facto voce, honore et graciis ordinis sint privati; adiicientes, quod calices, ornamenta ecclesiarum et indumenta sacra aut quecumque alia ad sacristiam pertinencia nullatenus distrahantur seu alienentur sine licencia alterius predictorum. Oppositum vero facientes ipso facto voce sint privati, et nichilominus ad restituendum predicta conventui compellantur.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis prioribus conventualibus ac loca tenentibus eorundem, quatenus omnem fratrem solitarium seu sine socio fratre nostri ordinis incedentem, nisi manifestam super huiusmodi incessu solitario habeat excusacionem, quamcicius commode fieri potest, arrestent et includant ac penis debitis macerent, donec de discretorum consilio ab arresto huiusmodi mereatur liberari. Quodsi in hoc reperti fuerint negligentes, in penam a suis officiis absolvantur. Fratres autem omnes et singulos sic solos contra tenorem istius ordinacionis incedentes, voce ac predicacione generali, si predicatores generales fuerint, nec non omnibus bonis sibi appropriatis iudicamus ipso facto fore privatos presentis per tenorem, quorum bonorum unam partem prioribus provincialibus et aliam conventibus, ad quos tales fratres pertinent, simpliciter applicamus. Eximimus autem ab ordinacione ista fratres illos, qui in sororum nostrarum monasteriis commorantur.

Item. Imponimus districtius omnibus et singulis presidentibus conventualibus nostri ordinis, quatenus quartam partem omnium bonorum et obvencionum pecunialium suorum conventuum tradi faciant realiter et de facto per receptorem communem conventus alicui alteri fratri ad hoc idoneo et fideli pro provisione fratrum infirmorum, qui eandem quartam partem diligenter custodiat et fideliter dispenset in eorum infirmorum servicio secundum necessitatem et indigenciam eorundem. Presidentes autem et huiusmodi receptores istam ordinacionem efficaciter non adimplentes, et fratres ad recipiendum dictam quartam partem deputatos, qui a dictis priore et receptore cum effectu eandem quartam partem non receperint, quemlibet, inquam, ipsorum medietate bonorum eis appropriatorum, sive sint libri sive quecumque alia bona, eciamsi specialiter essent ipsis ad usum concessa, privamus similiter per presentes: quorum medietatem bonorum conventibus, ad quos pertinebit pro tunc, applicamus et volumus pertinere. Per hoc tamen non intelligimus, quod dicta quarta pars sub custodia talis fratris semper remaneat pro servicio infirmorum; volumus tamen, quod certam dicte quarte partis recognicionem semper recipiat de sua, quam tradet conventui, pretaxata, ut sic ius infirmorum valeat repeti, cum necessitas pro infirmis fuerit, casu aliquo contingente.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis baccalaureis quomodolibet Parisius assignatis, et eciam in posterum assignandis, quatenus quilibet eorum solvat annis singulis conventui Parisiensi pro contribucione quinquaginta florenos auri, nec non et quibuscumque fratribus, qui legent in Tholosa extra conventum sentencias in futuro, et eciam illis, qui legent extraordinarie in conventu eodem Tholosano, quod quilibet eorum annis singulis solvat similiter eidem conventui Tholosano quinquaginta florenos auri; alias mandamus sub eodem precepto presidentibus conventuum Parisiensis et Tholosani predictorum, ne huiusmodi baccalaureis et fratribus dent panem et vinum et pictanciam aut quecumque alia necessaria quovis modo; quoscumque vero presidentes conventuum predictorum oppositum facientes ad solvendum de bonis sibi appropriatis dictos quinquaginta florenos cuilibet dictorum conventuum tenore presencium condempnamus.

Item. Volumus et mandamus et ordinamus, quod nullus frater, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, famulum ad expensas conventus teneat, nisi sit vel fuerit provincialis, aut sit actu regens in studio generali, seu inquisitor sive ordinis procurator generalis; quod si per quemcumque fuerit oppositum attentatum, ipsum voce privamus, nec volumus, quod aliquis magistro ordinis inferior in hac ordinacione aut pena contenta in ea valeat dispensare; rogantes ipsum magistrum ordinis reverendum, quod in hoc sine causa maxima non dispenset. Omnem autem graciam in oppositum factam similiter revocamus. Inhibentes sub eadem pena, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis existat, intra aliquem conventum equos seu mulos ad equitandum tenere presumat ullo modo. Prohibentes omnibus et singulis fratribus, ne aliquis eorum de . . . . subire presumat in procuratorem quovis modo sine magistri ordinis reverendi aut sui vicarii generalis licencia speciali. Omnem autem fratrem oppositum facientem voce privamus et privatum decernimus per presentes, necnon . . . . suo nativo conventui simpliciter applicamus.

Item. Prohibemus districtissime omnibus et singulis nostri ordinis fratribus, cuiuscumque gradus, status seu condicionis existant, ut nullus eorum, nisi actu decumbens aut graviter infirmus iudicio sui presidentis fuerit, prandeat seu cenet ordinarie nisi in aliquo quatuor locorum regulariter in conventibus hactenus consuetorum. Omnem vero fratrem oppositum facientem, nisi de licencia sui prioris provincialis, quam tantum in casibus, in quibus dicto provinciali videbitur faciendum, volumus posse

---

27) *Post* de *cod.* A *sic corrupte pergit:* suis pulsibus seu cernivis; *cod.* B *spatium.* — 30) *post* necnon *cod.* A *pergit:* iure quiqui licenciatus fuerit; *cod.* B *spatium.*

dari, voce privamus ac privatum decernimus per presentes. Per hanc autem prohibicionem non intendimus, quin fratres extra predicta quatuor loca fructus aut species seu panem loco specierum comedere valeant, cum eis placebit.

Item. Districtissime prohibemus omnibus et singulis fratribus nostri ordinis, quatinus nullus eorum procuret sibi vel recipiat quascumque ambaxiatas sine reverendi patris magistri ordinis aut eius vicarii generalis licencia petita pariter et obtenta. Omnem autem fratrem ambaxiatas de graciis seu graciarum negociis explicite vel implicite facientem carceri simpliciter condemnamus presencium per tenorem.

Item. Privilegia, que fr. Iohannes Merxi (1), magister in sacra pagina, et Laurencius de Borgognis (2) baccalaureus Parisiensis anno immediate preterito auctoritate reverendi patris magistri ordinis studentibus Parisiensibus extraneis tam presentibus quam futuris concesserunt, quam concessionem ad tempus dictus magister ordinis reverendus eciam per suas litteras confirmavit, approbamus, ratificamus et confirmamus pro perpetuis temporibus presencium per tenorem; imponentes districte presidentibus conventus Parisiensis, qui pro tempore fuerint, ut predicta privilegia, quoad omnia et singula puncta sua in litteris prefati reverendi magistri ordinis contenta, huiusmodi studentibus servent, teneant atque concedant simpliciter illibata eodem tenore, nichilominus declarantes, quod celle in studio Parisiensi et in aliis studiis generalibus studentibus provinciarum, qui hactenus sunt deputati, concesse seu assignate non debent occupari per studentes, qui ibidem per graciam quomodolibet assignantur, nisi prius illis, qui per provinciam assignantur, provisum fuerit de cellis melioribus ibidem.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fr. Adam Petit de provincia Francie, cui substituimus fr. Iohannem Nicolai, quem pro primo anno intraneis debito ad legendum ibidem sentencias assignamus; cui substituimus fr. Albertum Roberti (3), sine tamen preiudicio alterius nacionis. Pro primo tamen anno extraneis debito assignamus ad legendum sentencias ibidem fr. Iohannem Alberti (4) de provincia Provincie, cui substituimus fr. Iohannem Romey de provincia Aragonie. Ad legendum bibliam ibidem pro anno presenti fr. Albertum Roberti

35] Roberti] Robli AB.

(1) De fr. Ioanne Merxi al. Merici cf. DENIFLE l. c. indicem EUBEL *Avign. Obedienz* etc. 119, 299.

(2) De Laurentio de Borgognis al. Borgogninis cf. EUBEL l. c. 850.

(3) Sic corrigit DENIFLE « Nobleti » quod legitur in codd.

(4) De Johanne Alberti cf. supra p. 3 l. 22.

de conventu Rupellensi; pro duobus vero annis immediate sequentibus fr. Iohannem Stephani de conventu Guingapensi. Pro primo vero anno debito nacioni Burgundie, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum bibliam fr. Iohannem de Pellior conventus Gebennensis.

In conventu Tholosano assignamus ad legendum sentencias pro anno presenti fr. Iacobum Guilaberti eiusdem provincie, cui substituimus fr. Iohannem Arnaldi de eadem provincia. Pro anno immediate sequenti extraneis debito fr. Arnaldum Reparati (1) de provincia Provincie, cui substituimus fr. Evenum de Boneto (2) de provincia Provincie, in casu, quo eundem fr. Arnaldum contigerit impediri, et simul eundem fr. Evenum pro secundo anno extraneis debito ad legendum ibidem sentencias, quantum nostra interest, assignamus. Pro tercio vero anno extraneis debito, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias ibidem fr. Alfonsum de Lania Vallisoletanum, cui substituimus fr. Arnaldum de Podio (3) provincie Aragonie. Pro magistro studencium ibidem assignamus pro anno presenti fr. Petrum Begueti de provincia Provincie, pro anno immediate sequenti fr. Iohannem Ardi de provincia Tholosana. Ad legendum bibliam ibidem pro anno presenti fr. Iohannem Ardi, pro duobus annis immediate sequentibus fr. Raymundum de Gergereto provincie Tholosane.

Precipimus autem in virtute sancte obediencie priori ac magistris regentibus in Tholosa presentibus pariter et futuris, quatenus de cetero nullum fratrem presentent vel admittant ad lecturam sentenciarum ordinariam in dicto conventu, nisi prius talis frater iuraverit in sancta dei evangelia servare statuta ibidem facta per reverendum magistrum ordinis cum omnibus et singulis declaracionibus et interpretacionibus factis de eisdem per prefatum magistrum ordinis reverendum, vel per alios vice sua; quodque licenciam numquam aut gradum recipiat magistralem, quousque per unum annum ibi fuerit magister studencium, et nisi ante licenciam huiusmodi [annum integrum] compleverit ibidem in officio memorato; quod quidem iuramentum volumus fieri publice et in presencia testium, et in libro magistri studencium annotari.

Item. Conventui Bononiensi damus in regentem [pro] anno presenti et sequenti magistrum Guidonem de Gueciis (4); ad legendum sentencias ibidem fr. Dominicum de Veneciis provincie Lombardie inferioris; ad legendum bibliam ibidem fr. Angelum de Favencia. Pro magistro stu-

(1) De fr. Arnaldo Reparati cf. MOPH. IV, 435.
(2) De fr. Eveno de Boneto (Eubel Boreto) cf. Eubel l. c. 597.
(3) De fr. Arnaldo de Podio cf. l. c. 409.
(4) De fr. Guidone de Gueciis cf. SSOP. I, 687.

dencium assignamus ibidem fr. Antonium de sancto Paulo de Veneciis. Committimus autem priori provinciali provincie Lombardie inferioris, ut aliis studiis eiusdem provincie providere habeat, secundum quod sibi videbitur expedire.

Committimus disposicionem studii generalis conventus Coloniensis provincie Theutonie fr. Petro de Lovanio (1), provinciali eiusdem provincie et magistro in sacra pagina.

In conventu autem Friburgi facimus lectorem principalem fr. Henricum de Vultre; magistrum autem studencium fr. Petrum Giller, et mittimus ad conventum eundem pro suis conventibus fratres expulsos de conventu Basiliensi scilicet fr. Petrum de Serlust, Valurtum Viterperg, Georgium Hertebes, Iohannem Abtiger et Petrum Buch, rogantes ac in domino fratres de eodem conventu exhortantes, ut sint eis compassivi, favorabiles et benevoli, ipsorum condolentes expulsioni. Volumus insuper et imponimus fratribus dicti conventus Friburgensis ac in domino exhortamur eosdem, ut, cum sint vero pontifici Clementi iuramento adstricti, dicto suo provinciali scilicet fr. Petro de Lovanio (1) in omnibus obediant, sibique in hiis, que ad provincialem spectant, sicut in contribucione solita dari ac visitacionibus non deficiant, sed integraliter solvant. Concedimus insuper eidem provinciali, ut ipse vice ac auctoritate magistri ordinis reverendi ac capituli generalis recipere valeat, quantum est ex parte ordinis, fratres et sorores redire volentes ad gremium et unitatem ecclesie atque ordinis nostri.

Item. Revocat magister ordinis reverendus de diffinitorum consilio et assensu in dicta provincia omnes vicarios particulares monasteriorum nostri ordinis; et volumus, quod nullus frater, cuiuscumque status existat, sibi assumat quemcumque vicariatum sororum absque licencia magistri ordinis reverendi aut provincialis predicti litteratorie obtenta.

In conventu Montispessulani assignamus pro lectore principali pro anno immediate sequenti fr. Petrum Mir, magistrum, cui substituimus fr. Iohannem Barbini (2), magistrum. Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fr. Petrum Sorbera. Pro anno immediate sequenti fr. Iohannem Monerii. Pro magistro studencium pro anno presenti fr. Iohannem Steli (3), cui substituimus fr. Petrum Muntaha. Ad legendum bibliam ibidem pro anno presenti fr. Petrum Muntaha eiusdem conventus. Pro anno sequenti fr. Iohannem de Lacu.

---

6) Lovanio] Longuer AB. — 17) Lovanio] Loufin AB.

(1) De quo supra pag. 4 l. 16.
(2) De fr. Ioanne Balbini seu Barbini cf. MOPH. IV, 417.
(3) De fr. Ioanne Steli (Stephani) cf. supra p. 18 l. 2.

In conventu Avinionensi facimus lectorem principalem pro anno presenti et immediate sequenti fr. Petrum de Duroforti, magistrum (1), cui substituimus fr. Gerardum de Regibus (2), magistrum.

Item. In conventu Cesaraugustano ponimus pro lectore fr. Raymundum de Olivariis (3).

Committimus magistro Nicolao Eymerici (4), quod ipse provideat de lectore principali in conventu Barchinonensi pro anno presenti, secundum quod sibi videbitur expedire. Pro sublectore ponimus ibidem pro anno presenti fr. Iohannem Serra; pro magistro studencium pro anno presenti fr. Petrum de Fonte Luporum (5); pro biblia fr. Raymundum Burgesii.

In conventu Mediolanensi assignamus pro lectore principali pro anno presenti et sequenti fr. Augustinum de Parnesio, magistrum; ad legendum sentencias ibidem pro presenti anno fr. Edovetum de Lausio; pro magistro studencium fr. Humbertum de Gebaldis de Cherio.

In conventu Salmantino assignamus pro lectore principali pro anno presenti fr. Martinum Burgensem; ad legendum sentencias ibidem pro presenti anno fr. Gassalbum de Hassia; pro magistro studencium fr. Alfonsum de Corione; ad legendum bibliam fr. Consalvum de sancto Christophoro.

Committimus autem priori provinciali Hispanie, quod ipse de lectoribus in dicto studio pro anno sequenti valeat providere.

Ordinacionem autem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium committimus magistro ordinis reverendo, ut ipse de lectoribus, baccalaureis, biblicis et magistris studencium provideat in eisdem, prout honestati ordinis eidem visum fuerit expedire.

Committimus insuper magistro ordinis reverendo, quatenus provincie Grecie et Terre sancte, quocienscumque et quocumque casu ipsas aut earum aliquam contingeret priore provinciali carere, usque ad immediate sequens capitulum generale eisdem provinciis et earum cuique de prioribus provincialibus providere valeat, prout sibi videbitur expedire.

Item. Ne casu aliquo contingat ordinis iusticiam impediri vel quomodolibet retardari, ad maiorem expressionem et roboris firmitatem concedimus et committimus magistro ordinis reverendo auctoritatem nostram plenissimam in omnibus et per omnia, quantum possumus et nostra interest, tam circa assignaciones quam circa disposiciones et dispensaciones fratrum ac priorum provincialium, per se vel per alium, seu alias ab-

---

(1) De fr. Petro de Duroforti cf. supra pag. 5 l. 4.

(2) De fr. Gerardo cf. supra pag. 4 l. 24.

(3) De fr. Raymundo de Olivariis cf. ibid. l. 27.

(4) De fr. Nicolao Eymerici cf. MOPH. IV, 401.

(5) De fr. Petro de Fonteluporum cf. MOPH. VII, 64.

soluciones et ordinaciones quascumque, nec non circa alia et singula, que paci, honestati, iusticie et tranquillitati ac conservacioni ordinis ac conventuum fratrumque singulorum quomodocumque iudicaverit expedire, et que possemus facere per nos ipsos; mandantes eidem magistro reverendo, quatenus quocienscumque querelas habuerit de aliquo priore provinciali seu quovis alio fratre nostri ordinis, quamcicius commode poterit, per se vel per alium vel per alios studeat iusticiam, correctionem et reformacionem auctoritate tam propria quam nostra in capitibus et in membris per omnia ministrare.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus fratribus ordinis universis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel alio fratre factam seu obedienciam sibi vel fratri alteri iniunctam per quamcumque personam extra nostri ordinis obedienciam constitutam quomodocumque revocari, vel in aliqua provincia aut conventu vel officio seu studio generali seu particulari aut in aliqua universitate ad legendas sentencias aut bibliam, seu eciam ad regendum ibidem vel remanere vel restitui procuraverit, seu aliquo predictorum per ordinem cuicumque fratri ad preces vel instanciam seu procuracionem huiusmodi personarum extra nostri ordinis obedienciam constitutarum concesso usus qualitercumque in toto vel in parte fuerit, seu qui in opere alchymie operatus fuerit, aut alium seu alios operari fecerit vel ordinaverit, aut qui fratrem nostri ordinis scienter et ex proposito apud personam aliquam seu personas extra nostri ordinis obedienciam constitutam vel constitutas quomodolibet infamaverit seu infamari procuraverit, seu secreta, ex quibus ordo noster vel frater aliquis accusari posset racionabiliter vel eciam infamari, quibuscumque personis extra nostri ordinis obedienciam dixerit vel revelaverit, aut per aliquem dici vel revelari fecerit aut quovis modo procuraverit; et frater, qui ad Romanam curiam accesserit absque licencia magistri vel procuratoris ordinis, aut se dicto procuratori vel eius locum tenenti infra unum diem naturalem non presentaverit, vel qui solus sine socio nostri ordinis ad ipsam curiam accesserit, seu eciam taliter discurrerit per eandem vel ibidem remanserit ultra terminum per aliquem predictorum sibi assignatum; vel qui prelato suo aut presidenti aut alteri cuicumque persone publice dicere presumpserit de aliquo eorundem, quod non suus prelatus seu presidens suus sit, atque propter hoc ab eius obediencia se subtrahat quovis modo: quilibet in aliquo premissorum ex certa sciencia et ex proposito deficiens trangressionem precepti et excommunicacionis sentenciam incurrit ipso facto; quam reverendus pater magister ordinis tulit in diffinitorio omnibus presentibus de omnium nostrorum consilio pariter et assensu; cuius absolucionem sibi quoad omnia et eciam procuratori

ordinis, quoad puncta dumtaxat, que Romanam curiam respiciunt, retinuit ac eciam reservavit. Cui procuratori per presentes committimus et mandamus, quatenus omnes fratres et singulos, quos in aliquo de premissis presertim Romanam curiam tangentibus repererit deliquisse, quamcicius poterit, denunciet provincialibus excommunicatos, ac in penam transgressoribus excommunicacionis iuxta nostrarum seriem constitucionum debitam incidisse. Et volumus, si ibidem pro studentibus assignati fuerint per quemcumque, quod ad suos conventus et provincias remittantur, ad quas revocamus indilate. Concedimus autem singulis prioribus provincialibus nostri ordinis ac vicariis generalibus provinciarum, quatenus, premissa excommunicacionis sentencia non obstante, ad Romanam curiam pro negociis suarum provinciarum aut conventuum seu monasteriorum eorundem possint mittere duos fratres, prout ipsis videbitur expedire. Provincialis vero illius provincie, ubi Romana curia residebit, possit illuc mittere fratres illius provincie, prout honestati ordinis et eorundem videbitur expedire; qui postquam ad Romanam curiam pervenerint, procuratori ordinis seu eius vicario se presentent infra terminum superius assignatum et ad omnia alia superius contenta sint similiter obligati, aliisque penis subiiciantur superius expressis, si in aliquo defecerint predictorum.

Item. Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod sanctissimus in Christo pater et dominus dominus Clemens, divina providencia papa VII., de sua clementissima pietate dedit indulgenciam plenariam semel in morte omnibus fratribus, qui interfuerunt presenti capitulo, nec non illis, qui ire ad dictum capitulum volentes ad ipsum viam arripuerunt, sed impediti minime venire potuerunt.

Item. Significamus fratribus et sororibus nostri ordinis universis, quod magister ordinis reverendus de nostro consilio et assensu, tam auctoritate apostolica sibi in hac parte commissa quam sua ordinaria fecit generalem suum vicarium in tota provincia Aragonie fr. Martinum Gruyoll nacionis Aragonie (1), et omnem alium vicarium hactenus factum in dicta provincia per se vel quemcumque alium amovit atque deposuit, eciam de nostro consilio et assensu.

Item. Significamus fratribus et sororibus nostri ordinis universis, quod nos recensito et diligenter inspecto processu determinacionis capituli generalis diffinitorum Lausannensis ultimo celebrati super factum ecclesie, quo sanctissimus in Christo pater et dominus dominus Clemens, divina providencia papa VII., pro summo et vero pontifice acceptatur, eundem processum et eandem determinacionem, qui processus incipit:

(1) De fr. Martino Gruyoll cf. MOPH. VII, 59, 64.

« Nos fr. Helias, magister ordinis fratrum predicatorum » (1) cum omnibus et singulis presentibus penis et clausulis tam contra rebelles eidem sanctissimo domino domino Clementi, indubitanter pape VII., quam contra inobedientes reverendo in Christo patri fr. Helie, tocius ordinis nostri magistro verissimo, atque posita [in] capitulis generalibus Lausannensi, Biterrensi, Vallisoletano et Divionensi ultimo celebrato (2), approbamus, ratificamus et stricta revocacione opposita specialiter irritamus; prohibentes districtissime universis et singulis fratribus et sororibus nostri ordinis, cuiuscumque gradus, status seu condicionis existant, sub pena excommunicacionis et carceris et sub aliis penis debitis schismaticis et rebellibus ecclesie sancte dei, quatenus nullus eorum contra prefatum sanctissimum dominum nostrum papam Clementem VII. seu ipsius papalem et summam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem per se vel per alium publice vel occulte, verbo vel scripto, aliquid proferre audeat, aut aliquam personam inducat ad aliquod premissorum quocumque ingenio sive modo. Quicumque vero oppositum attentare presumpserit, talis sentenciam excommunicacionis incurrit eo facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit in diffinitorio iuridice coram nobis de omnium nostrorum consilio pariter et assensu; cuius absolucionem sibi soli retinuit ac eciam reservavit; mandantes presidentibus ordinis universis in virtute sancte obediencie, quatenus omnem fratrem, qui irreverenter et irracionabiliter contra auctoritatem, potestatem et honorem prefati domini nostri Clementis se gesserit, taliter corrigant et emendent, ut sit ceteris in exemplum pariter et terrorem.

Quicumque insuper frater nostri ordinis, qui aliquod officium cuiuscumque dignitatis, iurisdictionis aut promocionis, seu quodcumque privilegium intra vel extra nostrum ordinem recepit hactenus a Bartholomeo antipapa (3), aut a fr. Raymundo de Capua (4) antimagistro ordinis nostri, seu ab aliquo alio dependencium ab aliquo predictorum, quamcicius poterit a noticia presencium, ad tardius infra mensem, dicta officia, promociones seu dignitates aut privilegia huiusmodi dimittat, et eisdem renunciet publice, realiter et de facto; nec alius frater nostri

6) Biterrensi] Victoriensi AB. — Divionensi] Avinionensi AB.

(1) Cf. supra pag. 7 l. 14 sqq.

(2) Cf. supra pag. 13 nota 1.

(3) Bartholomaeus Pignanus, aep. Baren., Romae electus 1378, in sua obedientia Urbanus VI.

(4) De fr. Raymundo de Capua cf. SSOP. I, 679 sqq.; Cormier *B. Raymundi Capuani Opuscula et Litterae* Romae 1899; Cormier *Le bienheureux Raymond de Capoue* Rome 1899.

ordinis presumat talibus in aliquo obedire aut consilium seu auxilium prebere quomodolibet aut favorem, aut aliquid recipere in futurum, alias sentenciam excommunicacionis incurrit ipso facto; quam reverendus pater magister ordinis contra eosdem tulit in diffinitorio iuridice coram nobis, de omnium nostrum consilio et assensu; cuius absolucionem sibi soli retinuit ac pariter reservavit.

Et quia scelerati ac reprobi fratres Raymundus de Capua, Simon Bardelli (1), Vulvitus Hentoner, Evus de sancto Georgio, Iohannes de Petra Sicca, Helias Garunti, ac fratres alii quicumque nostri ordinis, qui aliquod officium, iurisdictionem aut promocionem aliquam intra ordinem nostrum a prefato reprobo fr. Raymundo de Capua vel ab aliquo vice sua aut a Bartholomeo antipapa ante capitulum generale Biterris ultimo celebratum receperunt nec indilate dimiserunt, excommunicacionis sentenciam, quam magister ordinis tulit in dicto capitulo generali contra fratres omnes et singulos ante dictos, sustinuerunt proh dolor! per multos annos animo indurato, omnes et singulos antedictos iudicamus secundum constituciones nostras penam carceris incurrisse, quare ipsos omnes et eorum quemlibet denunciamus carceri condemnatos.

Fratres autem tamquam publicos schismaticos scilicet Petrum Engerlin, antiprovincialem Theutonie (2), Theobaldum de Alelat (?), Iohannem Arnuldi, Volvitum Loquerlin, Henricum de Zabernia, Nicholaum Borlibet, Nicholaum de Luterbac, qui non solum Bartholomeo viro scandalosissimo adheserunt et adherent, verum eciam suis versuciis et maliciis expelli procuraverunt fratres Basilienses et Gebvillenses de suis conventibus, et fratri Petro de Lovanio (3) provinciali dicte provincie Theutonie ac magistro in sacra pagina in suo conventu nativo cameram seu domunculam per reverendum patrem magistrum ordinis ac per fratres dicti conventus capitulariter congregatos sibi assignatam vi aperuerunt ac in parte distraxerunt, asportantes aliqua bona, que ipsius provincialis erant; fratresque Thomam de Firmo (4), antiprovincialem Lombardie inferioris, Iohannem de Sublianis, Nicholaum de Marmato, Petrum Dempell, Fredericum de Veneciis, Iacobum de sancto Iohanne de Paduazan, Franciscum de Tervisio provincie Lombardie inferioris, ac Iacobum de Altoviti (5), antiprovincialem provincie Romane et fr. Iohannem de Lovardo,

12) Biterris] Victorie AB. — 25) Lovanio] Lenforn AB. — 30) Firmo] Finio AB. — 33 Tervisio] Ternivio AB. — Iacobum] Petrum AB. — 34) Altoviti] Altorrite AB.

(1) De fr. Simone Bardelli cf. MOPH. IV, 426.
(2) De fr. Petro Engerlin cf. supra p. 4 l. 19.
(3) De fr. Petro de Lovanio cf. supra p. 19 l. 6.
(4) De fr. Thoma de Firmo cf. SSOP. I, 747.
(5) De fr. Iacobo Altoviti cf. Masetti *Monumenta* etc. I, 344 sqq.

antiprovincialem Tholosanum, Vitalem de Aurissa, Petrum de Casalibus, Sancium de Lauro, Laurencium de Omanto, atque fratres Iacobum Nebellem, Petrum Banis, Iohannem Ricardi, Iacobum Beroraulli provincie Provincie citamus rigorose presencium per tenorem et precise loco omnium monicionum; precipientes eisdem et eorum cuilibet in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis, quam in quemlibet ipsorum, trina et canonica monicione premissa, reverendus magister ordinis tulit in diffinitorio iuridice coram nobis, de omnium nostrum consilio et assensu; cuius absolucionem sibi soli retinuit ac eciam reservavit, nisi mandatis nostris in hac parte paruerint cum effectu, quatenus eorum quilibet personaliter compareat peremptorie, ut prefertur, in Romana curia vel apud civitatem, ubi tunc Romana curia residebit, hinc ad festum omnium sanctorum proxime futurum coram reverendo patre magistro ordinis vel procuratore eiusdem in absencia dicti magistri, super predictis et aliis intentatis contra eos de instancia debite revisuris et alias facturis et audituris super his, quod fuerit racionis.

Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus prioribus provincialibus ac vicariis generalibus eorundem, quatenus infra instans festum nativitatis domini mittat quilibet eorum procuratori ordinis in Romana curia sex florenos de Florencia vel valorem pro expensis ibidem factis et fiendis per eundem; sub eodem precepto eisdem iniungentes, quatenus quidquid debent dicto procuratori ordinis de resto quinque annorum immediate preteritorum infra idem festum mittant integraliter cum effectu.

Item. Omnes gracias exemptorias et de successione bonorum et de habendis et tenendis, nisi quoad cameras pro magistris et baccalaureis et hiis, qui fuerunt priores provinciales aut procuratores aut sunt inquisitores, seu quidquid ordinatum est pro decumbentibus et infirmis, qui commode non possunt in dormitorio iacere tenore presencium revocamus. Committimus autem prioribus provincialibus, ut, premissa revocacione non obstante, fratribus suarum provinciarum providere valeant de cameris seu locis competentibus secundum exigenciam ac merita eorundem.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo ac beatissimo in Christo patre ac domino domino Clemente, divina providencia papa VII., quilibet sacerdos quatuordecim missas, tres de trinitate, tres de spiritu sancto, tres de beata virgine, tres de communi, unam de corpore Christi, unam de angelis; et volumus, quod dicantur infra tres menses a noticia presencium ad tardius per eosdem.

Item. Volumus, quod pro bono statu eiusdem sanctissimi domini nostri pape et pro sedacione schismatis in qualibet missa conventuali, nisi sit pro defunctis vel festum duplex aut maius, dicatur psalmus

« Deus in adiutorium meum intende » cum versibus et oracionibus ordinarie consuetis.

Item. Quod in quolibet die dominico et in quolibet festo duplici et supra fiat processio per claustrum intra conventus nostri ordinis et dicantur litanie seu alie oraciones devote.

Item. Quod in quolibet conventu ordinis singulis septimanis unus hebdomadarius annotetur, qui assidue habeat pro bono statu domini nostri pape devocius celebrare.

Item. Quod fratres ordinis in omnibus sermonibus suis inducant populum ad orandum seduliter pro sedacione dicti schismatis et pro domino nostro papa ac reductione ecclesie sancte dei ad veram et perfectam unionem.

Item. Quod omnes personas, quarum confessiones audiant, inducant ad orandum simili modo, et hoc eisdem iniungatur pro penitencia salutari, et precipue principes, magistratus ac duces atque consiliarios eorundem moveant et inducant tam in confessione quam extra confessionem ad faciendum, quidquid boni potuerint in predicto facto schismatis ad honorem et obedienciam domini nostri pape.

Item. In quolibet conventu sororum in qualibet missa conventuali, nisi fuerit defunctorum vel festum duplex aut supra, dicatur psalmus predictus superius scilicet « Deus in adiutorium » cum versibus et oracionibus consuetis dici in conventibus fratrum post Pater noster.

Item. Quod quelibet soror ordinis dicat quatuordecim vicibus septem psalmos cum litaniis et oracionibus consuetis post matutinas in ferialibus diebus.

Item. Quod omnes et singuli fratres et sorores in quibuscumque oracionibus suis orent specialiter deum pro sedacione schismatis et bono statu predicti domini nostri pape.

Pro domino cardinali de Agrifolio (1), protectore ordinis nostri, quilibet sacerdos duas missas.

Pro domino cardinali Ambianensi (2) quilibet sacerdos septem missas, unam de spiritu sancto, unam de beata virgine, unam de b. Iacobo, unam de requiem, unam de angelis, unam de beato Benedicto, unam de beatissimo Dominico patre nostro.

Pro domino cardinali Albanensi (3) quilibet sacerdos unam missam.

31) Ambianensi] Anbravensi AB.

(1) De quo supra pag. 11 not. 2.

(2) Ioannes de Grangia, ep. Ambianen.; cf. Eubel *Hierarchia* XXVI, 18.

(3) Anglicus Grimoaldi ep. Albanen., ibid. XXV, 1.

Pro domino cardinali Pedemontano (1) quilibet sacerd. unam missam.

Pro domino cardinali Arelatensi (2) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino cardinali Sabinensi (3) et pro domino cardinali sancti Marcialis (4), et pro domino cardinali de Luna (5), et pro domino cardinali Hispanie (6) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino cardinali Avenionensi (7), et pro domino cardinali Parisiensi (8), et pro domino cardinali Florentino (9) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino cardinali Cosentino (10), et pro domino cardinali Neapolitano (11), et pro domino cardinali de Murolio (12), et pro domino cardinali Vivariensi (13) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro rege Francie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino rege Ierusalem et Sicilie, et pro domina regina matre sua quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina sorore Maria de Borbonio, priorissa monasterii de Piciato, et illustrissimo domino duce Borbonie, eius fratre, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino duce Antici (!) et consorte ipsius, ac generosa prole ipsius quilibet sacerdos unam missam.

·Item. Pro domino Hugone Severino, comite Pomecie(?), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis episcopis Pampilonensi, Castrensi, Vasionensi (14) quilibet sacerdos unam missam.

---

1) Pedemontano] Pendevinatano AB. — 2) Arelatensi] Aurelianensi AB.

---

(1) Thomas de Cassasco O. P. de quo supra pag. 1 et Eubel l. c. XXX, 8.
(2) Petrus de Croso; ibid. XXX, 9.
(3) Petrus de Sorlenaco; ibid. XXVI, 19.
(4) Hugo de s. Martiali; ibid. XXIV, 15.
(5) De quo supra pag. 11 not. 3.
(6) Videtur esse Guterius Gometii; ibid. XXX, 7.
(7) Fayditus de Agrifolio; ibid. XXX, 10.
(8) Aimericus de Manhaco; ibid. XXX, 11.
(9) Petrus Corsinus; ibid. XXV, 14.
(10) Nicolaus de Brancatiis; ibid. XXX, 2.
(11) Thomas de Amanatis; ibid. XXX, 20.
(12) Ioannes de Murolio; ibid. XXX, 23.
(13) Ioannes de Bronhiaco; ibid. XXX, 24.
(14) Radulfus de Bonavilla O. Praed.; ibid. p. 547 et Eubel *Avign. Obedienz* etc. 121, 467.

Item. Pro domino comite Valentino, et domina comitissa eius consorte, et domina Guioata, matre dicti domini comitis, et pro domina de Planis, socia domine regine Blanche, et pro domino Cussiaco quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino comite Empuriarum et domina consorte sua et nobili prole sua quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis episcopis Magalone, et auditore camere quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro Philippo de Campania quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis episcopis Thoviniarensi (1), Gebennensi, et Sotensi (2) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis episcopis Matisconensi, Eduensi, et pro domino Iohanne de Bar, subdiacono domini nostri pape, ac domino Poncio Bundi atque domino auditore domini [card.] sancti Marcialis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino magistro Hospitii et pro domina uxore ducis Briusavitonensis (?!) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Crescencio, et domino Bartholomeo de Cassa, et pro conservatoribus domini nostri pape quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro magistris Hornon (!), Guillelmo (3), Dominico, Gerardo, Luxacha (!), Mauricio, Petro de Orengia, penitenciariis de ordine nostro, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu civitatis Avenionensis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro macellariis eiusdem civitatis et pro domino Iacobo de Solers, et pro hiis, qui benefecerunt capitulo et qui habent litteras de beneficiis ordinis seu ad ea sunt recepti, et pro hiis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum amore dei et recipient redeuntes, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domino cardinali quondam Hostiensi (4) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino cardinali Aquensi, et Raymundo Zeavii nepote suo, ac domino cardinali Papiensi quilibet sacerdos unam missam.

---

12) Matisconensi] Matechavensi AB.

---

(1) Forte « Tornacensi ».

(2) Forte « Sedunensi » = Sitten.

(3) Forsitan idem, de quo Eubel *Avign. Obed.* 596.

(4) Videtur esse fr. Guilelmus Sudre, de quo supra pag. 12 l. 30.

Pro domino Aloisio quondam rege Francie ultimo defuncto quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino episcopo Vasionensi, et domina Iohanna de Britannia, et domina de Balescho, quilibet sacerdos unam missam.

Item pro magistro Theobaldo de Burdone, et hiis, pro quibus intendit domina (domina) comitissa Bruvi, quilibet sacerdos unam missam.

Pro qualibet autem missa superius posita quilibet frater clericus non sacerdos dicat septem psalmos cum litaniis, et quilibet frater conversus centum Pater noster et totidem Ave Maria dicere teneatur.

Sentencias iudicum approbamus.

Committimus omnibus et singulis provincialibus ac vicariis generalibus eorundem, ut quibuscumque redeuntibus ad obedienciam nostri ordinis penas sibi quomodocumque debitas valeant relaxare et absolvere a quibuscumque sentenciis et [super] irregularitatibus, quantum nostra interest, in omnibus premissis et aliis dispensare.

Salve Regina et litanie more solito dicantur; et ad antiphonam « Sub tuum presidium » fratres flectent genua, ut fuit in multis precedentibus capitulis ordinatum.

Sequens generale capitulum assignamus post duos annos in conventu Ruthenensi de provincia Tholosana in festo pentecostes celebrandum; et volumus et ordinamus, quod nullus frater ad ipsum veniat sine licencia speciali magistri ordinis reverendi. Diffinitores autem, qui in ipso diffinire habent, intrent capitulum dominica infra octavam ascensionis domini. Nullus autem alius frater, sociis diffinitorum exceptis, locum intret capituli eiusdem ante feriam sextam, festum pentecostes immediate precedentem.

Expliciunt acta capituli generalis apud Avenionem celebrati anno et die superius annotatis.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD RUTHENAM DE PROVINCIA THOLOSANA ANNO DOMINI · M°· CCC°· LXXX°· VIII°· CELEBRATI.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores conventuales Valentinum et Urgellensem de provincia Aragonie, et approbamus absolucionem factam de priore Ilerdensi eiusdem provincie per fr. Petrum Corregerii, magistrum ac priorem provincialem Aragonie (1).

Item. De provincia Tholosana Castrensem, Rivensem, Caturcensem, Carcassonensem, Marciaci, sancti Leodegarii, sancti Thome de Rebello, Brivensem, Lectorensem, sancti Thome de Insula, Convenarum et Tholosanum. Et volumus et ordinamus, quod priores in hiis actis absoluti, vel qui per litteras absolventur, hoc anno ad eadem officia non valeant in eisdem conventibus reassumi.

Facimus vicarios in eisdem conventibus sequentes, donec priores electi fuerint et confirmati et presentes extiterint in eisdem: in conventu Valentino magistrum Petrum de Guils (2), in conventu Urgellensi fr. Petrum de Vilario, in conventu Marciaci fr. Peregrinum de Puvimbo magistrum, item in conventu Lectorensi fr. Odonem de Corrensano (3).

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: cum matri [dei] Marie, (et) nostri ordinis patrone singularissime, sit precipue cultus specialis et reverencia impendenda et (4) maxime quoniam insurgit inimicus fidei orthodoxe, cuius veritatem per duces et per potentes nostros predicatores atque eximios doctores beatum videlicet Albertum et sanctum Thomam doctorem nostrum precipuum de(!) aliquo(!) expresse doctrinaliter affirmatam percepimus, quod mater Christi salvatoris scilicet octuagesima die a concepcione sua, qua fuit eius corpori infusa anima et post modicum tempus seu morulam eadem anima cum corpore ceteris sanctis copiosius sanctificata, ut in

23) et] quia *add.* A. — 24) maxime — sanctificata *om.* B. — quoniam] quam A. — inimicus] institutus A.— veritatem] varietatem A.— 27) affirmatam] affirmatum A. — percepimus] precedentis A. — 28) scilicet] sciencia A.

(1) De fr. Corregerii cf. MOPH. VII, 59 sqq.

(2) De fr. Petro de Guils cf. ibid. p. 61.

(3) De fr. Odone de Corrensana *al.* Corroussano cf. EUBEL *Avign. Obed.* 310.

(4) De « maxime - octuagesima » locus quam pessime corruptus.

tribulacione nostro ordini imminenti opportunum remedium dignetur misericorditer impetrare, et quam nonnulli sub concepcionis nomine honorare conantur, nos sub nomine vere innocencie et sanctificacionis ipsam pocius honoremus, ordinamus, quod in honorem beate Marie fiat festum totum duplex de sanctificacione eiusdem virginis gloriose cum officio de nativitate ipsius, mutato nomine nativitatis in nomen sanctificacionis, donec per nostrum ordinem de officio sanctificacionis aliter sit provisum (1).

Item. In constitucionibus in capitulo de suffragiis post illa verba: « ne consuetis defunctorum subsidiis defraudentur » addatur immediate sic: si fratres, qui extra suum conventum morantur, nisi in aliquo monasterio sororum ordinis sint assignati, mori contigerit, librorum et aliorum bonorum, que dictus frater habuerit, medietas ad suum conventum, et alia medietas ad conventum, in quo assignatus fuerit, pertineat, et tam conventus nativus, quam ubi erit assignatus, eidem fratri ad suffragia teneantur.

Item hanc: quod fiat festum totum duplex de translacione beati Petri martyris, ordinis nostri sancti, die prima iunii, et fiat officium partim sicut in festo eiusdem et partim de communi unius martyris, donec de officio sit provisum.

Item hanc: quod fiant octave de festo omnium sanctorum angelorum, et beate Marie Magdalene; et festivitates, que infra dictas octavas occurrerint, ad primas ferias vacantes post ipsas octavas secundum ordinem debitum transferantur; et omnes iste inchoaciones medio tempore observentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc, quod in sabbatis, in quibus agitur de beata virgine, antequam in fine hymnorum dicatur versus: « gloria tibi, domine » premittatur versus: « Maria, mater gracie » et post predictum subiungatur: « gloria tibi, domine ».

Item hanc: quod festivitates trium lectionum, que impedientur tercia feria vel sabbato propter officium beati Dominici ac beate virginis in primas ferias eiusdem septimane vacantes vel immediate sequentis, si in prima septimana plures ferie vacantes non fuerint, transferantur.

Item hanc: de beatis Blasio martyre et Antonio abbate fiat festum simplex illis diebus, quibus de eis in nostro ordine festum fieri consuevit. Et he confirmaciones habent tria capitula; quare volumus et ordinamus ac districte imponimus omnibus et singulis prioribus ac eorum loca tenentibus conventuum, quatenus has confirmaciones in martyrologio et calendario ac eciam ordinario omnimode faciant annotari.

---

(1) Qua de re cf. DENIFLE l. c. pag. 500.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Inprimis volumus et ordinamus ac districte imponimus prioribus conventuum et eorum vices gerentibus universis, quatenus officium beate virginis, nostri ordinis singularissime advocate, distincte et devote dici faciant locis et temporibus in nostro ordine consuetis. Qui vero in hoc inventi fuerint negligentes, inviolabiliter in penam per eorum superiores a suis officiis absolvantur; sub eadem pena eisdem precipientes, quatenus missas et oraciones alias in constitucione de suffragiis mortuorum signatas dici ac celebrari faciant integraliter et perfecte. Adiicientes, quod in quolibet conventu nostri ordinis post missam conventualem cantetur omni die devote antiphona: « Sub tuum presidium » vel responsorium: « Virgo parens Christi » cum versu: « Ora pro nobis » et oracione: « Protege domine ». Et post antiphonam: « Salve regina » post completorium dicatur responsorium vel antiphona de beato Dominico vel de beato Petro martyre vel beato Thoma cum versiculis suis et collectis.

Item. Cum, ut dolentes percepimus, silencium ac observancie regulares, que olim solebant nostrum ordinem adornare, iam abusu damnabili taliter perierint, quod neglectis hiis, que minima videbantur, non paulatim, sed proh dolor gressu celeri defluitur ad maiora, mandamus prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum vices gerentibus, super quo eo districtius, quo possumus, eorum omnium consciencias oneramus, quatenus silencium et alias observancias regulares faciant iuxta statuta ordinis diligentissime observari.

Item. Innovamus, ratificamus ac serioso proposito iteramus sequentes ordinaciones immediate precedentis capituli generalis apud Avenionem celebrati, videlicet de non licenciando ad aliquem maiorum ordinum, nisi in litteris et etate, que a iure determinantur, (et nisi) tales sufficientes extiterint, sicut ibi (1).

Item illam, que incipit: Ne bona communia distrahantur, sed melius solito conserventur (2).

Item illam, quod presidentes quartam partem omnium obvencionum pecunialium suorum conventuum tradi faciant realiter et de facto per receptorem communem conventus alicui alteri fratri ad hoc idoneo et fideli pro provisione fratrum infirmorum, sicut ibidem (3).

Item illam, quod baccalaurei singuli Parisius quomodolibet per graciam assignati ac eciam in posterum assignandi, quilibet eorum sol-

(1) Cf. supra pag. 14 l. 21 sqq.
(2) Cf. ibid. l. 29 sqq.
(3) Cf. supra pag. 15 l. 22 sqq.

vat annis singulis conventui Parisiensi pro contribucione quinquaginta florenos auri; subdendo, quod qui legent extra conventum sentencias in futurum, et illi eciam, qui eas legent extraordinarie in conventu Tholosano viginti francos omnino solvere teneantur (1).

Item illam, quod nullus frater procuret sibi vel recipiat quascumque ambasciatas sine reverendissimi magistri ordinis vel sui provincialis aut eius vicarii generalis licencia petita pariter et obtenta; prohibentes districte prioribus provincialibus, quatenus nullos priores conventuales iudicio diffinitorum capitulorum generalium aut provincialium retentos illo anno absolvant, nisi novis iustisque urgentibus causis et de consilio discretorum (2).

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus prioribus conventualibus ac loca tenentibus eorundem, quatenus omnem fratrem fugitivum aut sine socio fratre nostri ordinis incedentem, nisi manifestam super hoc incessu solitario habeat excusacionem, quamcicius commode potuerint, arrestent et carceri includant et penis debitis macerent, donec de discretorum consilio ab arresto huiusmodi mereatur liberari. Quod si in hoc reperti fuerint negligentes, in penam a suis officiis absolvantur. Fratres autem omnes et singulos sic solos contra tenorem istius ordinacionis incedentes voce et graciis ordinis ac predicacione generali, si predicatores generales fuerint, iudicamus ipso facto privatos presencium per tenorem; adiicientes predictis, quod nullus presidens cuiuscumque conventus nostri ordinis aliquem fratrem, nisi sit valde emeritus, sine littera testimoniali incedentem recipiat ullo modo.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater nostri ordinis contrahat quecumque debita sine sui presidentis licencia speciali, nec de mutuatis vel sibi qualitercumque debitis aliquid remittat sine licencia eiusdem; quod si sine licencia talis presidentis aliquis frater oppositum alicuius predictorum fecerit, pene culpe subiaceat gravioris; si vero prelati ad talia consenserint, per priores provinciales vel eorum vicarios de suis bonis satisfacere compellantur. Precipientes in virtute sancte obediencie fratribus nostri ordinis universis, ne debita vel mutua cum personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis ultra valorem unius floreni contrahant absque licencia sui prioris provincialis vel sui presidentis petita pariter et obtenta; et omnes et singulas gracias huic ordinacioni contrarias simpliciter revocamus; districte imponentes quibuscumque fratribus iam in studiis generalibus assignatis et in posterum assignandis, quatenus nullus eorum accedat sine littera testimoniali sui

(1) Cf. supra pag. 16 l. 1 sqq.
(2) Cf. supra pag. 17 l. 5 sqq.

presidentis, nec inde recedat absque regentis in illo studio et ceterorum lectorum littera testimoniali quovis modo. Quod si aliquis oppositum fecerit, omni honore et studio sit privatus.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti intraneis debito fr. Albertum Roberti (1) de provincia Francie, cui substituimus, quantum nostra interest, fr. Iohannem Stephani (2) eiusdem provincie. Pro primo vero anno extraneis debito fr. Guillielmum Zavila (3) de provincie Aragonie; pro secundo vero anno extraneis debito, quantum nostra interest, ad legendum sentencias ibidem fr. Iohannem de Merula (4) de provincia Tholosana. Ad legendum bibliam ibidem post fr. Iohannem Stephani fr. Iohannem de Palier (5) conventus Gebennensis, quem si aliquo modo contingeret impediri, eo casu provinciali Francie committimus, quod ipse de lectura predicta biblie valeat providere.

In conventu Tholosano assignamus ad legendum sentencias pro anno presenti intraneis debito fr. Raymundum Gloii. Pro anno primo extraneis debito assignamus ibidem ad legendum sentencias fr. Gubertum de provincia Francie, cui substituimus fr. Alfonsum de la Mina Valleoletanum, et nominamus eundem fr. Alfonsum pro secundo anno extraneis debito ad legendum ibidem sentencias et, quantum nostra interest, assignamus. Ad legendum ibidem bibliam fr. Bernardum Bruni (6). Pro magistro studencium ponimus ibidem pro anno presenti fr. Gubertum predictum. Pro anno immediate sequenti fr. Bernardum Bruni predictum, nunc biblicum Tholosanum. Ad legendum sentencias canonicis cathedralis ecclesie Lugdunensis fr. Iohannem de Cletis Lugdunensem, nunc lectorem Lugdunensem.

Precipimus in virtute sancte obediencie priori ac magistris regentibus in Tholosa, presentibus pariter ac futuris, quatenus de cetero nullum fratrem presentatum admittant ad lecturam sentenciarum ordinariam in dicto conventu, nisi prius talis frater iuraverit ad sancta dei evangelia servare statuta ibidem facta per reverendissimum patrem magistrum ordinis cum omnibus et singulis declaracionibus et interpretacionibus factis de eisdem per prefatum magistrum ordinis reverendum vel per alios vice

7) Stephani] Steli AB. — 11) Iohannem] Petrum AB.

(1) De fr. Alberto Roberti cf. supra pag. 17.
(2) De fr. Ioanne Stephani cf. ibid. pag. 19.
(3) De fr. Guilelmo Zavila cf. MOPH. VII, 61.
(4) De fr. Ioanne de Merula cf. ibid. pag. 69.
(5) De fr. Petro de Palier (Pellior) cf. supra pag. 18.
(6) De fr. Bernardo Bruni cf. Eubel l. c. 848.

sua; quicumque nunquam licenciam aut gradum accipiat magistralem, quousque per unum annum integrum ibidem fuerit magister studencium et nisi lecturam huiusmodi per annum integraliter compleverit ibidem in officio memorato. Quod quidem iuramentum volumus fieri prompte et in presencia testium ac in libro magistri studencium adnotari.

Committimus magistro Petro Corregerii (1), provinciali Aragonie, quod possit providere in conventu Barchinonensi studio generali de baccalaureis, magistro studencium ac biblicis usque ad sequens capitulum generale.

Facimus lectorem conventus Mediolanensis usque ad duos annos fr. Nicholaum de Cruce, nativum de illo conventu. Baccalaureum ibidem fr. Odonetum de Lances. Committimus vero provinciali Lombardie superioris, quod ipse de baccalaureis, magistris studencium ac lectore, si predicti impedirentur, dicto conventui usque ad sequens capitulum generale valeat providere.

Committimus provinciali Lombardie inferioris, quod ipse studio Bononiensi et aliis studiis sue provincie de lectoribus quibuscumque valeat usque tunc providere.

In conventu Salmantino assignamus pro lectore principali fr. Consalvum de Alba (2). Ad legendum sentencias ibidem fr. Consalvum de s. Christophoro. Pro magistro studencium ibidem fr. Alfonsum de sancto Marco. Committimus vero provinciali Hispanie, quod ipse de biblico ibidem pro isto anno et de lectoribus pro secundo anno valeat providere.

In conventu Montispessulani assignamus pro anno presenti et immediate sequenti in lectorem principalem fr. Bernardum Pagesii (3) magistrum, cui substituimus fr. Bernardum de Galliaco (4). Pro anno immediate sequenti fr. Iohannem Sancii magistrum (5). Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fr. Iohannem Steli; pro anno immediate sequenti fr. Vitalem de Montillis (6). Pro magistro studencium pro anno presenti fr. Iohannem Maureli; cui substituimus fr. G. de Lodova (7). Pro anno immediate sequenti fr. Iohannem de Lacu (8). Ad legendum

30) Lodova] La Doba AB.

(1) De quo supra pag. 30.
(2) De fr. Consalvo (Gundisalvo) de Alba cf. Eubel l. c. 973, 974, 1090, 1091, 1167.
(3) De fr. Bernardo Pagesii cf. MOPH. IV, 448; Eubel l. c. 929, 1162, 1257.
(4) De fr. Bernardo de Galliaco (Galhaco) cf. supra pag. 5.
(5) De fr. Ioanne Sancii de Perpiniano cf. Eubel l. c. 309, 684, 708.
(6) De fr. Vitale de Montiliis (Montillis), cf. Eubel l. c. 1008.
(7) De fr. Guilelmo de Lodova cf. l. c. 885.
(8) De fr. Ioanne de Lacu cf. ibid.

bibliam ibidem pro anno presenti fr. Iohannem de Lacu; pro anno immediate sequenti fr. Iohannem Borrelli.

In conventu Avenionensi pro presenti anno facimus lectorem principalem fr. Gerardum de Rege (1) magistrum; lectorem sentenciarum pro anno isto ibidem fr. Iohannem Durandi de Perpiniano, pro anno sequenti fr. Raymundum Sancii.

Ordinacionem autem studii Parisiensis et aliorum studiorum comittimus magistro ordinis reverendissimo, ut ipse de lectoribus, baccalaureis ac magistris studencium provideat in eisdem, prout honestati ordinis visum fuerit expediens. Committimus insuper eidem magistro ordinis reverendissimo, quatenus provinciis Grecie et Terre sancte, quocienscumque causa ipsius aut causa alia contingeret ipsas priore provinciali carere, usque ad immediate sequens capitulum generale eisdem provinciis aut cuilibet de prioribus provincialibus valeat providere, prout sibi videbitur expedire.

Item ne casu aliquo contingat ordinis iusticiam impediri vel quomodolibet retardari, ad maiorem expressionem et roboris firmitatem concedimus et committimus magistro ordinis reverendissimo nostram auctoritatem plenariam in omnibus et per omnia, quantum possumus et nostra interest, tam circa assignaciones, quam circa disposiciones fratrum ac priorum provincialium per se vel per alterum seu alios absoluciones et ordinaciones quascumque, nec non circa omnia alia et singula, que honestati, paci, iusticie et tranquillitati ac conservacioni ordinis et conventuum, fratrumque singularium quorumcumque iudicaverit expedire, et [que] possemus facere per nos ipsos. Mandantes eidem magistro reverendo, quatenus quocienscumque querelas habuerit de aliquo priore provinciali seu quovis alio fratre nostri ordinis, quamcicius commode poterit, per se vel per alium seu alios studeat iusticiam, correctionem et reformacionem tam auctoritate propria quam nostra, in capitibus et membris per omnia ministrare.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod si fratribus laicis ad nostrum ordinem receptis habitus clericalis concedatur, dum tamen tales fratres propter hoc non promoveantur ad ordines sacros, in nostris electionibus sint minime admittendi.

Item. Quod similiter illi fratres laici, quibus confertur huiusmodi habitus clericalis non habent vocem in nostris electionibus, donec a recepcione huius habitus statutos annos in nostro ordine compleverint cum habitu clericali.

---

(1) De fr. Gerardo de Rege cf. supra pag. 20.

Item hanc, quod baccalaurei ordinarii studiorum generalium debent preferri tam in cameris quam in omnibus aliis graciis baccalaureis extraordinariis quibuscumque.

Reducimus omnes fratres nostri ordinis ad provinciam et conventus, in quibus vel pro quibus ad nostrum ordinem sunt recepti, quacumque translacione seu assignacione in contrarium non obstante. Mandantes omnibus et singulis fratribus predictis sub precepto sancte obediencie et censuris, quatenus infra quindecim dies a noticia presencium ad suas provincias, ut predicitur, et conventus accedant et redeant indilate, nisi racione officii vel studii aut alia de causa hactenus aliis conventibus seu provinciis fuerint assignati, fratribus provincie Tholosane et conventuum noviter receptorum dumtaxat exceptis; sub eodem precepto astringentes a predictis officiis et studiis amotos, ut infra idem tempus a monicione predicta ad suos conventus, ut prefertur, accedant et redeant sine mora.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus fratribus universis nostri ordinis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, seu obedienciam sibi vel fratri alteri impositam per quamcumque personam extra nostri ordinis obedienciam constitutam quomodocumque revocari, vel in aliqua provincia vel conventu seu officio vel studio generali sive particulari, aut in aliqua universitate, civitate, villa, vel alio quocumque loco in conventu vel extra conventum ad legendum sentencias vel bibliam vel aliam quamcumque lectionem in latino vel vulgari, seu eciam ad regendum ibidem poni vel amoveri, remanere vel restitui procuraverit, et qui predictis infra mensem non renunciaverint, aut contra sic renunciata ex tunc aliquid attentaverint, aut predictis seu aliquo predictorum per ordinem cuicumque fratri ad preces vel instanciam seu procuracionem quarumcumque huiusmodi personarum extra nostri ordinis obedienciam constitutarum concessis usus(!) qualitercumque in toto vel in parte fuerit(!); aut qui fratrem aliquem seu fratres nostri ordinis scienter et ex proposito apud personam aliquam seu personas extra nostri ordinis obedienciam constitutam seu constitutas quomodolibet infamaverint seu infamari procuraverint, vel facta seu dicta fratrum aut secreta ordinis, ex quibus ordo noster vel frater aliquis turbari possit racionabiliter vel eciam infamari, quibuscumque personis extra nostri ordinis obedienciam constitutis dixerint vel revelaverint, aut per aliquem dici vel revelari fecerint, aut quovis modo procuraverint; seu qui ad Romanam curiam accesserint sine licencia magistri vel procuratoris ordinis speciali, vel qui ibidem negocium alicuius ponderis pertractaverint absque licencia alicuius predictorum; aut qui ad Romanam curiam noviter veniens se dicto

procuratori vel eius locum tenenti infra unum diem naturalem non presentaverit, vel qui solus sine socio fratre nostri ordinis ad ipsam curiam accesserit, seu eciam taliter discurrerit per eandem, aut ibidem remanserit ultra terminum per aliquem predictorum assignatum; vel qui prelato suo aut presidenti vel alteri cuicumque persone private dicere presumpserit de aliquo eorumdem, quod non sit prelatus seu presidens suus, sic quod propter hoc ab eius obediencia se subtrahat quoquomodo; aut fratri cuicumque inobedienti, rebelli vel ab obediencia nostri ordinis se subtrahenti auxilium, favorem verbo, scripto, pecunia aut alias adiutorium quodcumque qualitercumque dederit: quilibet in aliquo predictorum ex certa sciencia et ex proposito deficiens trangressionem precepti et excommunicacionis senteneiam incurrit ipso facto, quam reverendissimus pater magister ordinis tulit iuridice in diffinitorio, nobis presentibus, de omnium nostrum consilio pariter et assensu; huius absolucionem sibi soli quoad omnia, ac eciam procuratori ordinis pro preceptis dumtaxat, que Romanam curiam concernere dignoscuntur, retinuit ac eciam reservavit. Cui procuratori per presentes committimus et mandamus, quatenus omnes fratres et singulos, quos in aliquo de premissis preceptis Romanam curiam tangentibus repererit deliquisse, quamcicius poterit, denunciet suis provincialibus excommunicatos, ac in penas transgressoribus excommunicacionis iuxta nostrarum seriem constitucionum debitas incidisse, et nominaliter si ibidem pro studentibus vel alias assignati fuerint per quemcumque, ipsos ad suos conventus et provincias remittat et revocet indilate. Omnes autem fratres, qui se transferunt ad schismaticos, ut obedienciam ordinis valeant declinare, simpliciter carceri condemnamus. Committimus autem singulis prioribus provincialibus nostri ordinis ac vicariis generalibus provinciarum, quatenus, premissa excommunicacionis sentencia non obstante, ad Romanam curiam pro negociis suarum provinciarum ac conventuum seu monasteriorum eorundem possint mittere duos fratres tociens, quociens eis videbitur expedire. Provincialis vero illius provincie, ubi Romana curia residebit, possit illuc licenciare fratres sue provincie, prout honestati ordinis et necessitati eorundem videbitur expedire. Qui tamen omnes postquam ad Romanam curiam pervenerint, procuratori ordinis seu eius vicario se presentent infra terminum superius assignatum, et ad omnia alia precepta Romanam curiam concernencia sicut et ceteri sint simpliciter obligati, aliisque penis subiiciantur superius expressis, si in aliquo defecerint premissorum.

Item. Cum, quia contra nonnullos, qui perperam et iniuste, ut tenemus, veritatem fidei sacreque scripture ac doctoris nostri eximii sancti Thome Parisius condemnaverunt, ordo noster habeat in Romana curia

necessario litigare (1), quod non potest congrue facere absque expensis sufficientibus pro hoc ipso, ea propter habita deliberacione super modo huiusmodi necessaria pro expensis huiusmodi confecimus, quod iuxta nostrorum conventuum numerum pro summa mille et quinquaginta florenorum equaliter dividendo, que summa plus minusve videtur posse sufficere pro expensis faciendis de proximo et iam factis, quilibet conventus ad sex florenos sit taxandus. Qua propter provincia Hispanie iuxta premissa tenebitur solvere centum sexaginta et unum florenos; provincia Tholosana tenebitur ad centum nonaginta duos florenos; provincia Francie ad trecentum sexaginta florenos; provincia Aragonie in centum tredecim florenos; provincia Provincie ad centum sexaginta duos florenos; provincia Lombardie superioris ad quadraginta octo florenos; conventus Friburgensis provincie Theutonie ad septem florenos (2). Mandamus igitur omnibus et singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus diffinitoribusque capitulorum provincialium de proximo celebrandorum in singulis provinciis in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis, quatenus in ipsis capitulis summas pro suis provinciis superius assignatas distribuant, et suam quotam convenientem assignent cuilibet in communi et fratribus in particulari, taliter de tempore solucionis disponendo, quod totam summam, ad quam superius sua provincia est taxata, mittere possint et de facto mittant ad curiam Romanam tradendam et solvendam procuratoribus institutis vel instituendis in lite predicta, vel illis seu illi, de quo vel de quibus dicti procuratores ordinabunt, ad tardius infra duos menses computandos a fine capituli suarum provinciarum. Si quis autem presidens in aliquo conventu taxam pro illo conventu taxatam, vel frater aliquis quotam assignatam sibi solvere renuerit infra tempus sibi assignatum per provincialem suum et diffinitores sui capituli provincialis, ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc omnibus et singulis graciis ordinis et toto sibi appropriato privamus et privatos denunciamus presencium per tenorem, applicantes irrevocabiliter appropriata taliter delinquenti pro expensis litis antedicte.

Item. Significamus fratribus nostri ordinis universis, quod fratres omnes et singulos nostri ordinis provincie Anglie, qui recepcioni actorum et ordinacionum nostri generalis capituli ultimo in Carcassona (3) celebrati restiterunt, et postea contra ordinacionem eiusdem capituli generalis gradum baccalaureatus vel magisterii receperunt, aut per autorita-

---

(1) Qua de re cf. Denifle l. c. n. 1562 sqq.

(2) De provinciis et conventibus, qui partes Clementis VII. sequebantur fusius disseremus in prolegomenis.

(3) Anno 1378; cf. MOPH. IV, 441 sqq. praecipue pag. 450 sqq.

tem fr. Nicholai Misquini (1) anticardinalis Bartholomei, omni honore et privilegio tam magistrali quam baccalaureali, ac omni voce tam in electionibus et tractatibus, quam in nominacionibus habilitandorum et ordinacionibus studii privamus et presencium tenore privatos declaramus. Preterea volumus, ipsos non posse restitui nisi per magistrum ordinis reverendum ac per capitulum generale; imponentes eisdem sub pena gravioris culpe, quam ipso facto contravenientes incurrunt, quatenus se non ingerant electionibus huiusmodi et ordinacionibus studii, postquam imposicio ista ipsis fuerit legitime intimata.

Item. Eciam significamus fratribus nostri ordinis universis, quod declaravimus et presencium tenore declaramus, omnes et singulos fratres eiusdem provincie, qui per reverendissimum magistrum ordinis seu per dictum Carcassonense capitulum ordinati fuerint ad gradum baccalaureatus vel magisterii consequendum (2), privilegiis et graciis ipsis concessis per magistrum ordinis reverendissimum gaudere debere; et volumus eos ante omnes alios non promotos promoveri ad gradus prefatos, si promocionem voluerint acceptare, et eos in nominacionibus habilitandorum et in ordinacionibus studii, sicut et alii baccalaurei eiusdem provincie admitti sub pena prefata, quam ipso facto impedientes eos in aliquo predictorum incurrant, precipimus in virtute sancte obediencie et mandamus.

Item. Insuper significamus fratribus nostri ordinis universis, quod fr. Iohannes de Lancastro magister fuit factus prior provincialis provincie Anglie per magistrum reverendum ordinis auctoritate domini pape et sua; qua propter precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis fratribus ac sororibus eiusdem provincie, ut eidem sicut suo vero provinciali obediant per omnia, ut tenentur.

Item. Denunciamus fratribus et sororibus nostri ordinis universis, electionem de priore provinciali in provincia Aragonie celebratam de fr. Petro Corregerii (3), sacre theologie magistro, ritam fuisse et canonicam, et eam promotam legitime fuisse et confirmatam per reverendum patrem fr. Petrum Borroni (4), sacre theologie magistrum, procuratorem nostri ordinis, generalem vicarium et specialem commissarium per reverendissimum in Christo patrem magistrum ordinis ad hoc specialiter institutum, non obstantibus quibuscumque contradictionibus contra eandem per quoscumque obiectis, prout ex processibus per prefatum vicarium et com-

(1) De fr. Nicolao Misquini (Muscini) cf. MOPH. IV, 401; anno 1378 Sept. 28 creatur cardinalis tit. s. Cyriaci ab Urbano (Bartholomaeo Prignano) papa VI; cf. Eubel *Hierarchia* XXVII, 7.

(2) Cf. MOPH. IV, 447.

(3) De fr. Petro Corregerii cf. supra pag. 35; de eius electione cf. MOPH. VII, 59.

(4) De fr. Petro Borroni cf. ibidem et MOPH. IV, 448.

missariam factis et diligenter examinatis nobis extitit manifestum, dictumque fr. Petrum Corregerii esse verum et legitimum priorem provincialem antedicte provincie iuxta seriem nostrarum constitucionum et tenorem electum et confirmatum vigore presencium decernimus ac eciam declaramus. Mandantes omnibus et singulis fratribus ac sororibus dicte provincie, quod sicut nostre sacre religionis devoti professores eidem fratri Petro electo et confirmato, sicut premittitur, ut suo et vero et legitimo priori provinciali in omnibus obediant secundum nostri ordinis instituta.

Item. Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Clemens, divina providencia papa VII., de sua clementissima pietate dedit indulgenciam plenariam semel in mortis articulo omnibus et singulis fratribus, qui interfuerunt presenti capitulo generali.

Item. Omnes et singulos vicarios positos per magistrum reverendum ordinis in quibuscumque provinciis aut per quodcumque capitulum generale absolvimus tenore presencium ac eciam removemus.

Item. Illam denunciacionem immediate precedentis capituli generalis, que incipit: « Item significamus fratribus et sororibus nostri ordinis universis, quod nos recensito », cum omnibus et singulis suis punctis et clausulis tenore presencium innovamus ac eciam volumus in suo robore permanere (1).

Item. Eciam illam, que incipit: « Quicumque insuper frater nostri ordinis aliquod officium », eodem tenore consimiliter innovamus, ratificamus ac eciam approbamus (2).

Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis prioribus provincialibus ac vicariis generalibus provinciarum, quatenus infra instans festum nativitatis domini mittat quilibet eorundem procuratori ordinis nostri in Romana curia sex florenos de Florencia vel eorum valorem pro expensis ibidem factis et faciendis per eundem; sub eodem precepto eisdem iniungentes, quatenus quidquid debetur dicto procuratori de resto quinque annorum immediate preteritorum infra idem festum eidem mittant integraliter et cum effectu.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo ac beatissimo in Christo patre et domino domino Clemente, divina providencia papa VII., quilibet sacerdos tres missa.

Item. Volumus, quod pro bono statu eiusdem sanctissimi domini nostri pape, et pro sedacione presentis schismatis dicatur in missa conventuali qualibet, nisi sit pro defunctis vel festum duplex aut maius,

(1) Cf. supra pag. 22 l. 34 sqq.
(2) Cf. supra pag. 23 l. 25 sqq.

psalmus: « Deus in adiutorium meum » cum versibus et oracionibus consuetis.

Item. Quod in qualibet missa die dominica et in quolibet festo duplici et supra fiat processio per claustrum cuiuslibet conventus nostri ordinis, et dicantur litanie seu alie devote oraciones.

Item. In quolibet conventu ordinis singulis septimanis unus hebdomadarius adnotetur, qui assidue habeat pro bono statu dicti domini pape devocius celebrare.

Pro reverendissimis dominis cardinalibus de Montenayo, de Agrifolio, Sabinensi, Prenestino, Convenarum, de sancto Marciali, de Vernio quilibet sacerdos unam missam (1).

Pro reverendissimis ceteris dominis cardinalibus sacri collegii quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino camerario apostolico ac thesaurario eius, et dominis episcopis Vaurensi, Gebennensi, Barcinonensi, Belvistanensi (2) et aliis prelatis assumptis de ordine, ceterisque prelatis, quibus ordo noster tenetur, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino episcopo Rutheno quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino archiepiscopo Auxitanensi, episcopis Albiensi, Andegavensi, sancti Poncii (3), Magalonensi et Ruthenensi (4) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino rege Francie, et domina regina consorte sua, et nobilissima prole domus Francie quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino rege Castelle, et domina regina consorte sua, et tota domo illa regia quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis ducibus Bituricensi, Burgundie, Borbonii, et dominabus consortibus eorundem et prolibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis regibus Aragonie, Navarre, Sicilie, et ceteris regibus christianis, ac domibus eorum quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissima domina domina sorore Maria de Borbonio, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos duas missas.

Pro illustrissimo domino domino comite Armaniaci et Convenarum, ac tota domo sua quilibet sacerdos tres missas.

---

9) Montenayo] Montano AB. — 10) Vernio] Bernio AB. — 19) Auxitanensi] Auxinensi AB. 20) Andegavensi] Angivatensi AB.

---

(1) Quibus de cardinalibus cf. EUBEL l. c. XXVI et XXX.

(2) Forte « Bellovacensi ».

(3) Dominico de Florentia Ord. Praed. EUBEL l. c. p. 426.

(4) Forte legendum est « Regensi » vel « Redonensi », cum episcopus Ruthenensis iam antea sit nominatus.

Pro inclyto domino domino comite Carrolegii quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili et potenti domino domino de Landorra, et tota domo sua quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili et potenti domino domino Berengario, domino de castro Parisio, et tota domo sua, qui capitulum solempniter procuravit, quilibet sacerdos duas missas.

Pro nobili domina de Arpagone et suis quilibet sacerdos unam mis.

Pro illustri domina domina de Lebreto, et nobili ac potenti domino domino de Arpagone, ac domibus eorum, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino comite Empuriarum, et nobili viro Remigio de Arranano, et consorte sua quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobilibus viris domino senescallo de comitibus Rutenensibus, et domino Guillielmo de Soratges, atque domibus eorum quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili et potenti domino domino de Castro Novo, domino de Broquerio, domino de Samiaco, domino de Mostrugals, domina de Bosco, atque domibus eorum quilibet sacerdos unam missam.

Pro venerabili collegio dominorum canonicorum, et pro dominis consulibus huius civitatis, et pro bono statu tocius civitatis quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis consulibus burgi Ruthene, et pro bono statu tocius burgi Ruthenensis quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo patre inquisitore Tholosano, et quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro magistro G. de Canaco quilibet sacerdos unam missam.

Pro magistro Petro Aldemberti, lectore sacristie, et quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro quadam nobili domina diocesis Ruthenensis quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili domino de Cerriaco, domino decano maioris ecclesie Ruthenensis, domino Petro de la Pala, et Radopayol, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Gualliardo de Nova Ecclesia, domino Iohanne de Meremedio, et domino de alto Prato quilibet sacerdos unam missam.

Pro Gualliardo Ebrardi mercatore burgi Ruthenensis quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina Alazare, matre domini Gualliardi, quilibet sacerdos unam missam.

Pro Durando de Monteferrario, burgensi burgi Ruthenensis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili Guidone Bonafos quilibet sacerdos unam missam.
Pro nobili Albina de Carlaco » » »
Pro priore de Alpinio » » »
Pro domino Hugone de Malabilla » » »
Pro Iohanne Rigorosi mercatore » » »
Pro Astorgio de Auliaco » » »

Pro Guillielmo de Monte Ferrario, et pro quibus intendit fr. B. Sabi, quilibet sacerdos unam missam.

Pro Bernardo de Croso quilibet sacerdos unam missam.

Pro Bertrando Durando Basconlos, Guillielmo de Vico, Bernardo Mathies, Humberto Henges quilibet sacerdos unam missam.

Pro Durando Sagalat, Guillielmo Boysso, Guillielmo Bernardo Gafardi quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili Petro Guillielmo de Canpena, et quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili Perro de Sorte, et quibus intendit, quil. sacerd. unam mis.

Pro Bernardo de Guarlenxe, Petro Famsarti, ac sociis eorundem quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobili Cleofa de Badafol et sociis suis quil. sacerd. unam mis.

Pro Iohanne Crate quilibet sacerdos unam missam.

Pro Guillielmo de Carlaco quilibet sacerdos unam missam.

Pro magistro Petro de Macro, Arnaldo Rayterii, Guillelmo de Serore, Michaele Riperie, Iohanne Gramani, priore de Santapetra, Deodato Abrussi, Iohanne de Podio Beneti, domino magistro Bugerii, domina Segina, et Empridis Folcanda, domina de Baldone, et Aurico de Nugeriis quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino abbate de Bonavalle, et precentore de Sylva, et pro domina abbatissa, et Arnaldo del Ram, Arnaldo Baxerii, Raymundo Guidonis, domino Gerardo Beliet, fr. Bernardo Baurelli, magistro Iohanne de Vigilliaco, domino Raymundo Sabesses, Hugone Angonis, Iohanne Sagalat, et pro quadam domina de Burgo quilibet sacerdos unam missam.

Pro communitatibus de Bosone, de Salva Terra, et de Espaleo, et ceteris, que benefecerunt capitulo, et qui bene receperunt fratres venientes ad capitulum, et bene recipient de capitulo redeuntes, quilibet sacerdos unam missam.

Pro fratribus conventus Ruthene, qui laudabiliter laboraverunt pro isto capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro personis, que habent litteras de beneficiis, et que ad eadem beneficia sunt recepte, quilibet sacerdos unam missam.

Pro magistro reverendissimo et diffinitoribus reverendis et sociis eorundem presentis capituli generalis quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro dominis cardinalibus quondam Hostiensi, Anagniensi (?), Albanensi ultimo defunctis quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Carolo, quondam rege Francorum ultimo defuncto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis quondam regibus domino Petro, quondam rege Aragonie, et domino Carolo, quondam rege Navarre, et ceteris regibus christianitatis ultimo defunctis quilibet sacerdos unam missam.

Pro inclyta domina domina quondam de Casseto Guidona Cabestremas, pro domino Iohanne de sancto Agone, quondam decano ecclesie Lugdunensis, et ceteris defunctis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro magistro Raymundo Vigerii quilibet sacerdos unam missam.

Pro personis defunctis, que habebant litteras de beneficiis ordinis, et que erant ad eadem recepte, quilibet sacerdos unam missam.

Notificamus fratribus nostri ordinis universis, quod magnificus et nobilis vir dominus Berengarius de castro Parisio, miles diocesis Ruthenensis promisit et pro hipotheca exobligavit omnia bona sua, donec et quousque in securo loco assignaverit, perpetuo se daturum et missurum per diffinitorem aut provincialem Tholosane provincie generali capitulo annuatim viginti libras Turonenses, valentes viginti francos auri sive viginti quinque florenos de Francia; et reverendissimus pater magister ordinis de consensu diffinitorum unanimi ordinavit, quatenus perpetuo in actis generalis capituli fiat de ipso mencio specialis, et illa suffragia, que procurantibus generale capitulum applicantur, ut verbi gracia missa una quoad singulos fratres presbyteros, et quoad fratres non presbyteros, sicut est fieri consuetum, pro ipso et quibus intendit, concedatur.

Item. Certis ex causis est sibi concessa perpetuo una alia missa et alia suffragia, ut supra; et idem fecit per omnia sub eadem forma nobilis et potens dominus dominus de Landora, miles eiusdem diocesis Ruthenensis; idem eciam fecit omnino sub eadem forma nobilis et potens dominus dominus Antonius Bermundi, dominus de Casperio predicte diocesis Ruthenensis.

Item. Certis ex causis est sibi concessa perpetuo anno quolibet una alia missa et alia suffragia, ut supra.

Pro qualibet autem missa superius posita quilibet frater clericus non sacerdos septem psalmos cum litaniis, et quilibet frater conversus centum pater noster et totidem ave Maria dicere teneatur.

Sentencias iudicum approbamus.

Committimus omnibus prioribus provincialibus ac vicariis eorundem generalibus, ut quibuscumque redeuntibus ad obedienciam nostri ordinis penas sibi quaslibet debitas valeant misericorditer relaxare, ipsosque ab-

solvere a quibuscumque sentenciis et irregularitatibus, et quantum nostra interest, a premissis et aliis dispensare.

Salve regina et litanie more solito dicantur; et ad antiphonam « Sub tuum presidium » fratres flectent genua, ut fuit in multis prioribus capitulis generalibus ordinatum.

Sequens capitulum generale assignamus ad duos annos in conventu Cesaraugustano de provincia Aragonie celebrandum. Et volumus et ordinamus, quod ad ipsum [fratres] non veniant sine licencia speciali magistri ordinis reverendi. Diffinitores autem, qui in ipso diffinire habebunt, intrent locum capituli dominica infra octavam ascensionis domini. Nullus autem frater, sociis diffinitorum exceptis, locum intret eiusdem capituli ante feriam sextam festivitatem pentecostes immediate precedentem.

Expliciunt acta capituli generalis die et anno, quibus supra, celebrati. Locus ✠ sigilli.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CESARAUGUSTE CELEBRATI IN FESTO PENTECOSTES ANNO DOMINI · M°· CCC°· XCI°·

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores conventuales: Castillionensem, Gerundensem, Oscensem, Pampilonensem; et volumus et ordinamus, quod priores in istis actis absoluti, sive qui per litteras absolventur, isto anno presenti ad eadem officia in eisdem conventibus nullatenus assumantur.

Facimus hos vicarios: in conventu Castillionis fr. Guillielmum Carreria; in Gerunda fr. Franciscum Bonis; in Osca fr. Petrum de Sadava; in Pampilona fr. Martinum de Turre rotunda (1).

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Primo animarum periculis obviare volentes, inhibemus, quod nulli fratres preter priores provinciales vel eorum vicarios ad hoc specialiter per provinciales deputatos licenciare possint fratrem aliquem ad suscepcionem alicuius trium maiorum ordinum; quicumque autem contrarium huius fecerit, ipse licencians sit ab officio, quo fungitur, ipso facto in penam absolutus, et recipiens huiusmodi sacrum ordinem sit perpetuo ab execucione talis ordinis privatus. Consimiliter inhibemus (et) sub eadem pena, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis vel gradus exi-

(1) De fr. Martino de Turre rotunda cf. MOPH. VII, 66.

stat, preter priores provinciales et eorum vicarios, possit eligere ad officium predicacionis vel audiencie confessionum fratrem aliquem, et nisi eciam per eosdem provinciales vel eorum vicarios fuerit examinatus et eorum iudicio sufficiens reputatus; iniungentes eisdem prioribus provincialibus, quatenus quamcicius poterunt, fratres factos hactenus predicatores et confessores per se ipsos vel per eosdem deputatos vicarios examinent, et quos insufficientes repererint, a dictis officiis suspendant indilate; quodque dicti priores provinciales fratres omnes, quos predicasse vel alias dogmatizasse repererint quascumque proposiciones vel contradictiones novas et periculosas, aut fatuitates vel fictiones quaslibet non fundatas vel in scriptura sacra vel in dictis sanctorum, vel alias eciam offendentes pias aures, incarcerent huiusmodi fratres talia, ut premittitur, imprudenter predicantes vel docentes.

Item. Profectui fratrum et honori studiorum providere cupientes, mandamus et ordinamus, quod regentes et lectores principales in studiis generalibus, dempto conventu Parisiensi, et in aliis conventibus legant ter ad minus in qualibet septimana, nisi alia impedimenta legitima occurrant, quodque ipsi regentes et lectores, eciam magistri studencium tam in studiis generalibus quam in aliis conventibus disputent ordinarie secundum modum antiquum nostri ordinis consuetum, ordinantes et inhibentes, quod nullus frater studens in aliquo studio generali pro suo beiaunnio possit expendere ultra unum francum et pro sermone ad clerum non nisi medium, et pro racione magistri studencium nonnisi quatuor grossos; nolentes, quod pro collacione quadragesime vel adventus in sexta feria fienda aliquid persolvatur ab aliquo huiusmodi collacionem faciente. Oppositum autem huius secunde ordinacionis de predictis expensis facientes et quoscumque petentes et exigentes et cogentes privamus simpliciter omni voce.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie et sub pena carceris, quatenus nullus frater portet intus vel extra vel teneat arma quecumque invasiva apud se, aut portet aut teneat habitum secularem in materia vel in forma, aut dissimulet habitum nostri ordinis in via vel alibi, nisi de expressa sciencia et licencia sui presidentis, que non detur alicui, nisi pro magna necessitate; quodque sub pena circulacionis et gravis culpe nullus frater portet iupetum aut camisiam aut caligas coloratas, nisi de albo, et quod in corona se habeant fratres omnes secundum constitucionem de rasura, habitumque nostri ordinis portent in forma eiusdem constitucionis in capitulo de vestitu, tam in longitudine quam in latitudine, quam eciam in colore, et hoc sub eadem pena fieri precipimus et man-

9) proposiciones] opposiciones AB..

damus. Quicumque autem fratres in portacione vel in tenendo arma invasiva vel in portacione habitus secularis reperti fuerint defecisse, mandamus presidentibus conventuum ipsorum fratrum sic, ut prefertur, delinquencium sub pena absolucionis a suis officiis in penam, quatenus infra decem dies illos vel illum circulent in capitulo et puniant pena supra taxata, et nichilominus quod hoc, quamcicius poterunt, denuncient priori provinciali. Mandamus autem et precipimus in virtute sancte obediencie et sub pena absolucionis in penam omnibus et singulis nostri ordinis conventuum presidentibus, quatenus omnem fratrem percussorem aut percucientem aliquem alium lethaliter, enormiter vel atrociter aut eciam alio quovis modo maliciose, puniant statim, quo commode fieri poterit, pena in nostris constitucionibus taxata vel alias denuncient suo priori provinciali, casu, quo ipsi huiusmodi punicionem facere non possent, infra unum mensem vel suo vicario generali; sub eodem precepto et pena mandantes eisdem, quatenus quanto cicius omnem fratrem nostri ordinis, quem solum sine fratre socio incedere vel ire vel ivisse per viam vel de conventu ad conventum, vel de studio redeuntem vel ad studium vel alio euntem repererint, includant in carcere, unde non liberetur, nisi de mandato prioris provincialis vel vicarii sui. Committimus autem prioribus provincialibus et eorum vicariis, quanto cicius ipsi possint disponere de fratribus monasteriorum, et de fratribus facientibus questuas et predicaciones, prout honestati et utilitati ipsorum monasteriorum et conventuum et ordinis expedire iudicabunt; decernentes et universis fratribus significantes, quod omnis frater dimittens habitum nostri ordinis, quem appellamus scapulare, habens duos pannos et capucium sutum cum illis, et dans operam rei illicite, incurrit vicium apostasie, et per consequens sentenciam excommunicacionis, et omnes penas debitas secundum nostrum ordinem fratri apostate, a qua non potest absolvi per quemcumque priori provinciali inferiorem.

Item. Obedienciam ordinis observare volentes et fratrum fugitivorum discursum et evagacionem refrenare intendentes, ordinamus et in virtute sancte obediencie precipimus presidentibus conventuum universis, quatenus nullum fratrem alicuius provincie, nisi portantem litteram testimonialem sui provincialis recipiant vel retineant, nisi sicut unum hospitem fratrem per tres dies ad plus, nisi talis esset assignatus pro lectione vel studio; post quos illum remittant et expellant de terminis suis, omnem fratrem fugitivum mandantes includi et incarcerari per eosdem sub eodem precepto, omnesque tales revocantes tenore presencium ad suas provincias, et mandantes eis sub pena carceris, quod, dum fuerint in suis provinciis, presentent se coram provincialibus suis indilate.

Item. Paci ordinis et fratrum cupientes providere, mandamus et or-

dinamus, quod ad consilia moralium et maxime criminalium nullus, qui non sit sub obediencia ordinis admittatur, adiicientes et sub pena carceris mandantes, quod nullus frater nostri ordinis teneat pro se vel pro alio possessiones quascumque, nec exerceat mercaciones quascumque vendendo vel emendo modo mercatorum sine licencia expressa magistri ordinis vel sui prioris provincialis; omnem fratrem contrarium huius facientem ex nunc pro tunc carceri sentencialiter condemnantes, nisi de talibus possessionibus se expediverint vel huiusmodi licenciam habuerint infra mensem.

Item. Antiquis nostri ordinis ceremoniis et constitucionibus et sanctis consuetudinibus patrum nostrorum nos conformare volentes, mandamus et in virtute sancte obediencie precipimus, quatenus nullus frater, cuiuscumque status vel condicionis vel gradus existat, comedat carnes vel alias comestione ordinaria in prandio vel in cena comedat extra quatuor loca regularia ad hoc deputata vel deputanda sine licencia magistri ordinis vel prioris provincialis, et nisi pro causa infirmitatis. Omnem autem fratrem huius contrarium facientem, preter hoc quod est transgressor precepti, voce simpliciter privamus.

Item. Ordinacionem factam in capitulo Avinionensi et Ruthenensi de quarta parte pro infirmis, quam quartam mutamus in sextam, quoad omnes suas clausulas in eadem contentas innovamus et confirmamus; addentes, quod de dicta sexta parte provideatur primo et principaliter fratribus infirmis pauperioribus iudicio prioris provincialis vel illius, cui super hoc ipse commiserit vices suas (1).

Item. Ordinacionem aliam in actis supradictorum capitulorum contentam de non faciendis ambaxiatis, quantum ad predictam clausulam dumtaxat eciam innovamus; addentes, quod sub eadem pena nullus frater intromittat se de divorciis vel negociis secularium quorumcumque displicibilibus, sediciosis et periculosis sine licencia sui provincialis (2).

Item. Innovamus aliam ordinacionem in actis capituli Ruthenensis contentam de contribucione baccalaureorum extraordinariorum omnium, excepto baccalaureo ordinario conventus studiorum Parisiensis et Tholosani, quam volumus in suo robore permanere; addentes, quod priores et presidentes dictorum conventuum exigant summas dictas et contribuciones ab ipsis baccalaureis, antequam incorporentur in studio, et hoc sub pena, quod ipsi persolvant illi conventui predictas summas, ad quas eos ex nunc pro tunc simpliciter obligamus (3).

---

(1) Cf. supra pag. 32 l. 32 sqq.
(2) Cf. supra pag. 33 l. 5 sqq.
(3) Cf. supra pag. 32 l. 36 sqq.

Iste sunt declaraciones.

Primo declaramus, apostatas publicos, receptos ad ordinem clam vel de nocte, non esse vel fuisse receptos secundum seriem vel tenorem nostrarum constitucionum, sed eos esse adhuc obligatos et obnoxios sue culpe, ipsosque et alios, qui fuerunt apostate, fore inhabiles ad promociones et ad officia ordinis, prout in capitulo de apostatis circa finem expresse continetur, nisi legitime cum ipsis dispensatum fuerit; de qua dispensacione faciant fidem sufficientem per litteram; quodque dicti apostate non debent per quemcumque ad ordinem recipi secundum nostri ordinis approbatam et diu observatam consuetudinem nisi de licencia magistri ordinis vel prioris provincialis.

Item. Declaramus, quod frater in carcere detentus non poterit inde liberari nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale vel per priorem provincialem vel per capitulum provinciale.

Item. Declaramus, quod subprior aliquis frater non potest fieri per priorem conventualem vel institui nisi de consilio ad hoc specialiter congregato et assensu maioris vel sanioris partis fratrum, qui iuxta morem conventus illius consueverunt ad consilia convocari.

Item. Declaramus, quod nec magister ordinis nec prior provincialis possunt dare autoritatem cuicumque priori conventuali absolvendi seipsum ab officio suo, sicut nec eligendi seipsum in priorem, et quod si contrarium huius factum fuerit, talis prior nondum est ab officio suo absolutus.

Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alteri iniunctam per quamcumque personam extra nostri ordinis obedienciam constitutam revocari, vel in aliqua provincia vel conventu, studio vel officio aut universitate ad legendum sentencias vel bibliam vel aliud, seu ibidem poni vel inde removeri, remanere vel restitui procuraverit, aut predictis vel aliquo predictorum ad preces talis per ordinem concessorum usus fuerit in toto vel in parte; seu qui fratrem vel ordinem apud quascumque personas extra nostrum ordinem per se vel per alium infamaverit vel facta vel dicta fratrum ordinis, ex quibus ordo noster vel frater racionabiliter infamari possit, quibuscumque personis extra nostri ordinis obedienciam constitutis per se vel per alium revelaverit; aut qui ad Romanam curiam sine licencia magistri vel procuratoris ordinis accesserit, seu qui ibidem ultra terminum prefixum remanserit, vel per eam solus sine socio fratre discurrerit, vel se infra diem naturalem procuratori ordinis vel eius locum tenenti non presentaverit, vel qui in eadem Romana curia negocium quodcumque alicuius ponderis sine licencia et sciencia magistri vel procuratoris ordinis pertractaverit,

vel qui priori suo dixerit: vos non estis prior meus, vel per hoc a sua obediencia se subtraxerit: quilibet frater in aliquo predictorum ex certa sciencia et proposito deficiens, incurrit omnes et singulas penas debitas fratri transgressori precepti et sentencie excommunicacionis secundum nostrum ordinem, quas penas ipsum tenore presencium incurrisse iudicamus. Committimus autem cuilibet priori provinciali, quod pro negociis sue provincie et conventuum aut fratrum possit mittere ad curiam Romanam duos fratres, quociens fuerit expediens et necesse. Priori eciam provinciali illius provincie, in qua curia Romana residebit, committimus, quod possit fratres sue provincie ad eandem Romanam curiam mittere, prout utilitati et honestati nostri ordinis videbitur expedire.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod sanctissimus in Christo pater et dominus dominus Clemens papa VII. de sua clementi pietate concessit indulgenciam plenariam semel tantum in mortis articulo omnibus fratribus, qui in presenti generali capitulo interfuerunt.

Committimus reverendissimo patri magistro ordinis, quatenus provinciis Grecie et Terre sancte quocienscumque et quandocumque aliqua ipsarum priore provinciali carere contigerit, eisdem provinciis et earum cuilibet possit de prioribus provincialibus providere.

Item. Eidem magistro reverendo committimus ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut possit de baccalaureis et biblicis dictis studiis providere casu, quo contigerit, aliquem vel aliquos ibidem assignatos impedire.

Item. Concedimus cuilibet priori provinciali, qui fuit presens in isto generali capitulo, quatenus ipsorum quilibet possit dispensare cum quatuor fratribus, qui ex causis quibuscumque penas positivas vel privativas incurrerunt, et ipsos ad omnes promociones ordinis, prout conscienciis ipsorum videbitur, habilitare, et cuilibet diffinitori huius capituli generalis unum.

Concedimus tres domos sive conventus provincie Aragonie ponendas in locis convenientibus, supposita licencia domini nostri pape, et facta bona et diligenti informacione, quod securo et absque briga et cum pace ordinis possint poni in locis Gandie diocesis Calagurritane, et Caltratensis (!) Alcanicii diocesis Cesaraugustensis et in civitate Dertusie.

Omnes autem gracias exemptorias de successione bonorum, de cameris habendis et tenendis, nisi quoad cameras pro magistris et baccalaureis et hiis, qui fuerunt priores provinciales vel procuratores ordinis generales, aut sunt inquisitores aut infirmi decumbentes, sive de officio chori vel ecclesie, sive de ingressu ad villam vel ad monasteria quecumque, sive de sociis et famulis recipiendis et tenendis per quemcumque cuicumque concessas sub quacumque forma verborum existant, revoca-

mus et simpliciter annullamus; mandantes prioribus provincialibus et precipientes, ne tales gracias concedant alicui, nisi fratribus valde emeritis atque dignis, et cum hoc, quod illi, quibus concedentur tales gracie, assumant socios sacerdotes et de sciencia provincialium suorum.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fr. Albertum Roberti (1) de provincia Francie, cui substituimus fr. Iohannem Stephani (2) de provincia eadem, casu quo dictum fr. Albertum contingeret impediri. Pro primo vero anno extraneis debito assignamus ibidem ad legendum sentencias, quantum nostra interest, fr. Iohannem Poleti (3) de provincia Francie. Pro secundo anno extraneis debito assignamus ibidem ad legendum sentencias, quantum nostra interest, fr. Antonium Genebreda de provincia Aragonie (4). Ad legendum bibliam ibidem fr. Petrum de Marologio (5) de provincia Francie, quem si impediri contigerit, committimus priori provinciali Francie, ut ipse de biblico alio loco illius possit providere, prout honestati ordinis expedire videbitur, et idem dicimus de baccalaureo et substituto in conventu Parisiensi pro isto anno.

Assignamus ad legendum sentencias in conventu Tholosano pro isto anno presenti fr. Lupum Alfonsi de provincia Hispanie, cui substituimus fr. Sanctium Porta (6) de provincia Aragonie, casu quo contigerit primum impediri; pro secundo anno extraneis debito fr. Petrum Bonnelli de provincia Provincie. Pro primo anno intraneis debito assignamus ad legendum sentencias in dicto studio et conventu fr. Deodatum Ibeouguilli (?) de provincia Tholosana, cui substituimus casu, quo contigerit primum impediri, fr. Ytricum Bartholomei de provincia eadem. Pro tercio autem anno extraneis debito assignamus, quantum nostra interest, ad legendum sentencias in dicto studio et conventu Tholosano fr. Sanctium Porta de provincia Aragonie. Ad legendum bibliam ibidem assignamus fr. Petrum de Solano (7) eiusdem provincie. Pro magistro studencium ibidem fr. Ytricum Bartholomei provincie eiusdem.

Committimus autem priori provinciali dicte provincie Tholosane auctoritatem providendi dicto studio et conventui de baccalaureo et biblico et magistro studencium, quoad assignaciones ibidem de provincia Tholosana dumtaxat, casu quo contigerit aliquem ex eis impediri.

---

(1) De fr. Alberto Roberti cf. supra pag. 34.
(2) De fr. Ioanne Stephani cf. ibid.
(3) De fr. Ioanne Poleti cf. Denifle l. c. n. 1594.
(4) De fr. Antonio Genebreda cf. supra pag. 4.
(5) De fr. Petro de Marologio cf. infra pag. 63.
(6) De fr. Sanctio de Porta cf. MOPH. VII, 67.
(7) De fr. Petro de Solano cf. ibid. 86.

In conventu Salmantino ponimus lectorem principalem fr. Alfonsum de sancto Christophoro, magistrum in theologia.

In conventu Montis Pessulani ponimus lectorem principalem fr. Raymundum Cabaea, licenciatum in theologia pro isto anno presenti, et pro anno sequenti fr. Bernardum Pagesii (1), magistrum in theologia, cui substituimus fr. Bernardum Mauricii (2). Ad legendum sentencias ibidem fr. Avinionem Nicholai (3). Ad legendum bibliam ibidem fr. Iohannem Berengarii (4).

In conventu Avinionensi facimus lectorem principalem pro anno presenti fr. Bernardum Boscarelli (5), magistrum in theologia; pro anno sequenti fr. Iohannem Alberti (6), magistrum de conventu eodem. Pro secundo lectore assignamus ibidem fr. Poncium Maurelli (7), et pro secundo anno fr. Iacobum Suaddi.

In conventu Barchinonensi facimus lectorem principalem fr. Petrum Beguerii (8), magistrum in theologia, cui substituimus fr. Berengarium Zavila (9). Pro secundo lectore ibidem fr. Pascasium Benediio (10); pro magistro studencium fr. Bernardum Artiguelli (11); pro biblico fr. Petrum de Valleviridi (12).

Ordinacionem studii conventus Mediolanensis committimus priori provinciali Lombardie superioris, ut ipse de lectoribus, baccalaureis, biblicis et magistro studencium provideat, prout honori ordinis videbitur expedire.

Transferimus fr. Iacobum Vincencii (13) de provincia Provincie, magistrum in theologia, de conventu suo Arausicensi ad conventum Avenionensem, et facimus eum conventualem in eodem tamquam de con-

3) Montis Pessulani] Montis Pacensis AB. — 23) Vincencii] Vincencium AB.

(1) De fr. Bernardo Pagesii cf. MOPH. IV, 448.
(2) De fr. Bernardo Mauricii cf. ibid. 417.
(3) De fr. Avinione Nicolai cf. Eubel *Avign. Obed.* 877, 878, 1081a, 1115, 1125, 1154, 1179, 1236, 1261, 1293, 1328. Albanès *Bull. du comité d. trav. hist. et scient.* 1882 p. 338-82; ibid. 1884 p. 19-56.
(4) De fr. Ioanne Berengarii cf. Eubel l. c. 590.
(5) De fr. Bernardo Boscarelli cf. supra p. 3.
(6) De fr. Ioanne Alberti cf. supra p. 17.
(7) De fr. Pontio Maurelli (Morelli) cf. Eubel l. c. 1034, 1040.
(8) De fr. Petro Beguerii (Baguerii) cf. MOPH. VII, 61 sqq.
(9) De fr. Berengario Zavila cf. ibid. 54, 65.
(10) De fr. Paschasio Benediio *al.* Udejo, Uduge, Vendeyo, cf. l. c. pp. 81, 84.
(11) De fr. Bernardo Artiguelli *al.* Artigulli cf. l. c. pag. 67.
(12) De fr. Petro de Vallevirdi cf. l. c. p. 65 sqq.
(13) De fr. Iacobo Vincentii cf. MOPH. IV, 436.

ventu nacionis. Consimiliter transferimus fr. Petrum Borroni (1), procuratorem ordinis de conventu Perpiniani ad conventum Montispessulani et facimus eum fratrem conventualem in eodem. Dictosque duos fratres dictis conventibus specialiter assignamus, ac si in eisdem conventibus fuissent recepti.

Precipimus autem in virtute sancte obediencie priori ac magistris in theologia regentibus in conventu Tholosano pro nunc et pro futuro, quatenus de cetero nullum fratrem presentent ad lecturam sentenciarum in dicto conventu, nisi primo talis frater iuraverit ad sancta dei evangelia, servare omnia et singula statuta facta ibidem per bone memorie fr. Heliam (2), magistrum ordinis nostri, cum singulis declaracionibus et interpretacionibus factis de eisdem, quodque nullus frater gradum vel licenciam ad magisterium in theologia accipiat, quousque per unum annum integrum ibidem fuerit magister studencium, nisi ante lecturam sentenciarum huiusmodi annum integrum compleverit in officio memorato (3).

Precipimus in virtute sancte obediencie singulis prioribus provincialibus ac vicariis eorundem, quatenus infra festum instans nativitatis Christi mittant procuratori ordinis in Romana curia (4) sex florenos de Florencia vel eorum valorem pro expensis ibidem per eundem factis pro negociis ordinis et fiendis.

Revocamus et annullamus omnes et singulos vicarios generales factos per quoscumque sive per magistrum ordinis sive per capitulum generale sive eciam per priores provinciales in capitulis provincialibus sive eciam in quibuscumque provinciis usque ad diem presentem presencium per tenorem.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo ac beatissimo in Christo patre et domino domino Clemente, divina providencia papa VII., quilibet sacerdos tres missas. Mandantes prioribus provincialibus, quatenus in capitulis suis provincialibus ordinent de oracionibus et suffragiis pro dicto domino et tribulacione ecclesie et nostri ordinis, prout patrie et conventibus magis congruum iudicabunt, et quod in singulis septimanis deputetur frater unus ad celebrandum pro dicto domino nostro et pro sedacione schismatis et tribulacione ordinis nostri.

1) Borroni] Bonnoni AB.

(1) De fr. Petro Borroni cf. supra pag. 40.

(2) Obiit fr. Helias Raymundi mense decembris 1389 vel, ut tradit Petrus Arenys (MOPH. VII, 60), mense ianuarii 1390. Cf. etiam l. c. p. 27.

(3) Cf. supra pag. 24 l. 26 sqq.

(4) Scilicet fr. Petro Borroni, de quo supra l. 1.

Pro illustrissimo domino rege Aragonie, domina consorte sua et liberis eorundem, et domino duce fratre suo et uxore et liberis quilibet sacerdos duas missas.

Pro reverendissimis dominis cardinalibus de Agrifolio, domino Valentino et pro toto collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino cardinali de Aragonia quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino cardinali Ambianensi quil. sacerdos unam missam (1).

Pro domino archiepiscopo Cesaraugustano quil. sacerd. unam mis.

Item. Pro reverendo patre domino episcopo Oscensi, domino marchione de Vilena, et domino comite Urgelli, consortibus ac liberis eorundem quilibet sacerdos duas missas.

Pro bono statu civitatis Cesaraugustane quil. sacerdos unam missam.

Pro dominis comitibus Empuriarum, de Cardona, et venerabilibus magistris de Roda, et de Montesa quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominabus priorissa de Hexena(!), Guisabel de Aragon, et Ferdinanda de Penamau, et pro fratribus Dominico Benedicti (2), Martino de Gruyoll (3), Matheo de Tallan, Iohanne de Moriaco, et pro quibus intendunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Berengario de Castro Parisio quil. sacerdos duas missas.

Pro domino de Landorra quilibet sacerdos duas missas.

Pro domino Antonio de Breveradinis, domino de Cassalerio (4) quilibet sacerdos duas missas.

Pro patribus provincialibus, diffinitoribus atque lectoribus presentis capituli generalis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domino Guillielmo Puyol, et hiis, qui benefecerunt capitulo et fratribus, qui laboraverunt pro eodem, quil. sacerd. unam mis.

Item. Significamus fratribus universis, quod reverendus pater fr. Petrus (5), prior provincialis in provincia Aragonie, prout vicarius ordinis generalis nuper in curia Romana existens, concessit serenissimo principi domino duci Bituricensi (6), nostri desolati (7) ordinis singularissimo

---

10) Oscensi] Octunensi AB.

---

(1) De cardinalibus hic nominatis cf. supra pag. 42.

(2) Forte idem, de quo supra p. 28 l. 20 et de quo Eubel l. c. 666.

(3) De fr. Martino de Gruyoll cf. supra pag. 22 l. 30

(4) Haud dubie idem est ac Antonius Bermundi de de Casperio, de quo supra pag. 45.

(5) Petrus Corregerii, de quo supra pag. 41.

(6) Cf. Denifle l. c. n. 1594 not. 3.

(7) Propter Ioannem de Montesono; cf. Denifle l. c.

protectori, quod quilibet conventus ordinis usque ad annum ordinaret unum fratrem, qui pro eo singulis diebus missam tenebitur celebrare, quodque in primo cuiuslibet mensis eiusdem anni quilibet conventus tenebitur missam cum nota celebrare de beato Iohanne baptista et beato Andrea alternando; et insuper quod post obitum ipsius serenissimi principis in die sui obitus fiet per totum ordinem pro eo anniversarium solempne; quam concessionem approbamus et ratificamus presencium per tenorem.

Hec sunt suffragia pro defunctis.

Pro illustrissimo ac magnifico quondam domino Petro, rege Aragonie, et domina regina quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo in Christo patre fr. Helia, quondam magistro generali nostri ordinis (1), quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo patre in Christo domino Amelio, cardinali Convenarum (2), quilibet sacerdos unam missam.

Pro fratribus nostris defunctis a capitulo Rutenensi citra, et pro domino cardinali Convenarum, qui habebat litteram a magistro ordinis, quod post mortem suam fieret pro eo per totum ordinem sicut pro fratre defuncto, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro qualibet missa superius posita quilibet frater clericus non sacerdos septem psalmos, et quilibet conversus centum Pater noster dicat.

Salve regina et litania more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus post tres annos in conventu Narbone (3) provincie Provincie in festo pentecostes celebrandum. Et volumus et ordinamus, quod nullus frater ad dictum capitulum veniat sine licencia magistri ordinis vel provincialis provincie Provincie. Priores autem provinciales, qui illo anno diffinient, intrent locum et conventum capituli dominica infra octavam ascensionis Christi cum sociis suis. Nullus autem aliorum fratrum, eciamsi licenciam habeant veniendi ad capitulum, ingrediantur locum capituli ante feriam sextam festivitatem pentecostes immediate precedentem; et hoc inhibemus per preceptum.

Expliciunt acta capituli generalis apud Cesaraugustam celebrati anno domini · m°· ccc°· xci°·

---

(1) Cf. supra pag. 54 not. 2.

(2) Amelius de Lautrico, tit. s. Eusebii, obiit Avinione 1390 Iunii 7. EUBEL *Hierarchia* XXX, 22.

(3) Anno 1394 capitulum generale celebratum est Narbonae, cuius tamen acta desunt. Quarumdam tamen ordinationum mentio fit in actis capituli sequentis.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD CLAROMONTEM CELEBRATI SUB REVERENDISS. PATRE FR. NICHOLAO DE VALLEOLETI (1) MAGISTRO ORDINIS PREDICATORUM GENERALI IN FESTO PENTECOSTES ANNO DOMINI · M° · CCC° · XC° · VI° ·

Incipit littera domini nostri pape Benedicti XIII.

Benedictus episcopus servus servorum dei dilectis filiis magistro et fratribus ordinis predicatorum Claromonte in capitulo generali proxime celebrando congregandis salutem et apostolicam benedictionem. Si fructus uberes, quos venerandus ordo vester per universum orbem diffusus in ecclesia dei producit et produxit et multiplicat incessanter, debita consideracione pensemus, si sancta et preclara opera gloriosi ac beati Dominici, capitis vestri, aliorumque sanctorum et ceterorum dicti ordinis fratrum in conspectu domini suavitate odoris redolencia ad recte consideracionis iudicium deducantur, vix ordo ipse dignis poterit laudibus celebrari, sed magis videtur indicta necessitas fratribus dicti ordinis, ut huiusmodi sanctorum sequantur vestigia menteque ac corpore eorum semitas. Nos itaque, qui licet immeriti, eidem ecclesie presidemus, ad prefatum ordinem sincerum et precipuum habentes dilectionis affectum ipsummet ac fratres eius plenis caritate visceribus amplectentes, universitatem vestram paterna caritate monemus et exhortamur in domino, quatenus in vestro generali capitulo, quod debetis in dicta urbe celebrare, pre oculis solum deum habentes, ad dictam ipsius ordinis reformacionem, ad eiusdem sancta statuta inviolata servanda et augenda, ad aliarum personarum in proprio ordine degencium, earumque vite profectum et tranquillitatem puris mentibus et secura consciencia intendatis, ut consequamini tamquam bonorum operum sectatores premium retribucionis eterne. Verum quia huius mundi mare, peccatis exigentibus, periculosis procellis et tempestatibus agitatur, et Petri navicula, cuius, licet immeriti, gubernaculo presidemus, vehemencioribus semper fluctibus concutitur, nostris exhortacionibus addimus, ut apud dominum, qui ventis imperat atque mari, oraciones devotas et humiles effundatis, ut cunctis Christi fidelibus pacem concedat, et ecclesie sue securam tribuat liber-

(1) Fr. Nicolaus de Valleoleti electus est mag. gen. in capitulo generali Narbonae cel. anno 1394; obiit anno 1397 mense nov.; de eo cf. MOPH. VII, 62 sqq.

tatem, et sic mentem et manus nostras debiles roboret atque confirmet, ut commissum nobis gregem custodire possimus, et tandem huius misere vite cursu finito, una congregacione cum ipso ad celestis patrie gloriam perducamur. Et quia vos dignos esse censemus, ut vos nostris et eiusdem ecclesie spiritualibus semper favoribus et graciis muniamus, de omnipotenti dei misericordia et beatorum Petri ac Pauli apostolorum eius autoritate confisi, omnibus vobis in capitulo ipso presentibus et venientibus ad illud ac recedentibus ab eo, ut confessor, quem vestrum quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, illis videlicet, quos mori contigerit veniendo ad ipsum capitulum et stando in ipso capitulo, vel ab eo recedendo in mortis articulo dumtaxat plenam remissionem vobis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie ac obediencia et devocione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrancium persistentibus, auctoritate apostolica concedere valeat, devocioni vestre tenore presencium indulgemus; ac insuper omnibus vobis in capitulo ipso presentibus et hiis eciam ex fratribus dicti ordinis, qui venientes ad illud legitimo impedimento detenti in eo interesse nequiverunt, qui estis vel qui sunt in statu gracie, vel post dictum capitulum infra octo horas eritis vel erunt, tres annos et tres quadragenas de iniunctis eis penis misericorditer relaxamus. Datum Avinione XIV. kalendas maii pontificatus nostri anno secundo.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores conventuales: Cenomanensem, Abricensem (1), Divionensem, Lexoviensem, Virdunensem, Ebroicensem, Blesensem, Lugdunensem, Dinanensem, Matisconensem, Gebennensem, Belveariensem; et volumus et ordinamus, quod in istis actis priores noviter absoluti ad eadem officia in eisdem conventibus nullatenus assumantur.

Committimus priori provinciali provincie, ut ipse provideat de vicariis in conventibus, quorum priores fuerunt absoluti in isto generali capitulo, secundum quod videbitur expedire.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Eciam cum penis impositis propter reparandam sequelam chori, refectorii et communitatis iuxta ordinaciones factas in duobus capitulis generalibus immediate precedentibus (2) prohibemus sub pena privacionis vocis, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis existat, nisi sit debilis vel infirmus, extra unum de quatuor locis comestioni fratrum in ordine regulariter deputatis, vel ubi non sunt, per provinciales, quibus

(1) Legendum esse arbitror « Atrebatensem ».
(2) Cf. supra pag. 49 l. 10 sqq.

committimus, in suis provinciis deputandis, comedat ordinarie in prandio vel in cena. Prohibentes sub pena eadem prioribus et ceteris presidentibus et procuratoribus conventuum, quod pulmenta carnium non dentur, nisi secundum tenorem constitucionis. Mandantes, quod qualibet die comedat prior vel alius presidens vel unus de consilio, cui vices suas committat in refectorio, et quod omnino medietas conventus vel maior pars ibi comedat cum eisdem, nisi legitima impedimenta obsistant; imponentes prioribus provincialibus vel diffinitoribus capitulorum provincialium, quod priores vel presidentes, quos in premissis in suis provinciis invenerint negligentes, absolvant indilate ab officio presidendi. Mandantes eisdem prioribus et aliis presidentibus et procuratoribus conventuum, quatenus nulli fratres, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, triplicent vel multiplicent ordinariam pictanciam conventus sive vinum, ubi dari est solitum ad mens(ur)am; nec volumus, quod illi, qui carnes comedunt, pictanciam recipiant refectorii, vel qui extra conventum comederint, pro illa refectione panem et vinum et pictanciam refectorii ex iniquo fine, quod (1) pressisse alioquin allegatur, si vendidissent ullo modo, alias prefati presidentes et ministri, si contrarium fecerint, ad solvendum tantum conventui teneantur, super quo eorum consciencias oneramus. Fratres vero ceteri predictis presidentibus et ministris contenciose et tumultuose discordias excitantes predictis pictanciis conventualibus per triduum per nos se noverint privatos. Adiicientes pro sequela chori reparanda, quod nullus socius cuiuscumque fratris nisi debilis vel infirmi aut regentis vel legentis ab officio altaris in ecclesia sit quomodolibet excusatus, super quibus omnibus gracias et exempciones, per quemcumque factas, et pravas consuetudines penitus revocamus.

Item. Cum propter translacionem fratrum nostri ordinis imperfectam de provincia et conventu, pro quibus sunt recepti, ad provinciam et conventum, pro quibus non sunt recepti, interdum conventibus acciderit damnum et iactura, de cetero cupientes de remedio providere opportuno, volumus et ordinamus, quod fratres sic translati redeant ad conventus, pro quibus fuerunt recepti vel ad alios, quibus per suos superiores secundum morem ordinis fuerint assignati, quibus eciam tenore presencium eos assignamus. Quod si predicti fratres sic per nos revocati ad dictos conventus ire neglexerint vel noluerint, eos tenore presencium omnibus graciis ordinis et omni voce privamus, et si presidentes conventuum eos ire non compulerint, in penam ex nunc pro tunc bona talium fratrum in hoc non obediencium post mortem eorum reverendissimo magistro ordinis et provinciali illius provincie ad relevamen expensarum ordinis

(1) Quod — modo *locus corruptus.*

et provinciarum presenti statuto applicamus, per medium dividendo, ita quod predicti magistri et provinciales teneantur de illis in suis capitulis reddere racionem; quam ordinacionem nolumus intelligi de illis, qui sint assignati propter officium vel propter scandala et commissa vicia aut propter conventuum novitatem; omnem autem graciam, factam cuique in contrarium premissorum, penitus annullamus.

Item. Cum paupertas nostre religionis sit simpliciter denigrata, volumus et mandamus, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis existat, teneat possessiones vel redditus vel utatur rebus quibuscumque temporalibus modo mercatorio per se vel per alium, in conventu vel extra, nec quecumque bona deponere aut tradere presumat personis quibuscumque extra obedienciam nostri ordinis; adiicientes, quod nullus frater faciat donacionem de bonis sibi appropriatis cuicumque persone in ordine aut extra ordinem in vita sua vel post mortem per autoritatem cuiuscumque. Omnem autem donacionem hactenus factam sub quacumque forma verborum et omnem approbacionem factam hoc modo per quemcumque totaliter annullamus; prohibentes omnibus fratribus nostri ordinis, quod nullus de cetero audeat emere redditus aut possessiones seu vitalicia aut pensiones, sive quocumque alio nomine nominentur. Si quis vero de cetero inventus fuerit defecisse in premissis vel in aliquo premissorum, ex nunc eundem vel eosdem omnibus talibus bonis privamus et suis conventibus simpliciter applicamus. Quod si presidentes conventuum neglexerint talia bona occupare, ex nunc pro tunc talia bona magistro ordinis reverendissimo et provincialibus applicamus modo superius expresso. Volentes nichilominus, quod fratres, qui iam hactenus de licencia ordinis conventui alicui de aliqua re temporali sive infra ordinem sive extra fecerint instrumenta, tales conventus teneantur infra tres menses a publicacione presencium, ut moris est in conventibus, ponere in communi conventus deposito, alioquin auferentes ea supra dictis conventibus, magistro ordinis reverendissimo et provincialibus modo, quo supra, applicamus presencium per tenorem.

Item. Cum propter laxacionem linguarum indiscretam quotidie scandala multa et pericula oriantur, volumus et ordinamus, quod quicumque frater nostri ordinis indiscrete et temerarie, publice in disputacione, lectione vel sermone aliquid dicere ausus fuerit contra statum sancte ecclesie, et precipue contra sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum papam Benedictum XIII. et quemcumque alium successorem canonice intrantem, aut contra statum reverendissimorum dominorum cardinalium, seu contra alios ecclesie sancte dei prelatos, vel contra principes, reges et dominos seculares, seu contra aliquam universitatem vel communitatem, unde merito et racionabiliter possint offendi, iudicio di-

scretorum, quod talis tamquam destructor nostri ordinis habeatur et puniatur, et nichilominus a communicacione aliorum sit penitus alienus; insuper ipsum omnibus graciis ordinis, omni voce et omni gradu privamus per presentes.

Item. Studium ordinis, ut tenemur, promovere ex animo cupientes ordinaciones factas circa studium reparandum in precedenti immediate capitulo Narbonensi, quarum prima incipit: « Profectui fratrum et honori studiorum »; secunda: « Cum ex fundamento sancte religionis nostre fratres studiis fructuosis intendere habeant » eciam cum omnibus clausulis et penitenciis in eisdem contentis tenore presencium renovamus et volumus in suo robore permanere. Adiicientes nichilominus ad easdem, quod studentes in quocumque studio generali nullam dissolucionem aut ludum in conventu vel extra faciant indecenter in suo bejannio vel alias. Prohibentes sub vocis privacione tum illorum, qui compulerint ad hoc, tum illorum, qui solverint, quod pro bejannio, sermonibus, collacionibus et functionibus, que inibi sunt fiende, omnes expense non excedant valorem duorum currencium florenorum; et predicta puncta de studentibus in prefatis ordinacionibus contenta intelligimus tam de Parisiensi studio quam de quocumque alio ordinis studio generali. Volentes et mandantes, quod magistri arcium legant suis discipulis repetendo, ita quod postquam magister dixerit partem plene, ipsi discipuli bis repetant partem ipsam, et in fine ebdomade magistri requirant lectiones tocius ebdomade ab eisdem, et ipsi discipuli easdem lectiones eidem magistro reddere teneantur. Magistris vero negligentibus et circa premissa deficientibus annus non computetur ad cursum et discipuli non obedientes non promoveantur per provinciale capitulum ad maiora.

Item. Innovamus ordinacionem factam in capitulo Narbonensi, que incipit: « Cum in nostro ordine sit notabiliter denunciatus numerus fratrum », et ordinamus, quod presidentes conventuum sub pena suspensionis ab officiis de noviciorum instructione et temporali provisione, et de non mittendo eos extra, nisi in casu necessitatis et urgenti, iudicio discretorum, diligenter vigilent et laborent; circa quod concedimus presidentibus conventuum, ubi vigent studia generalia ordinis et provinciarum et conventus, ubi curia residebit pro tempore, quatenus iuvenes aptos et idoneos, de quibuscumque partibus venerint, possint ad ordinem recipere, et si illis conventibus propter victus penuriam fuerint onerosi, remittantur ad suas provincias vel conventus suos nativos; mandantes presidentibus dictorum conventuum, quod eos recipiant benigne et pertractent sub pena premissa suspensionis. Prohibentes, quod de cetero nulla camera vel cella vacans alicui concedatur vel vendatur per aliquem inferiorem magistro ordinis reverendissimo, quamvis sit nume-

rus competens cellarum pro priore, subpriore et lectoribus et hospitibus recipiendis et infirmis debite curandis. Omnem autem destinacionem seu concessionem factam cuicumque in contrarium premissorum penitus revocamus.

Item. Conformando nos in ordinacionibus sepe in ordine factis in capitulis generalibus Cesaraugustano (1) et Narbonensi precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis presidentibus nostri ordinis, quatenus nullum fratrem exponant ad audiendam confessionem, nisi electum per provincialem, vel sine presentacione ab eodem provinciali habeant huiusmodi commissionem, nec exponant ad officium predicacionis aliquem fratrem, nisi electum et examinatum per provincialem vel per duos vel plures probos fratres ad hoc per eum deputatos, quorum super hoc consciencias oneramus; quibus provincialibus et commissariis eorundem sub eodem precepto mandamus, quatenus in omnibus conventibus sibi subditis diligenter inquirant de sufficiencia et bonitate exponendorum et iam expositorum ad predictum officium confessionum et predicacionis; et quos idoneos repererint, confirment, alios autem ineptos totaliter prohibeant et expellant per omnem ordinis censuram, eciam auctoritate nostra. Fratres vero idonei, quos deus fecerit aptos ad predicacionis officium tam salubre, sint notati ad predicandum pro eis, quibus ex officio incumbit; quod si predicare recusaverint, cessante legitimo impedimento, iudicio prioris conventus et discretorum, quod pro tempore intimare teneantur, omnibus graciis ordinis et omni voce privamus. Prohibentes predictis presidentibus conventuum sub premisso precepto, quatenus nullum fratrem licencient ad sacros ordines recipiendos, nisi idoneos secundum iura sciencia, moribus, etate, et de licencia prioris sui provincialis.

Item. Innovamus ordinacionem factam in capitulo Narbonensi immediate precedenti; que incipit: « Scandalis et periculis obviare volentes », que loquitur de armis, famulis, equitaturis, vestibus et rasura, contra statuta ordinis non habendis, cum omnibus clausulis et penis in eadem contentis, precipientes omnibus et singulis presidentibus, quatenus omnem fratrem solitarie et sine socio ordinis incedentem, non habentem litteras testimoniales sui superioris, vel arma indebite portantem, vel habitum ordinis occultantem carceri mancipent sine mora, nisi sit causa racionabilis et urgens iudicio discretorum, quos nos adiudicamus penis et privacionibus obnoxios debitis iuridice incarceratis.

Item. Innovamus ordinacionem factam sepe in capitulis generalibus de inventariis duplicatis faciendis in quolibet conventu et anno quolibet

(1) Cf. supra pag. 46 l. 29 sqq.

renovandis. Presidentes circa hoc negligentes per superiores suos in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Propter relevamen conventuum, qui tolerant onera generalium studiorum, circa ordinacionem factam in precedenti capitulo Narbonensi de baccalaureis extraordinariis in conventu Tholosano, qui legunt extra conventum, qui ideo dicuntur extraordinarii, quia non sunt assignati per capitulum generale ad legendum ibi, decretamus, volumus et ordinamus, quod tales baccalaurei, qui ibi extiterint per aliquam partem anni ad suos actus scholasticos exequendos vel extra tenendos, cum per hoc compleant cursum suum, teneantur solvere totam contribucionem taxatam in dicto capitulo Narbonensi pro toto anni tempore, et non pro parte.

Item. Declaramus, quod tales baccalaurei extraordinarii, si procurent sibi officium magistri studencium ordinarii in preiudicium alterius, vel fraude non solvendi predictam contribucionem, nullo modo sint a solvenda tali contribucione excusati, nec eos volumus esse excusatos, nisi generale capitulum vel reverendissimus magister ordinis ex defectu [vel] eciam [causa] racionabili et urgenti aliter ordinaret.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fr. Albertum Roberti (1) de provincia Francie, cui substituimus fr. Iohannem Stephani (2) de eadem provincia in casu, in quo ipsum contigerit impediri. Item ibidem pro primo anno extraneis debito ad legendum sentencias assignamus fr. Iohannem de Merula (3) de provincia Tholosana, cui substituimus fr. Iohannem de Lacu (4) de provincia Provincie. Item pro secundo anno intraneis debito, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum sentencias fr. Iohannem Stephani. Item ibidem pro secundo extraneis debito, quantum nostra interest, disponimus ad legendum sentencias fr. Raymundum Burgeti (5) provincie Aragonie. Committimus autem provinciali Francie, quod de auctoritate nostra de biblico idoneo ibidem valeat providere.

Item. Assignamus ad legendum sentencias Tholose pro anno presenti fr. Guillelmum Thome eiusdem provincie. Item ibidem pro primo anno extraneis debito ad legendum sentencias assignamus fr. Petrum de Marologio (6) de provincia Francie, cui substituimus in casu, in quo ipsum

(1) De fr. Alberto Roberti cf. supra p. 52.
(2) De fr. Ioanne Stephani cf. ibid.
(3) De fr. Ioanne de Merula cf. supra pag. 34.
(4) De fr. Ioanne de Lacu cf. ibid. p. 36.
(5) Raymundus Burgeti idem esse videtur ac Raymundus Burgesii, de quo supra pag. 20.
(6) De fr. Petro de Marologio cf. supra p. 52.

contigerit impediri fr. Petrum Solani (1) de provincia Provincie. Item pro secundo anno intraneis debito assignamus ad legendum sentencias ibidem fr. Bernardum Bousseli de eadem provincia, cui substituimus fr. Iohannem de Monte Mayrano de eadem provincia. Item pro secundo anno extraneis debito, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias ibidem fr. Vitalem de Montiliis (2) de provincia Provincie, cui substituimus fr. Eustachium de Valle de provincia Francie. Item ibidem pro anno presenti assignamus pro magistro studencium fr. Petrum de Marologio de provincia Francie, cui substituimus fr. Alfonsum Pelegri de provincia Hispanie, quem habilitamus ad legendum sentencias ibidem. Item ibidem pro anno sequenti assignamus pro magistro studencium fr. Bernardum Bosceneli (3) de eadem provincia, cui substituimus fr. Bernardum de Fronciaco. Committimus autem provinciali Tholosano, quod de auctoritate nostra possit ibidem de idoneo biblico providere. Item disponimus ad legendum sentencias ibidem fr. Benedictum Villareti (4) de provincia Provincie.

Assignamus in conventu Montispesulani pro lectore principali pro anno presenti fr. Iohannem Lombardi (5), magistrum in theologia, cui substituimus fr. Avinionem Nicholai (6) magistrum, quem assignamus lectorem principalem in eodem conventu pro secundo anno. Ad legendum sentencias ibidem assignamus pro anno presenti fr. Iacobum Berengarii, cui substituimus fr. Petrum Durandi. Pro secundo anno assignamus ad legendum sentencias ibidem fr. Stephanum Bonis, cui substituimus fr. Petrum Maurelli. Item ibidem pro magistro studencium pro anno presenti assignamus fr. Stephanum, cui substituimus fr. Stephanum Bonis. Item pro secundo anno pro magistro studencium assignamus fr. Petrum Vabri (7), cui substituimus fr. Iohannem Villata. Item ibidem ad legendum bibliam assignamus fr. Stephanum Bertrandi.

In conventu Avenionensi pro lectore principali assignamus ad duos annos fr. Petrum Baliste (8) magistrum in theologia. Ad legendum sentencias ibidem assignamus pro primo anno fr. Petrum Vabri.

In conventu Perpinianensi pro lectore principali assignamus fr. Dominicum Ianuarii, magistrum in theologia, cui substituimus fr. Iohan-

---

(1) De fr. Petro Solani cf. supra pag. 52.
(2) De fr. Vitali de Montiliis cf. supra p. 35.
(3) Forte legendum est B. Boscarelli, de quo supra p. 53.
(4) De fr. Benedicto Villareti cf. Eubel l. c. 877.
(5) De fr. Ioanne Lombardi cf. supra p. 3.
(6) De fr. Avinione Nicolai cf. supra p. 53.
(7) De fr. Petro Vabri cf. Eubel l. c. 879.
(8) De fr. Petro Balistae cf. l. c. 658, 684.

nem Rocheti. Ad legendum vero sentencias ibidem fr. Petrum Cannarin. Committimus provinciali Provincie, quod de magistro studencium et biblico valeat providere in eodem conventu.

In conventu Salmantino pro lectore principali fr. Gonsenum de Alba (1), magistrum in theologia; ibidem ad legendum sentencias assignamus pro presenti anno fr. Petrum de sancto Andreano. Pro secundo anno fr. Iohannem Garsiam Fernandi Legionensem.

In conventu Vallisoletano assignamus pro lectore principali pro primo anno fr. Iohannem de Urllaensi (?); pro secundo fr. Iohannem de Carnicione. Ad legendum sentencias ibidem fr. Velascum de Septempublica.

Committimus provinciali Aragonie disposicionem studii Barchinonensis, ut ipse de lectoribus, baccalaureis, magistris studencium et biblicis provideat, prout sibi videbitur pro honore illius studii expedire.

Item ordinacionem studii generalis conventus sancti Dominici de Neapoli committimus priori provinciali illius provincie, ut ipse de lectoribus, baccalaureis, magistris studencium, et biblicis provideat, prout ei videtur expedire.

Approbamus autem commissionem factam in capitulo Narbonensi immediate precedenti provinciali regni Sicilie, cum clausulis in ea contentis.

In conventu Augustensi (2), ad quem translatum est studium Mediolanense in capitulo Narbonensi assignamus pro lectore principali fr. Iohannem Segucie inquisitorem. Committimus autem provinciali Lombardie superioris, ut ipse de baccalaureis et magistris studencium provideat, prout sibi videbitur expedire.

Committimus autem magistro ordinis reverendissimo ordinacionem studiorum generalium, ut ipse de lectoribus principalibus, baccalaureis, magistris studencium et biblicis aut studentibus provideat, sicut honestati et utilitati ordinis videtur expedire.

Item preceptum in virtute sancte obediencie datum priori et magistris regentibus in conventu Tholosano in precedenti capitulo Narbonensi, quod incipit: « Precipimus in virtute sancte obediencie » de non presentando ad lecturam sentenciarum, nisi primo iuraverint, cum omnibus suis clausulis confirmamus et volumus in suo robore permanere. Sub eodem precepto prohibentes omnibus et singulis magistris in theologia nostri ordinis ibidem formatis, quatenus nullus magister, postquam ha-

12) Barchinonensis] de Chinonensi AB.

(1) De fr. G. de Alba cf. supra p. 35.
(2) Forte legendum est « Astensi ».

buerit ibidem cursum regencie, et alius sibi successerit in eadem regencia, nullatenus sine licencia ordinis dictam regenciam reassumat.

Committimus reverendo magistro ordinis, quatenus provinciis Grecie et Terre sancte quocienscumque et quandocumque aliqua ipsarum priore provinciali carere contigerit, eisdem provinciis et earum cuilibet possit de prioribus provincialibus providere.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alteri iniunctam per quamcumque personam extra nostri ordinis obedienciam constitutam revocari, vel in aliqua provincia vel conventu, studio vel officio aut universitate ad legendum sentencias vel bibliam vel aliud, vel ibi poni vel inde removeri, remanere vel restitui procuraverit, vel aliquo predictorum ad preces talis sibi per ordinem concessorum usus fuerit in toto vel in parte, seu qui fratrem vel ordinem apud quascumque personas extra ordinem per se vel per alium infamaverit, vel dicta aut facta fratrum ordinis, ex quibus ordo intra vel extra racionabiliter infamari posset, quibuscumque personis extra nostri ordinis obedienciam constitutis per se vel per alium revelaverit, aut qui ad Romanam curiam sine licencia magistri ordinis accesserit, seu qui ibidem ultra terminum prefixum remanserit, vel per eam solus sine socio fratre discurrerit, vel se infra diem naturalem magistro ordinis ibi existenti vel procuratori ordinis vel eius locum tenenti non presentaverit, vel qui in eadem Romana curia negocium quodcumque alicuius ponderis sine sciencia vel licencia magistri vel procuratoris ordinis vel eius locum tenentis tractare presumpserit, vel qui priori suo dixerit: « Vos non estis meus prior », dum tamen per hoc a sua obediencia se subtraxerit, quilibet in aliquo premissorum ex certa sciencia et proposito deficiens transgressionem precepti et excommunicacionis sentenciam ipso facto incurrat, quam reverendissimus pater magister ordinis tulit iuridice in diffinitorio, nobis presentibus, de omnium nostrum consilio pariter et assensu; cuius absolucionem sibi soli quoad omnia, ac eciam procuratori ordinis quoad precepta dumtaxat, que ad Romanam curiam pertinere dignoscuntur, retinuit ac eciam reservavit. Mandantes dicto procuratori ac eciam committentes universis presidentibus ordinis et eis districtius iniungentes, quatenus omnem fratrem, quem repererint in premissorum aliquo deliquisse, penis transgressoribus sentencie excommunicacionis debite iuxta tenorem nostrarum constitutionum puniant ac incarcerent indilate.

Concedimus autem omnibus et singulis provincialibus nostri ordinis ac vicariis generalibus provinciarum, quatenus pro negociis suarum provinciarum aut conventuum seu monasteriorum aut fratrum possint ad

Romanam curiam mittere duos fratres tociens, quociens videbitur expedire. Provincialis vero illius provincie, ubi Romana curia residebit, possit illuc licenciare fratres sue provincie, prout honestati ordinis et necessitati eorundum viderit expedire; qui tamen omnes fratres, postquam ad Romanam curiam pervenerint, procuratori ordinis seu ipsius vicario se presentent infra terminum sibi assignatum, et ad omnia alia puncta Romanam curiam tangencia ut ceteri fratres sint simpliciter obligati.

Precipimus autem in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus ac vicariis eorundem, ut infra octavas festi natalis domini mittat quilibet eorum procuratori ordinis in Romana curia sex florenos de Florencia vel eorum valorem pro expensis ibidem factis vel faciendis per eundem, et quidquid debent dicto procuratori ordinis de resto temporis elapsi.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino nostro papa Benedicto XIII. et pro bono statu eius et tocius ecclesie universalis quilibet sacerdos tres missas; et volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu nostri ordinis unus frater notetur singulis septimanis, qui omni die celebret pro bono statu suo et tocius ecclesie sancte dei; de quo nullus frater, cuiuscumque gradus existat, se valeat excusare. Insuper ordinamus, quod in singulis missis conventualibus, nisi sit duplex et supra, aut processio vel sermo in missa, aut missa defunctorum, post Pater noster a fratribus prostratis dicatur psalmus « Deus in adiutorium » cum « Kirie eleison », et Pater noster, et sequatur voce mediocri: « Et ne nos inducas », cum his versiculis: « Post partum virgo », « Oremus pro domino papa », « Salvum fac »; « Fiat pax »; « Dominus vobiscum » cum his oracionibus: « Protege domine famulos »; « Deus omnipotens »; « Ecclesia » et « Deus, a quo » et in fine horarum cum « Salve regina » et aliis collectis solitis addatur: « Deus omnipotens » et « Ecclesie tue ».

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino cardinali de Agrifolio (1), protectore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino cardinali Saluciarum quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus et dominis dominis cardinalibus Neapolitano, de Murolio, de Rosorino (2) et Veneciarum et domino Bonifacio protonotario quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus et dominis dominis cardinalibus Florentino, Auxitano et Vernio quilibet sacerdos unam mis.

---

(1) De cardinalibus hic nominatis cf. EUBEL *Hierarchia* XXX et XXXI.

(2) Forte legendum est « Giffonio » cf. l. c. XXX, 6.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus et dominis dominis cardinalibus Ambianensi, Prenestino, Albanensi, sancti Marcialis, Pampilonensi et sancti Angeli quilibet sacerdos unam missam.

Pro toto venerabili collegio reverendissimorum in Christo patrum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendo in Christo patre et domino domino episcopo Claromontensi et pro bono statu tocius generis sui, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro reverendo patre in Christo domino episcopo Aquensi, fratre ordinis (1), qui capitulum procuravit et recreavit una die, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissima domina sorore Maria de Borbonio, priorissa Pissiacensi, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili collegio ecclesie cathedralis Claromontensis, et aliis venerabilibus collegiis, abbatibus et abbatissis, ceterisque vicinis, ac domina abbatissa Vallimontis cum monialibus suis et toto clero eiusdem civitatis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili fr. Bonito, inquisitore Carcassone, [fratre] nostro (2), qui capitulum procuravit, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo patre magistro ordinis, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino Carolo, rege Francorum, et pro bono statu regni sui, quilibet sacerdos duas missas; et volumus, quod processiones in dominicis et festis precipuis in conventibus, et antiphona preclara « sub tuum presidium » cum suis versiculis et oracionibus cantentur, sicut in precedenti capitulo Narbonensi extitit ordinatum.

Item. Pro illustrissima domina regina consorte sua et liberis eorundem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissima domina regina Blanca quil. sacerd. unam mis.

Item. Pro illustrissima domina regina Sicilie, et illustrissimis dominis domino Ludovico rege Sicilie et Ierusalem, et domino principe Tarentino, filiis suis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo principe domino duce Biturie, et domina ducissa consorte sua, ac Iohanne, comite Montispesulani, eius filio cum consorte sua, quilibet sacerdos unam missam vel duas missas.

34) Biturie] Victorie AB.

(1) Petro scilicet Troselli, s. theol. mag.; de quo Eubel *Avign. Obed.* 693.

(2) De fr. Bonito Litelli, provinciali prov. Franciae, ab anno 1391 II. non. dec. inquisitore Carcassonen. cf. Eubel l. c. 275, 297, 298, 326, 668, 694; MOPH. IV, 426.

Item. Pro serenissimo principe domino duce Burgundie, et domina ducissa consorte sua, ac domino comite Nivernensi filio suo ac liberis eorundem quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro inclitis principibus ac dominis, domino duce Aurelianensi, domino duce de Borbonio, et domino duce Britannie cum consortibus ac liberis eorundem, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro nobilibus viris ac dominis, domino comite Dalfinii, domino Gauffrido de (Bononia vel) Bolonia, domino de Monte Gasionis, domino Antonio filio eius, domino Petro de Giaco, domina de Turre cum filiis suis, domina de Monte Leone et viro et liberis, domino Roberto de Catalussuo, domino de Celetri, domicello Bernardo de Rupeforti, domicello Bernardo Arnardi et aliis nobilibus, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro omnibus illis, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro nobili domina de Volebero, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu civitatis Claromontis et aliarum communitatum Alvernie, que benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostri ordinis, familiaribusque nostris et benefactoribus quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabilibus patribus diffinitoribus, qui in presenti capitulo generali diffinierunt, et pro quibus intendunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili fr. Guardo Garandelli, priore Vicenensi (1), et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro anima sanctissimi in Christo patris et domini domini pape Clementis VII. (2) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima reverendissimi in Christo patris ac domini domini fr. Nicholai de sancto Saturnino cardinalis (3), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima reverendissimi patris domini Lingonensis episcopi ultimate defuncti (4), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima sororis Isabelle La Mareschale, quondam socie domine priorisse Pissiaci, quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) Forte « Viennensi ».

(2) Obiit Clemens VII die 16. sept. 1394.

(3) De fr. Nicolao de s. Saturnino cf. supra pag. 11; obiit 1382 ian. 23.

(4) Bernardi scl. de la Tour d'Auvergne, qui obiit 1395 ian. 1; cf. EUBEL *Hierarchia* pag. 320.

Item. Pro animabus fr. Bartholomei de Anxiaco (1), quondam provincialis Francie, Genovefe La Marcelle sororis monasterii de Pissiaco, et domini Vincencii Georgneti quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus illorum, pro quibus intendit reverendissimus pater magister ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum, sororum, familiarium et benefactorum vel in habitu ordinis sepultorum, et pro illis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis, et pro quibus intendunt venerabiles fratres Gerardus penitenciarius domini pape (2), et Iohannes Georgneti, magister in theologia, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima domine Sibille, quondam matris domini Gastonis, rectoris comitatus Venaicini, quilibet sacerdos unam missam.

Pro qualibet missa superius adnotata quilibet frater clericus non sacerdos septem psalmos penitenciales, et quilibet frater conversus centum Pater noster cum totidem Ave Maria dicant.

Salve regina et litania more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus ad duos annos in conventu Lemovicensi (3) provincie Tholosane in festo pentecostes celebrandum; et volumus et ordinamus, quod nullus frater ad dictum capitulum veniat sine licencia magistri ordinis reverendi vel prioris provincialis provincie Tholosane. Diffinitores autem, qui illo anno diffinient intrent locum et conventum capituli dominica infra octavas ascensionis domini cum sociis suis. Nullus autem aliorum fratrum, etsi licenciam veniendi ad capitulum habeat, ingrediatur locum capituli ante feriam sextam festum pentecostes immediate precedentem.

Expliciunt acta capituli generalis apud Claromontem de Alvernia in festo pentecostes celebrati anno et die, de quibus supra.

(1) De fr. Bartholomaeo de Ansiaco cf. MOPH. IV, 440.

(2) De fr. Gerardo cf. supra pag. 28.

(3) Acta Lemovicensis capituli anno 1399 celebrati, necnon acta capituli Montispessulani cel. anno 1401 hucusque desunt.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
IN CONVENTU PALENCIE PROVINCIE HISPANIE
IN FESTO PENTECOSTES CELEBRATI
ANNO DOMINI M°. CCC°. III°.

Sub reverendissimo patre fr. Iohanne de Podionucis (1), magistro ordinis, ac fratribus Iohanne de Maiore (2), diffinitore Hispanie, Iohanne Pasturelli, magistro diffinitore provincie Tholosane, Nicholao de Homburgo (3), magistro diffinitore Francie, Stephano Michaelis (4), diffinitore Aragonie, Hugone Claperii (5), priore sancti Maximini, diffinitore provincie Provincie, Dominico de Sole, diffinitore provincie Lombardie superioris.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores conventuales: Bitherrensem, Astigiensem (!), et Toletanum; et volumus et ordinamus, quod priores in hiis actis absoluti, et qui per litteras absolventur, ad eadem officia hoc anno in eisdem conventibus [non] valeant reassumi.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod totum officium diurnum beatissime virginis dicatur in choro, sonato secundo signo, immediate ante officium diei. Pariter completorium, quod dicatur, sicut est hactenus consuetum; et [hec] habet duo capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Inprimis volumus et ordinamus, quod fratres iacentes infra clausuram dormitorii, qui de matutinis beatissime virginis remanserint sine sui expressa licencia presidentis, pro qualibet vice sequenti die vino et pictantia sint privati, magistris in theologia, licenciatis, iubilariis ac baccalaureis et aliis lectoribus, qui suas actu continuant lectiones, exemptis.

Item. Ordinacionem precedentis generalis capituli de non comedendo extra quatuor loca ordinaria sub pena privacionis vocis ipso facto, et de comedendo quotidie in refectorio cum fratrum numero competenti, et de

(1) De fr. Ioanne de Podionucis, mag. gen. electo in capitulo generali Lemovicis celebrato anno 1399, cf. MOPH. VII, 68 sqq.

(2) Forte idem est ac Ioannes Maioris, qui anno 1385 Parisiis studuit; cf. DENIFLE l. c. pag. 397.

(3) De fr. Nicolao de Homburgo cf. EUBEL *Avign. Obed.* 876, 962.

(4) De fr. Stephano Michaelis cf. MOPH. VII, 58 sqq.

(5) De fr. Hugone Claperii cf. EUBEL l. c. 1082, 1179; ALBANÈS *Le couvent royal de S. Maximin.* Marseille 1880 pag. 122.

incarcerandis fratribus, qui predicare vel dogmatizare presumpserint verba, propter que specialius scandalizetur aut grave periculum immineat ordini aut alicui conventui vel persone, innovamus et volumus cum omnibus suis clausulis in suo robore permanere.

Item. Sub pena gravioris culpe inhibemus fratribus universis, ne ad audiendum confessiones secularium personarum, aut ad predicandum verbum dei alias se exponant, nisi a suo provinciali vel eius vicario in hac parte super hoc licenciam habeant vel hactenus habuerint specialem. Mandantes provincialibus universis super hoc districtius eorum consciencias onerantes, quod per se vel per vicarios ad hoc specialiter deputatos examinent suarum provinciarum fratres notatos in officio predicacionis aut audiencia confessionum secularium de grandi insufficiencia litterarum aut morum, et illis, quos ad premissa taliter insufficientes repererint, huiusmodi officia sub pena gravioris culpe interdicant, quam dicti fratres de facto intrant, si postea requisiti fuerint, et illa presumpserint exercere. Adiicientes et dictis provincialibus ac eorum vicariis sub precepto sancte obediencie imponentes, quatenus de cetero nullum fratrem ad sacros ordines licencient, nisi morum honestatem et etatem habeat competentem, et nisi sciat bene et prompte legere et cantare cantum planum, si tamen ad hoc idoneus existat, ac eciam competenter loqui latine. Quod si oppositum factum fuerit, tales sic licenciati a dictis officiis suspendantur.

Item. Inhibemus universis, ne contra tenorem constitutionis de studentibus studentes multiplicent Parisius vel Tholose; alias per priores dictorum conventuum nullatenus admittantur. Studentes insuper, qui ad dicta studia mittentur, teneantur ibi per annum integrum remanere, alias honoribus et libertatibus pro huiusmodi studiis eos in suis provinciis consequentibus privati sint eo facto.

Item. Mandamus fratribus universis, quatenus infra terminum eis per suos presidentes assignandum omnia et singula bona, que habent in manibus secularium ad suos conventus reducant, aut suis presidentibus ea revelent, taliter quod illa bona ordini non perdantur; quodque nullus eorum mutuet vel mutuo recipiat a quacumque persona extranea ultra quinque francos coniunctim vel divisim sine licencia sui presidentis. Omnem autem fratrem in premissorum aliquo delinquentem medietate bonorum sibi appropriatorum nunc pro tunc privamus, et conventui, ad quem pertinet, applicamus. Mandantes presidentibus, ut penam realiter infligant supradictam; huic autem ordinacioni eciam ipsos presidentes volumus subiacere, qui in hac materia [non] recurrent ad consilium discretorum in casibus, in quibus subditi ad presidentes haberent recursum.

Item. Ne per incessum solitarium fratres suum ordinem scandalizent, prohibemus fratribus universis, quatenus nullus eorum solus incedat extra conventum suum sine licencia presidentis et maioris partis fratrum discretorum tunc presencium in conventu; quodque nullus eorum vadat de provincia ad provinciam absque testimoniali littera sui presidentis. Quicumque vero frater in aliquo premissorum deliquerit, pro qualibet vice in terra sedeat indispensabiliter per tres dies; quod si facere recusaverit, voce privatus sit ipso facto. Cui presidentem subdimus, si postquam sibi de tali transgressione legitime constiterit, voce privatum non denunciaverit talem fratrem.

Item. Ne conventus tam spiritualiter quam temporaliter noviter edificandi per fratrum insolenciam destruantur, volumus et ordinamus, quod fratres criminosi vel alias in penam assignati, ad conventus novos nullatenus assumantur.

Item. Cum socii conventuum mittantur ad capitula ad referendam disposicionem conventus, inhibemus, ne amodo aliquis in socium conventus eligatur, qui extra conventum illo anno moratus est et verosimiliter disposicionem conventus ignorat.

Item. Cum munera excecent oculos iudicum et a tramite recti iudicii faciant deviare, inhibemus, ne amodo aliquis fiat visitator aut vicarius seu iudex in conventu vel conventibus quibuscumque, qui illic ut eleemosynas, subvenciones vel munera recipiat ab eisdem; quod si oppositum factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item. Cum equitaturarum pompa et excessivus equitandi abusus nostrum, proh dolor! confundat predicacionis officium et deturpet voluntariam paupertatem, inhibemus, ne aliquis frater teneat equitanciam sine expressa licencia sui prioris provincialis, quam ille dare non audeat sine causa multum racionabili et iusta. Quod si oppositum factum fuerit, tales equitancias conventui, ad quem tales fratres pertinent, nunc pro tunc simpliciter applicamus; quam applicacionem si tales fratres impedierint, tamquam rebelles privamus omnibus graciis ordinis atque voce. Adiicientes, quod nullus frater equitet sine sui expressa licencia presidentis, pro qualibet vice petita et obtenta; que dari non possit, nisi longitudo itineris aut indisposicio corporis vel temporis vel alia urgens necessitas, presidentis iudicio, hoc deposcat. Si quis vero in premissis deliquerit, presidens pro qualibet vice penam imponat gravis culpe huic transgressioni; quam si presidens non imponat, aut subditus sibi impositam facere renuat, sit voce privatus ipso facto.

Item. In virtute sancte obediencie et sub pena privacionis vocis, quam ex nunc pro tunc imponimus delinquenti, prohibemus universis fratribus, ne mulieres quascumque ad dormitorium vel cameras quascum-

que introducere presumant absque speciali licencia presidentis; que non detur de facili nisi personis honestis et pro causis honestis, cum decenti comitiva societatis, et tunc eciam de consilio discretorum. Huic autem ordinacioni eciam ipsos presidentes conventuales volumus subiacere.

Item. Ad pauperitatis voluntarie votum melius observandum precipimus in virtute sancte obediencie presidentibus universis conventuum, quatenus singulis annis dent preceptum suis subditis de suorum bonorum sibi racione reddenda; omnem autem fratrem suo presidenti in hiis non obedientem privamus simpliciter illis bonis et conventui, ad quem talis frater pertinet, applicamus; simili pene omnes et singulos fratres subiicientes, qui emendo vel vendendo vel alio quovis modo de bonis sibi per ordinem concessis distrahere presumpserint sine suorum licencia prelatorum.

Item. Ne culpe conniventibus oculis transeant impunite, et benefactores debitis suffragiis defraudentur, precipimus prioribus conventuum universis, quatenus per se vel per alios qualibet hebdomada teneant capitulum, in quo beneficia recitentur, culpe corrigantur, et benefactores fratrum oracionibus commendentur.

Item. Inhibemus, ne visitatores ex hoc, quod sunt magistri vel graduati, maiorem pensionem petant a conventibus, quos visitabunt, quam aliis visitatoribus non graduatis dari consuetum fuerit ab eisdem, nec eis, si petant, conventus ullatenus tradere teneantur.

Item. Mandamus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis visitatoribus provinciarum, quatenus in quolibet conventu, quem visitabunt specialiter de predictarum transgressionibus ordinacionum inquirant, et quemcumque invenerint transgressorem earum, ipsum ante finem sue visitacionis in penas ibi contentas declarent et iudicent incurrisse.

Item. Ne in presentibus ordinacionibus per oblivionem aliquid negligatur, mandamus presidentibus conventuum universis sub pena absolucionis a suis officiis ipso facto, quod eas quolibet mense legi faciant fratribus simul congregatis in capitulo vel in mensa.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus fratribus universis sequentem declaracionem fuisse factam de verbo ad verbum in generali capitulo Carcassone celebrato tempore tunc uniti tocius ordinis, cui eciam declaracioni adheremus et nos:

Item. Declaramus, quod reverendus pater magister ordinis ex sua ordinaria potestate et consuetudine diu in ordine approbata, nec non eciam eius vicarii generales in provinciis eis commissis et conventibus possunt confirmare priores et eciam lectores instituere, ubi non vigeat studium generale, et ne aliqui priores absolvi valeant per aliquem eis inferiorem, ex causa racionabili inhibere, iudicio eorundem dum eis videbitur oppor-

tunum; et quod nullus prior provincialis potest contra illa, que sunt ordinata per dictum magistrum ordinis vel eius vicarium generalem, maxime si sibi per ipsos vel ipsorum aliquem potestas subtracta fuerit in eisdem; quod si oppositum per aliquem fuerit attentatum, totum sit irritum et inane; et nichilominus quemcumque fratrem, cuiuscumque status, gradus aut condicionis existat, qui scienter contravenerit, tamquam irreverentem et rebellem ab officiis quibuscumque nunc pro tunc absolvimus et absolutum denunciamus per presentes (1).

Item. Denunciamus nostri ordinis fratribus universis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, seu obedienciam sibi vel fratri alteri iniunctam per quamcumque personam extra nostri ordinis obedienciam constitutam quomodocumque procuraverit revocari; vel in aliqua provincia vel conventu, officio vel studio generali seu particulari, aut in aliqua universitate, civitate vel villa vel loco aliquo quocumque, in conventu vel extra conventum ad legendum bibliam vel aliam quamcumque lectionem in latino seu vulgari, seu eciam ad regendum ibidem poni vel amoveri, remanere vel restitui procuraverit, vel sic per alium vel per alios procuratis absque ordinis licencia scienter usus fuerit; aut qui fratrem aliquem seu fratres ordinis nostri scienter et ex proposito apud personam aliquam seu personas extra nostri ordinis obedienciam constitutam seu constitutas scienter et ex certo proposito graviter infamaverit seu infamari procuraverit; vel qui ad Romanam curiam accesserit sine licencia magistri ordinis vel sui provincialis aut procuratoris ordinis speciali, vel qui ibidem negocium alicuius ponderis pertractaverit absque licencia alicuius predictorum; aut qui ad Romanam curiam veniens se dicto procuratori ordinis non presentaverit infra diem naturalem, aut sine fratre ordinis socio discurrerit per eandem, aut ibidem remanere presumpserit ultra terminum sibi assignatum; aut qui presidenti suo dicere presumpserit, quod non sit suus presidens, [et] sic ab eius obediencia se subtrahat quovis modo; seu qui cuicumque fratri fugitivo sui ordinis aut eidem rebelli et ab eius obediencia se subtrahenti consilium, auxilium vel favorem verbo aut scripto dederit: quilibet in aliquo premissorum deficiens transgressionem precepti et excommunicacionis sentenciam incurrit eo facto; quam reverendissimus pater magister ordinis de omnium nostrum consilio et assensu tulit iuridice in diffinitorio coram nobis; cuius absolucionem sibi vel provincialibus retinuit ac reservavit.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno immediate

(1) Cf. MOPH. IV, 456 l. 27 sqq.

sequenti intraneis debito fr. Albertum Roberti (1) de provincia Francie, cui substituimus fr. Iohannem Stephani (2) Guingampensem. Pro secundo anno intraneis debito assignamus, quantum nostra interest, fr. Iohannem Stephani de provincia Francie. Item ibidem pro primo anno extraneis debito assignamus fr. Iohannem Bonaldi (3) provincie Provincie. Item ibidem pro secundo anno extraneis debito fr. Iohannem de Monte Mayrano (4) de provincia Tholosana. Assignamus ibidem pro magistro studencium fratrem Iohannem Richelis (5) de provincia Francie. Committimus autem provinciali Francie, ut ibidem de biblico valeat providere.

Ad legendum sentencias Tholose pro anno immediate sequenti assignamus fr. Iacobum Berengarii (6), cui substituimus fr. Iohannem Richelis de provincia Francie, quem eciam habilitamus ad legendum sentencias ibidem de quibuslibet aliis scholis, de quibus per usum prefate universitatis poterit introduci; pari modo eciam habilitamus ad legendum sentencias ibidem fr. Iohannem Michaelis (7) provincie Francie de conventu Rupellensi. Pro anno primo intraneis debito assignamus ad legendum sentencias ibidem fr. Petrum de Barosa (8), cui substituimus fr. Bernardum Quinralpier. Pro magistro studencium assignamus ibidem fr. Petrum de Barosa. Committimus provinciali Tholosano, quatenus de biblico ibidem valeat providere.

In Montepessulano pro anno immediate sequenti assignamus in regentem fr. Guillielmum de Lodova (9); pro secundo vero anno fr. Petrum Solani (10), magistrum in theologia. Ad legendum sentencias ibidem pro duobus annis immediate sequentibus assignamus fr. Iohannem Bonaldi (11), cui substituimus fr. Raymundum Finelli. Pro magistro studencium ibidem fr. Bartholomeum Texerii (12). Ad legendum bibliam ibidem fr. Iacobum Laboratoris.

In Avenione pro regente assignamus pro primo anno fr. Iohannem

(1) De fr. Alberto Roberti cf. supra pag. 63.
(2) De fr. Ioanne Stephani cf. ibidem.
(3) De fr. Ioanne Bonaldi cf. Eubel *Avign. Obed.* 880.
(4) De fr. Ioanne de Monte Mayrano cf. supra pag. 61.
(5) De fr. Ioanne Richelis cf. Denifle l. c. IV pag. 53.
(6) De fr. Iacobo Berengarii cf. supra pag. 64.
(7) De fr. Ioanne Michaelis cf. Denifle l. c.
(8) De fr. Petro de Barosa cf. Eubel l. c. 1107.
(9) De fr. Guilelmo de Lodova cf. supra pag. 35.
(10) De fr. Petro Solani cf. supra pag. 64.
(11) De fr. Ioanne Bonaldi cf. supra l. 5.
(12) De fr. Bartholomaeo Texerii cf. SSOP. I, 776.

Bonefidei magistrum, cui substituimus fr. Benedictum Vilareti (1), quem eciam pro secundo assignamus pro regente ibidem.

Committimus magistro ordinis reverendissimo, ut in scholis palacii de baccalaureo valeat providere.

Ibidem pro conventu assignamus ad legendum sentencias fr. Andream Abelloni (2); pro magistro studencium fr. Dominicum Roserii (3).

In conventu Perpiniani pro regente assignamus fr. Petrum Durandi (4), magistrum in theologia. Ad legendum sentencias ibidem fr. Hugonem Textoris (5). Pro magistro studencium ibidem fr. Gregorium de Finx. Committimus provinciali provincie Provincie, ut ibidem de biblico habeat providere.

In conventu Barchinonensi pro lectore principali assignamus pro anno immediate sequenti fr. Franciscum Poncii (6). Pro secundo anno vero fr. Franciscum Sala (7). Ad legendum sentencias ibidem fr. Antonium Fusterii (8) Valentinum ad duos annos. Pro magistro studencium ibidem fr. Andream Tholoni (9) ad duos annos. Ad legendum bibliam ibidem fr. Nicholaum Sancii ad duos annos.

Committimus magistro ordinis reverendissimo ordinacionem studiorum generalium, ut ipse de lectoribus principalibus, baccalaureis, magistris studencium et biblicis in eisdem provideat, prout iudicaverit expedire. Insuper quod provinciis Grecie et Terre sancte quocienscumque aliquam ipsarum provinciali carere contigerit, eidem de provinciali valeat providere.

Committimus eciam provincialibus Hispanie et Lombardie superioris ordinacionem studiorum generalium de provinciis eorundem.

Mandamus prioribus provincialibus, eorum super hoc conciencias onerantes, quatenus diligenter inquirant de studentibus, qui Parisius assignati ante tempus debitum recesserunt, et quos in hoc deliquisse repererint, denuncient privatos honoribus vel privilegiis, que studentes Parisienses secundum consuetudinem provinciarum suarum consequuntur.

Omnes autem gracias exemptorias sub quacumque verborum forma concessas, eciamsi de illis oporteret de verbo ad verbum facere mencio-

(1) De fr. Benedicto Vilareti cf. supra pag. 64.

(2) De fr. Andrea Abelloni cf. EUBEL l. c. 1088, 1108; ALBANÈS l. c. p. 111 sqq., 164 sqq. ad 42.

(3) De fr. Dominico Roserii cf. EUBEL l. c. 1200.

(4) De fr. Petro Durandi cf. supra pag. 64.

(5) De fr. Hugone Textoris cf. ALBANÈS l. c. pag. 129.

(6) De fr. Francisco Pontii cf. MOPH. VII, pag. 71 sqq.

(7) De fr. Francisco Sala cf. ibid. pag. 78 sqq.

(8) De fr. Antonio Fusterii cf. ibid. pag. 80, 92.

(9) De fr. Andrea Tholoni cf. EUBEL l. c. 1057.

nem, gracias eciam non solum executivas, sed eciam positivas in aliquibus conventibus auctoritate propria introductas tenore presencium revocamus, ipsis provincialibus quoad gracias executivas potestatem dispensandi penitus auferentes. Rogantes ipsum reverendissimum magistrum ordinis, quatenus tales gracias faciliter et sine causa multum iusta et racionabili non concedat.

Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis prioribus provincialibus ac vicariis generalibus eorundem, quatenus quilibet ipsorum mittat ad Romanam curiam in Avenione procuratori ordinis pro expensis suis pro anno presenti sex florenos de Florencia, et hoc infra festum nativitatis domini proxime venientis.

Serenitati conscienciarum providere volentes, omnes et singulas sentencias excommunicacionis, suspensionis et interdicti, nec non et quevis precepta presidencium quorumcumque tam magistri ordinis quam priorum provincialium, priorum conventualium seu vicariorum eorundem aut vices gerencium simpliciter revocamus, et absolvimus ab eisdem omnes et singulos, qui talia incurrerunt, et vocem restituimus omnibus et singulis fratribus, qui vocis privacionem incurrerunt, si tamen non sint carcerali custodie mancipati aut sentencialiter condempnati, aut qui de apostasia venientes nondum tres annos a sui reditu perfecerunt.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Benedicto, sancte Romane ecclesie summo pontifice, quil. sacerdos unam missam.

Item. Pro unitate sancte matris ecclesie quil. sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino cardinali Hispanie (1) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patribus et dominis dominis episcopis Conchensi, Calaguritano, Palentino et Burgensi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus et dominis dominis Compostellano, Abulensi et Zamorensi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis de capitulo ecclesie maioris civitatis Palentine, ac clericis de Tamara, et clericis de Turre de Mormonio quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo domino domino Henrico, rege Castelle et Legionis, quilibet sacerdos duas missas.

(1) Petro scilicet Fernandi de Frigidis, ep. Oxomen , de quo EUBEL *Hierarchia* XXX, 33.

Item. Pro serenissima domina domina Catharina, regina Castelle, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domina infantissa Maria, primogenita eorundem, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo domino infante, ac serenissima domina infantissa Castelle quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro nobili domino comestabili Castelle, ac domina Alvira, consorte sua, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro nobili domina domina Eleonora, filia regis Henrici, et domina Mencia de Senors, et domino Garzia Gonzalbi, mareschallo regis Castelle, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro consilio Palentino, et confratribus confratrie sancti spiritus, et consilio de Parietibus, et consilio de Fromista, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro consilio de Tamara, villa (de) Carionensi, villa de Fromista, et de Castro Muncho, et multis aliis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina priorissa de Olgis iuxta civitatem Burgensem, et domino magistro milicie sancti Iacobi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo domino domino cardinali Pampelonensi (1) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis et diffinitoribus presentis generalis capituli, et pro quibus intendunt, quil. sacerdos unam missam.

Item. Pro fratribus conventus Palentini, qui laboraverunt pro capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimis dominis dominis Martino, rege Aragonum et Martino, rege Sicilie, et consortibus eorundem et liberis suis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo domino domino rege Navarre et sua consorte quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus dominis episcopis Barchinonensi, Balensi (2) et archiepiscopis Tarraconensi et Cesaraugustano, et ceteris regni Aragonum prelatis quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro illustrissimis regibus Castelle et Legionis Alfonso, Petro, Henrico et Iohanne quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimis dominabus reginis Maria, avia regis Castelle

13) Fromista] Famosto AB. — 17) civitatem] cuiratensem AB.

(1) Martino de Salvis, ep. Pampilonen., cf. l. c. XXX, 29.

(2) « Balensi » legendum esse arbitror « Pacensi » (Badajoz).

Alfonsi, et Maria consorte prefati regis, et Iohanna consorte domini Henrici, et Iohanna de Castro quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissima domina sorore Maria de Borbonio, quondam priorissa Pissiaci, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis et dominabus nobilibus et aliis in conventu Palentino sepultis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro fratribus et sororibus citra precedens generale capitulum defunctis quilibet sacerdos unam missam.

Summa missarum pro defunctis quinque.

Pro qualibet autem missa superius posita quilibet frater clericus non sacerdos septem psalmos cum litaniis, et quilibet frater laicus centum pater noster et totidem ave Maria dicant.

Salve regina et litania more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus ad biennium in festo pentecostes celebrandum in conventu Barchinonensi (1) provincie Aragonie; et volumus et ordinamus, quod nullus frater ad ipsum veniat sine licencia magistri ordinis speciali; diffinitores autem, qui in ipso diffinire habent, locum dicti intrent capituli cum sociis suis dominica infra octavam ascensionis domini; nullus autem aliorum fratrum intret capitulum aut locum capituli ante feriam sextam festum pentecostes immediate precedentem sine licencia magistri ordinis reverendissimi aut provincialis Aragonie, alias sit voce privatus.

Item. Notificamus universis fratribus nostri ordinis, quod sanctissimus in Christo pater et dominus dominus Benedictus papa XIII. concessit universis fratribus, qui fuerunt in isto generali capitulo omnium peccatorum suorum plenariam indulgenciam in mortis articulo.

Item. Quod reverendissimus magister ordinis auctoritate sibi concessa a domino nostro papa absolvit in fine capituli omnes fratres tam presentes quam absentes nostri ordinis sub obediencia dicti domini constitutos ab omnibus sentenciis excommunicacionis, suspensionis et interdicti et ab omnibus aliis, a quibus penitenciarius maior potest absolvere.

Expliciunt acta capituli generalis apud Palenciam in festo pentecostes celebrati die et anno, quibus supra.

Locus ✠ sigilli.

---

(1) Acta capituli Barchinonae celebrati anno 1405 desunt; quaedam tamen ordinationes ex actis capituli Pictaviensis colligi possunt.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS PICTAVIS CELEBRATI IN FESTO PENTECOSTES ANNO DOMINI · M°· CCCC°· VII°·

Sub reverendissimo patre fr. Iohanne (1) magistro ordinis, et reverendis prioribus provincialibus: fr. Iohanne de Merula (2), provinciali Tholosano, licenciato in theologia; fr. Iohanne Ruxel (3) provinciali Francie presentato; fr. Petro de Arenys (4), provinciali Terre sancte, magistro in theologia; fr. Guarino Feudi, provinciali Grecie.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores: Aurelie, Catalaunie, sancti Flori, Turonensem, Constanciensem, Lugdunensem, Trecensem, Burgensem, Redonensem (5), sancti Quintini, Divionensem, sancti Ioannis, Magdaniensem (6).

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod cum festum trium lectionum in feria tercia evenerit, nullatenus transferatur, sed de ipso fiat festum illa die.

Iste sunt ordinaciones.

Ne per crebram mutacionem ordinacionum, quasi per nimiam variacionem remediorum medicinalium, impediamus sanitatem inchoare perfectam, nichil de novo pro presenti duximus ordinandum, sed tantum ordinaciones immediate precedentis generalis capituli innovandum, in quibusdam paucis additis vel subtractis, prout iudicavimus expedire. Harum serie[s et] tenor sequitur in hunc modum: In primis reformacioni et conservacioni nostre religionis, que quoad plures ipsius fratres, et quoad vitam et quoad scienciam, proh dolor! multipliciter est collapsa, providere cupientes, ordinamus, que sequuntur:

Primo quia causam multiplicacionis transgressionum esse percipimus iusticie punitive defectum, mandamus provincialibus et aliis presidentibus conventuum universis, quatenus fratres, quos circa aliquod trium votorum notabiliter deliquisse repererint, et precipue in materia castitatis, rigorose puniant penis in constitucionibus contentis. Et ut ista melius facere valeant, mandamus, ut supra, quatenus in suis conventibus, si quo-

(1) De fr. Ioanne de Podionucis, cf. supra pag. 71.
(2) De fr. Ioanne de Merula cf. supra pag. 63.
(3) Ioannes Ruxel idem esse videtur ac Ioannes Richelis, de quo supra pag. 76.
(4) De fr. Petro de Arenys cf. supra pag. 4.
(5) « Redonensem » legendum esse puto « Virdunensem ».
(6) Forte legendum est « Matisconensem ».

modocumque sunt ad hoc dispositi, carceres reparent aut de novo construant cum debitis munimentis a noticia presencium, et circa hoc ipsi provinciales sollicitudinem habeant specialem.

Item. Cum secundum nostrarum seriem constitucionum officinas nostras mulieres non debeant introire, prohibemus sub privacione vocis, quam nunc pro tunc imponimus delinquenti, fratribus universis, ne mulieres quascumque ad dormitorium vel ad quascumque cameras introducant absque speciali licencia presidentis, que dari non possit, nisi racione infirmitatis vel alia de causa multum racionabili et honesta iudicio presidentis. Quem eciam presidentem, si mulieres introducendo vel aliter licenciando, quam est dictum, notabiliter deliquisse contigerit, ab officio presidentis in penam absolvimus ipso facto.

Item. Imponimus prioribus provincialibus, eorum super hoc consciencias onerantes, quatenus in suis provinciis excessus et defectus fratrum, qui circa habitum et tonsuram nimium intrevenerunt (!), corrigere studeant cum effectu.

Item. Ordinamus, quod novicii, qui sui tempore noviciatus reperti fuerint minus habentes in materia castitatis ad professionem nullatenus admittantur.

Item. Prohibemus, ne frater aliquis extra loca ordinaria comedat in prandio vel in cena, nisi pro causa necessaria et honesta et de speciali licencia presidentis, quam dare non possit, nisi de consilio maioris partis tunc presencium in conventu; et qui oppositum attentare presumpserit, voce privatus sit ipso facto. Mandantes in virtute sancte obediencie presidentibus conventuum universis, quod infra duos dies, postquam sibi legitime constiterit de huiusmodi transgressione, voce privatos denuncient huiusmodi transgressores.

Item. Mandamus presidentibus conventuum universis, quatenus in suis conventibus taliter ordinent et disponant, ubi loci disposicio hoc permittit, quod sit aliqua domus pro refectorio, in quo carnes nullatenus comedantur; in qua eciam fratres conventualiter iuxta modum antiquum nostri sacri ordinis in competenti numero comedant omni die; presidentes vero, qui in hoc reperti fuerint deliquisse, nunc pro tunc absolvimus per presentes.

Item. Ad paupertatis votum melius observandum precipimus in virtute sancte obediencie presidentibus conventuum universis, quatenus singulis annis dent preceptum suis subditis de suorum bonorum racione reddenda; omnem autem fratrem presidenti suo inobedientem privamus illis bonis et conventui, ad quem pertinet, applicamus.

Item. Ne per incessum solitarium fratres suum ordinem scandalizent, prohibemus, quatenus nullus frater extra conventum sine socio fra-

tre ordinis vadat absque licencia presidentis vel fratrum de consilio; quodque nullus frater vadat de provincia ad provinciam absque littera testimoniali sui presidentis. Quicumque frater in aliquo predictorum defecerit, pro prima vice in terra sedeat indispensabiliter per tres dies, pro secunda vice voce simpliciter sit privatus, pro tercia pene gravioris culpe sit subiectus; presidentes voce privantes et ab officio absolventes, si postquam sibi de tali transgressione legitime constiterit, execucioni non mandaverint tales penas.

Item. Cum equitatuum pompa et excessivus equitandi abusus nostrum confundat predicacionis officium et deturpet mendicariam paupertatem, inhibemus, ne aliquis frater equitatum teneat sine expressa licencia sui prioris provincialis, quam ille dare non valeat sine causa multum racionabili atque iusta. Quod si oppositum factum fuerit, tales equitatus conventui, ad quem tales fratres pertinent, nunc pro tunc simpliciter applicamus. Quam applicacionem si tales fratres impediverint, tamquam rebelles privamus omnibus graciis ordinis atque voce. Adiicientes, quod nullus frater equitet sine sui expressa licencia presidentis pro qualibet vice petita et obtenta; que dari non possit, nisi longitudo itineris aut indisposicio corporis vel alia urgens necessitas iudicio presidentis hoc deposcat. Si vero quis aliter equitaverit, quam sit dictum, presidens pro qualibet vice penam imponat gravis culpe huiusmodi transgressori. Quam si presidens non imponat, aut subditus sibi impositam facere renuat, voce privatus sit ipso facto.

Item. Inhibemus districte, ne fratres aut conventus in particulari festivent de sanctis ad libitum ultra communem ordinis modum, nisi cogat consuetudo ville aut civitatis aut patrie aut ad hoc magistri vel diffinitorum capituli generalis interveniat licencia vel consensus.

Item. Fratres utentes arte medicine sine suorum licencia provincialium privamus graciis ordinis atque voce.

Item. Lapsum studii et sciencie reformare volentes precipimus in virtute sancte obediencie et spiritus sancti prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium et aliis presidentibus, vicariis, commissariis ac promotoribus quibuscumque, quatenus ad sacros ordines, ad lectionem cuiuscumque facultatis, ad officium predicacionis et audiencie confessionum secularium personarum nullum fratrem amodo quomodocumque scienter promoveant, qui non sit sufficiens ad illa, pro quibus assignatur, officia exercenda. Denunciantes, quod contra eos, qui scienter insufficientes promovere quomodolibet presumpserint in futurum, reverendissimus pater magister ordinis sentenciam excommunicacionis tulit iuridice coram nobis de omnium nostrum consilio et assensu.

Item. Mandamus provincialibus, quatenus in suis capitulis et in suis visitacionibus diligenciam adhibeant singularem circa educacionem novi-

ciorum et puerorum in litteris et vita, et signanter quod extra conventum nisi causa processionum vel funerum vel gravis infirmitatis parentum non exeant quoquomodo, et ad hoc censuras et penas adhibeant opportunas.

Item. Ordinamus, quod amodo nullus novicius nec eciam puer professus infra tres annos a professione sua (non) recipiatur in socium per quemcumque; quicumque autem oppositum fecerit, voce privatus sit ipso facto.

Item. Inhibemus, ne in studiis generalibus fiant amodo beiannia cum dissolucionibus scandalosis; oppositum autem facientes studio sint privati; et mandamus provincialibus, quod hoc faciant observari.

Item. Mandamus provincialibus, eorum districte consciencias onerantes, quatenus diligenter inquirant de studentibus, qui Parisius assignati inde ante tempus debitum recesserunt, et quos in hoc deliquisse repererint, denuncient esse privatos honoribus, graciis et libertatibus concedi talibus in suis provinciis consuetis, quibus eciam ipsos nunc pro tunc presencium tenore privamus.

Item. In virtute sancte obediencie mandamus omnibus et singulis visitatoribus provinciarum, quatenus in quolibet conventu, quem visitabunt, inquirant specialiter de predictarum transgressione ordinacionum; et quemcumque repererint transgressorem, ipsum ante finem visitacionis sue in penam vel penas ibi contentas denuncient incidisse.

Item. Ne in principalibus ordinacionibus per oblivionem aliquid negligatur, mandamus presidentibus conventuum universis sub pena absolucionis a suis presidenciis ipso facto, quatenus eas quolibet mense semel legi faciant fratribus insimul in mensa vel in capitulo congregatis. Mandantes visitatoribus obediencie sub precepto, quatenus presidentes, quos in hoc deliquisse repererint, ante finem visitacionis denuncient a suis officiis absolutos; quos et nos denunciamus nunc pro tunc presencium per tenorem.

Iste sunt declaraciones.

Primo iuxta capitulum Burdigalense anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo declaramus, quod subpriores in absencia priorum non possunt facere vicarios, nisi prior in suo recessu aliquem nominet, qui recedente subpriore, vicarius subprioris existat.

Item. Iuxta capitulum Tholosanum anno domini millesimo trecentesimo vigesimo octavo declaramus, quod vicarius constitutus per priorem non potest instituere alium vicarium, nisi specialiter sibi fuerit a priore commissum sub his verbis vel similibus in effectu: « Ego instituo vos vicarium, et illum vel illos, quem vel quos instituendum vel instituendos duxeritis loco vestri » (1).

(1) Cf. MOPH. IV, 187 l. 21 sqq.

Item. Iuxta idem capitulum declaramus, quod prior conventualis possit instituere vicarium in conventu suo priorem vel fratrem alterius conventus, sed non debeat facere nisi in casu necessitatis, ob eam racionem, quia iuxta seriem iuris unus ordinarius potest committere vices suas alteri cuicumque eciam alterius diocesis (1).

Item. Declaramus, quod fratres, qui ad officium assumuntur, per quod ab obediencia ordinis subtrahuntur, perdunt ius in hiis, que possessione ordinis nostri antea possidebant, nisi quantum eis dominus noster papa vel ordo concedere voluerit de gracia speciali.

Item. Declaramus, quod sicut per antiquam capitulorum generalium denunciacionem quicumque frater fratrem aliquem nostri ordinis scienter et ex proposito apud personam aliquam extraneam graviter infamaverit vel infamari procuraverit, aut dicta vel facta fratrum, ex quibus ordo vel frater graviter infamari posset, cuicumque persone extranee revelaverit vel revelari procuraverit, excommunicatus est ipso facto: sic a forciori quicumque frater informacionem, processum vel instrumentum quodcumque fieri vel recipi fecerit per tabellionem vel quamlibet personam extraneam de quibuscumque criminalibus, que per fratrem dicuntur esse commissa, aut quicumque frater in manu talis persone extranee contra fratrem vel ordinem deposuerit, excommunicatus merito est censendus.

Iste sunt denunciaciones.

Cum iuxta nostrarum seriem constitucionum in capitulo de itinerantibus quicumque frater per personam extra nostri ordinis obedienciam constitutam in aliquo officio sive studio generali poni vel remanere procuraverit, omni voce tam in accusacionibus, quam in electionibus aut tractatibus eorum, que ad generale capitulum sunt mittenda, penitus sit privatus, imo iuxta seriem ordinacionum multorum generalium capitulorum sit excommunicatus; nichilominus tamen, quod dolentes referimus, quidam per mendicata suffragia lecturam sentenciarum ad magisterii gradus a domino nostro papa impetrarunt et impetrata exequi sine consensu eciam magistri ordinis non verentur: ideo omnes tales voce privatos denunciamus iuxta tenorem constitucionis prefate. Illos insuper et alios, qui talia facere presumpserint in futurum, graciis, libertatibus, subsidiis, que baccalaureis, licenciatis ac magistris in theologia ordo vel conventus eorum consueverunt concedere, privamus presencium per tenorem.

Item. Denunciamus fratribus universis nostri ordinis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, seu obedienciam sibi vel alteri iniunctam per quamcumque personam

(1) Cf. l. c. pag. 187 l. 20 sqq.

extra nostri ordinis obedienciam constitutam quomodocumque procuraverit revocari, vel in aliqua provincia aut conventu, officio vel studio particulari, aut in aliqua universitate, civitate vel villa vel alio loco quocumque in conventu vel extra conventum ad legendum sentencias, bibliam vel aliam lectionem quamcumque, seu eciam ad regendum ibidem poni vel amoveri, remanere vel restitui procuraverit, vel sibi per alium vel per alios procuratis absque ordinis licencia scienter usus fuerit, aut qui fratrem aliquem seu fratres nostri ordinis apud personam aliquam seu personas extra nostri ordinis obedienciam constitutam seu constitutas scienter et ex proposito graviter infamaverit seu infamari procuraverit; vel qui ad Romanam curiam accesserit sine licencia magistri ordinis vel sui provincialis aut procuratoris ordinis speciali; vel qui ibidem negocium alicuius ponderis pertractaverit absque alicuius predictorum licencia; aut qui ad Romanam curiam veniens se dicto procuratori ordinis non presentaverit infra diem naturalem; aut si sine socio sui ordinis discurrerit per eandem, aut ibidem remanere ultra terminum sibi assignatum; aut qui presidenti suo dicere presumpserit, quod non sit suus presidens, sicque ab eius obediencia se subtrahat quovis modo; aut qui cuicumque fratri fugitivo sui ordinis, aut rebelli, aut ab eius obediencia se subtrahenti consilium, auxilium aut favorem verbo aut scripto dederit: quilibet in aliquo predictorum deficiens transgressionem precepti et excommunicacionis sentenciam incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis de omnium nostrum consilio et assensu tulit iuridice in diffinitorio coram nobis; cuius absolucionem sibi vel provincialibus reservavit. Et eandem sentenciam volumus incurrere omnes et singulos fratres, qui ad civitatem Parisiensem accesserint pro quibuscumque negociis pertractandis, si infra duos dies naturales, postquam ibidem presentes extiterint, se presidenti conventus predicti non presentaverint et causas, pro quibus illuc accesserunt, non explicaverint, si sine periculo valeant explicari, aut ultra terminum per dictum presidentem assignatum ibi presumpserint remanere.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod ad removendum dubium super institucionem multorum predicatorum generalium in quibusdam provinciis non sine causa exortum, insuper et ad providendum in posterum contra indiscretam multitudinem fiendorum dominus noster papa providit per bullam suam, cuius tenor talis est:

Benedictus episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam. Ad ea curis excitamur assiduis et libenter dirigimus studium nostre mentis, per que illa, que ad statum prosperum personarum electarum, presertim sub regulari instituto domino famulancium, ordinata existunt, ad earum quietem et pacem debite observentur. Sane dilecto filio

Iohanne de Podionucis, magistro generali ordinis fratrum predicatorum, nobis insinuante percepimus, quod licet secundum quandam constitucionem felicis recordacionis Iohannis pape XXII., predecessoris nostri, numerus predicatorum generalium ipsius ordinis, qui ad electionem priorum provincialium ac diffinitorum generalium et provincialium dicti ordinis de rigore admitti consueverunt, numerum conventuum provinciarum iuxta morem eiusdem ordinis excedere non debeat, tamen in nonnullis provinciis per aliqua tempora minime extiterit observata; propter quod in ipso ordine murmura insurgere et scandala oriri speratur verosimiliter in futurum. Nos vero huiusmodi scandalis obviare et alias circa premissa, prout tenemur, ex debito pastoralis officii providere cupientes, dicti Iohannis in hac parte supplicacionibus inclinati, predicatores generales hucusque electos, eciamsi dictum numerum conventuum excedant auctoritate apostolica approbantes, de cetero constitucionem eandem tenore presencium inviolabiliter observari volumus et mandamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et quia post subtractionem bulle nostre perpetualis nobis factam in arcta oppressione detenti bulla ipsa iuxta morem Romane curie non utimur, hanc paginam apostolorum annulo in presenti iussimus communiri, cui ac si sub bulla nostra plumbea bullata fuisset, plenam fidem volumus adhiberi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum applicacionis, mandati, constitucionis et voluntatis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignacionem dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avenione III. idus octobris pontificatus nostri anno nono.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro primo anno immediate sequenti, qui est intraneorum, fr. Petrum Barre (1) provincie Francie, cui substituimus fr. Iohannem Bidangot de conventu Brugensi; pro anno autem, qui erit extraneorum, fr. Iohannem Caprioli (2) provincie Tholose. Pro secundo anno intraneis debito assignamus, quantum nostra interest, fr. Petrum Flore (3) provincie Francie, cui substituimus fr. Bodinum Granerii conventus Claromonten. Item ad legendum sentencias ponimus fr. Iacobum Florentarii de conventu Rotomagensi; pro bi-

---

33) Flore] Flos AB.

---

(1) Postea provincialis Franciae.

(2) De fr. Ioanne Caprioli *seu* Capreoli cf. SSOP. I, 795.

(3) De fr. Petro Flore cf. DENIFLE l. c. 1837 nota.

blico ad duos annos immediate sequentes fr. Guillielmum de Spinello de conventu Tullensi; cui substituimus fr. Laurencium de Nocosoponte. Pro sequentibus vero duobus annis, quantum nostra interest, ad legendum bibliam ibidem fr. Stephanum Boleti de conventu Parisiensi.

Assignamus ad legendum sentencias Tholose pro anno immediate sequenti, qui erit extraneorum, fr. Nicholaum de provincia Lombardie superioris; cui substituimus fr. Bernardum Caralpi, quem et nunc habilitamus ibidem, quandocumque locum invenerit opportunum. Pro secundo anno, qui quidem est intraneorum, fr. Petrum Castellani provincie Tholose, cui substituimus fr. Petrum de Monmasio. Pro secundo anno extraneis debito assignamus, quantum nostra interest, fr. Iohannem Natalis (1) de provincia Aragonie, cui substituimus fr. Nicholaum Sancii (2) eiusdem provincie. Pro magistro studencium pro anno immediate sequenti fr. Petrum Castellani, cui substituimus fr. Iohannem de Barrio; pro secundo anno fr. Iohannem Natalis de provincia Aragonie, cui substituimus fr. Albertum Fabri provincie Francie. Pro biblico fr. Iohannem de Albareto, cui substituimus fr. Iohannem de Sollemniaco.

Item. Assignamus in Montepessulano pro regente in anno immediate sequenti magistrum Iohannem Bonaldi (3); pro alio anno magistrum Benedictum Vilareti (4). Ad legendum sentencias ibidem assignamus fr. Bernardum Firmini, pro biblico fr. Iohannem de Riva (5).

Item. In Avenione assignamus pro regente pro primo anno magistrum Iohannem Ministraul, pro secundo magistrum Poncium Maurelli (6).

Item. In Perpiniano assignamus pro regente magistrum Petrum Fabri (7). Assignaciones lectionum minorum in conventibus Avenionis, Perpiniani capitulo provinciali Provincie providere committimus, ut provideat, prout sibi melius videbitur expedire.

Item. In Barchinona assignamus pro lectore pro primo anno fr. Iohannem Natalis (8); pro secundo anno fr. Nicholaum Sancii (9), ad legendum sentencias ibidem pro primo anno fr. Nicholaum Sancii; pro secundo fr. Petrum Egidii Minoricensem (?); pro magistro studencium ibidem pro primo anno fr. Petrum Egidii Maioricensem (?); pro secundo

---

(1) De fr. Ioanne Natalis cf. MOPH. VII, pag. 73, 80.
(2) De fr. Nicolao Sancii cf. supra pag. 77.
(3) De fr. Ioanne Bonaldi cf. supra pag. 76.
(4) De fr. Benedicto Vilareti cf. supra pag. 77.
(5) De fr. Ioanne de Riva cf. Eubel l. c. pag. 1221, 1282.
(6) De fr. Pontio Maurelli cf. supra pag. 53.
(7) De fr. Petro Fabri (Vabri) cf. supra pag. 64.
(8) De fr. Ioanne Natalis cf. supra l. 12.
(9) De fr. Nicolao Sancii cf. supra pag. 77.

fr. Petrum Marrofi (1); pro biblico pro primo anno fr. Petrum Marrofi; pro secundo fr. Petrum Iutglar (2).

Committimus magistro ordinis reverendissimo ordinacionem generalium studiorum, ut ipse de lectoribus principalibus, baccalaureis, magistris studencium et biblicis in eisdem provideat, prout iudicaverit expedire.

Insuper committimus eidem reverendissimo magistro ordinis, quod provinciis Grecie et Terre sancte, cum aliquam ipsarum provinciali carere contigerit, de provinciali valeat providere.

Committimus eciam capitulo provinciali Hispanie et provinciali Lombardie superioris ordinacionem studiorum generalium in provinciis eorundem.

Precipimus autem in virtute sancte obediencie omnibus et singulis prioribus provincialibus, quatenus quilibet ipsorum mittat ad Romanam curiam procuratori ordinis infra immediate sequens festum beati Michaelis quidquid sibi indictum fuit de contribucione consueta temporibus retrolapsis. Mittat insuper pro anno quolibet usque ad sequens capitulum generale sex florenos de Florencia, et hoc infra festum omnium sanctorum illius anni.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo domino domino Benedicto papa XIII., et pro directione vie sue, et unione populi christiani quilibet sacerdos quatuor missas.

Item. Pro reverendissimo patre ac domino domino cardinali Auxitano, protectore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro sacro collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendis in Christo patribus et dominis domino patriarcha Alexandrino et dominis archiepiscopis Cenomanensi et Turonensi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendis in Christo patribus ac dominis dominis episcopis Pictavensi, Albiensi, Rivensi et Malleacensi quil. sacerd. unam mis.

Item. Pro reverendis dominis abbatibus monasterii novi sancti Maxencii, sancti Michaelis in heremo, de Carufio, de Valencia, de Stella, Fontis comitis, sancti Iuvini de Marinis; et pro dominabus abbatissis sancte crucis et sancte trinitatis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimis dominabus Maria de Franchia et domina Catharina de Aurituria (!) quilibet sacerdos unam missam.

---

24) Auxitano] Occitano AB.

---

(1) De fr. Petro Marrofi cf. MOPH. VII, 86 sqq.

(2) De fr. Petro Iutglar cf. l. c. pag. 88.

Item. Pro domina priorissa Pissiaci et pro aliis sororibus, que miserunt elcemosynas capitulo, et pro bono statu tocius monasterii quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabilibus [dominis] collegii maioris ecclesie, sancti Petri, beati Hilarii, beate Marie, sancte Radagundis et beate Marie de monasterio Belley et beati Petri puellarum, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo principe et christianissimo domino rege Francie et domina regina quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro serenissimo duce Aquitanie, et aliis illustrissimis liberis prefatorum domini regis et regine quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro serenissimo principe domino rege Ludovico, rege Sicilie et Hierusalem, et domina regina consorte sua, et liberis eorundem, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro illustrissimo principe domino duce Britannie et domina ducissa quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro illustrissimo domino duce Aurelianensi et domina ducissa et liberis eorundem, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino duce Burgundie, et dominis fratribus eiusdem, et illustrissimis consortibus, et liberis eorundem, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino duce Borbonii et domina ducissa et liberis eorundem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro nobili domino de Coraco et liberis eiusdem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro nobilibus et potentibus viris et dominabus, vicecomite de Fuarcio, domina comitissa de Marcia, domino de Pactiniaco, domino de Rupe Corbonis, domino magistro hospicii regis Francie, domino et domina de Argentaneo, domina de Asperomonte et domina de Tifangiis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino de Mortuo Mari milite, et preclarissimo Serra milite, et pro dominis scabinis, et bono statu civitatis Pictaviensis, et pro bono statu ville Rupellensis, et pro domino de Senaus milite quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis et reverendis provincialibus, qui hoc anno diffinierunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro fr. Iohanne Merici, vicario Pissiaci, et fratribus Iohanne de Pruvio, priore conventus Pictaviensis, et Thoma Bondonet subpriore, et fr. Iohanne Botivi, et fr. Iohanne Anamine, et fr. Iohanne de Canerdido, et pro ceteris fratribus dicti conventus Pictaviensis et aliis fratribus, qui pro presenti capitulo laboraverunt, quil. sacerd. unam mis.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domino Itherio de Martrovelo quondam episcopo huius civitatis Pictaviensis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina India de Insula, quondam domina de Coracho, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina comitissa de Barro, et fr. Iohanne Merici (1), quondam sacre pagine magistro, quilibet sacerdos unam missam.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus hinc ad biennium in festo pentecostes celebrandum in conventu Condomii provincie Tholosane, et volumus et ordinamus, quod nullus frater ad ipsum veniat sine magistri ordinis aut provincialis Tholosani licencia speciali; diffinitores autem locum intrent capituli dominica infra octavas ascensionis domini. Nullus autem aliorum fratrum locum intret capituli ante vigiliam vigilie pentecostes sine magistri ordinis aut provincialis prefati licencia petita et obtenta; alias sit voce privatus illo anno.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, quatenus sequens capitulum generale mutare valeat quoad locum, si sibi visum fuerit expedire.

Expliciunt acta capituli generalis Pictavis celebrati die et anno, quibus supra (2).

---

(1) De fr. Ioanne Merici cf. supra pag. 17.

(2) Anno 1409 capitulum generale celebratum est in Condomiensi conventu, anno 1411 Gerundae, 1413 in conventu Burgensi provinciae Hispaniae, anno denique 1415 Perpiniani; quorum omnium acta desunt. Trium ultimorum capitulorum fit mentio in chronica Petri de Arenys (MOPH. VII, 86, 90, 91). — Burgensis capituli acta adhuc exeunte saeculo XVIII asservabantur in bibliotheca conventus SS. Ioannis et Pauli Venetiis, sed expulsis inde fratribus translatisque codicibus in publicam bibliothecam S. Marci, perierunt. Eorum meminit Beradellus in catalogo codicum manuscriptorum antedictae bibliothecae conventus SS. Ioannis et Pauli.

II.

Acta capitulorum generalium obedientiae Romanae (1).

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS VIENNAE (2) CELEBRATI ANNO · M°· CCC°· LXXXVIII°·

Apud Wiennam anno domini 1390 (!) approbatum est, quod festum translacionis beati Petri martiris in crastino sancti Iohannis apostoli ante portam latinam sub festo toto duplici celebretur.

Et Ferrarie anno domini 1391 confirmatum est et anno domini 1410 Bononie etiam confirmatum est.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS FERRARIE CELEBRATI ANNO M°· CCC°· XCI°·

Ferrarie inchoatum est, quod fiat festum sanctificacionis beate virginis.

[Ferrarie] confirmatum est, quod festum translacionis beati Petri martiris in crastino sancti Iohannis apostoli ante portam latinam sub festo toto duplici celebretur.

Anno domini 1391 inchoatum est, quod in ympnis « quem terra » et « o gloriosa domina » et in aliis ympnis eiusdem metri, quando de beata virgine agitur, semper in fine ympnorum addatur: « Maria mater gracie » et « gloria tibi domine ».

Anno domini 1394 approbatum est et anno domini 1397 confirmatum est.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS VENECIIS CELEBRATI ANNO · M°· CCC°· XCIV°·

Apud Venecias anno domini 1394 inchoatum est, [quod] festum visitacionis virginis gloriose et de apostolis Petro et Paulo memoria fiat. Et in crastino post [festum] visitacionis fiat memoria de martiribus Processi etc.

---

(1) Ab anno 1380 ad 1385 in obedientia Romana celebrata sunt capitula generalia 1380 Bononiae, in quo electus est fr. Raymundus de Capua, (cf. supra pag. 23) 1382 Budae, 1385 Veronae (cf. SSOP. I, XVIII), quorum tamen acta desunt.

(2) Fragmenta actorum capitulorum gen. Viennae, Ferrariae, Venetiis celebratorum desumpta sunt e codice 768 bibliothecae universitatis Lipsiensis.

Item. Ibidem declaratum est, quod xi. die mensis iulii fiat festum trium lectionum de sancto Procopio.

Et festum visitacionis approbatum est Francfordie anno domini 1397 et anno domini 1462 Senis.

Et anno domini 1394 ordinatum est, quod festum concepcionis virginis Marie debet solempniter celebrari sub festo toto duplici sub nomine sanctificacionis et cantari hystoria de nativitate beate virginis mutato nomine nativitatis in sanctificacionis.

In Veneciis [mccc] xciiii declaracio illius: qui primitus habitum nostri ordinis assumpserint, intelligitur: de assumpcione in noviciatu et non in professione.

Item conversi, qui recipiuntur ad habitum clericorum non habeant vocem nisi ut conversi ad quinque annos post assumpcionem predicti habitus.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS FRANKENFORDIE CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCC°·LXXXXVII°· IN FESTO PENTHECOSTES (1).

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc, quod nostrum breviarium et ordinarium officiorum per institucionem novarum festivitatum amplius non mutetur, nisi per sedem apostolicam aliquod novum festum fuerit institutum, quod ordo noster decreverit acceptare.

Item hanc: De sanctificacione virginis gloriose fiat festum sub toto duplici cum officio de nativitate eiusdem, mutato nomine eiusdem nativitatis in nomen sanctificacionis, donec per reverendissimum magistrum ordinis de speciali officio fuerit provisum; et hoc medio tempore observetur.

Item hanc: Quod provincia Lombardie inferioris dicatur et vocetur provincia sancti Dominici et provincia Lombardie superioris vocetur provincia Lombardie absolute.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod festum visitacionis virginis, quando visitavit eam Elyzabet, celebretur sub toto duplici die ·ii· iulii et eiusdem festi octave celebrentur iuxta rubricam octavarum corporis Christi cum

(1) Acta huius capituli desumpta sunt ex codice manuscripto sign. M. ch. q. 176 bibliothecae universitatis Herbipolensis.

omnibus clausulis secundum [quod] in actis capituli generalis immediate [precedentis] Veneciis celebrati extitit ordinatum, et hoc medio tempore observetur.

Iste sunt confirmaciones.

Item confirmamus hanc, quod quandocumque fit officium de beata virgine, ante « gloria tibi domine » in singulis eiusdem metri ympnis dicatur immediate « Maria mater gracie ».

Item hanc: Quod in capitulo generali, ubi dicitur, « appellaciones, in nostro ordine etc. usque ibi: cum non venerimus contendere, sed pocius delicta corrigere » addatur sic: Item ne delicta remaneant impunita, et obediencia in nostro ordine per appellaciones frivolas infringatur, statuimus, quod quicumque nostri ordinis contra obedienciam appellare presumpserit in futurum, nisi ipse infra duos menses renunciaverit vel eam infra annum prosequi non inceperit aut ab incepta prosecucione destiterit vel in ipsa subcubuerit, adiudicatus sit carceri ipso facto nec possit cum ipso nisi per capitulum generale ante annos ·xii· dispensari.

Et iste due confirmaciones habent tria capitula et debent constitucionibus annotari, et mandamus singulis presidentibus, quod has confirmaciones cum aliis in capitulo generali Veneciis celebrati de electione et de numero senario fratrum in conventibus, qui debet intelligi de fratribus clericis, faciant in constitucionibus annotari.

Iste sunt ordinaciones.

Imprimis divinorum cultui intendentes, volumus et ordinamus, quod ordinaciones precedentis capituli Veneciis celebrati circa divinum officium, ut scilicet secundum constituciones et rubricas precise observetur et singuli fratres et lectores actu non legentes et studentes suo studio non intendentes more aliorum fratrum notentur et quoad omnes et singulas clausulas in illis contentas volumus in suo robore permanere.

Item. Cum ordo noster ad predicandum verbum dei, ad quod requiritur sciencia litterarum, sit institutus, volumus et ordinamus, quod nullus de cetero in priorem possit eligi vel eciam confirmari, qui precise ex litterarum ignorancia nesciat proponere verbum dei, quod si oppositum factum fuerit, irritum sit et inane; addicientes similiter, quod nullus frater, qui de presenti vocem non habet secundum nostras constituciones et sacerdos non existit, ad sacerdocium (non) promoveatur vel ad aliquam electionem admittatur, nisi suam grammaticam sciat loqui competenter et congrue, mandantes presidentibus universis, quod de magistris talibus iuvenibus provideant.

Item. Studium pro viribus reformare cupientes ordinacionem precedentis capituli Veneciis celebrati, quod nullus pro studente extra provinciam ad aliquod studium generale vel theologie mittatur, nisi prius

infra provinciam ad minus per duos annos artes legerit et philosophiam, nec aliquis assignetur studio Bononiensi loco studii Parisiensi(s), nisi cursorie legerit sentencias in aliquo studio theologie, cum omnibus suis clausulis et penis ibi positis observari inviolabiliter volumus, adiicientes, quod dicti studentes sic extra suas provincias missi et assignati a presidentibus conventuum, ad quos mittuntur, nisi testimonium suarum provinciarum a presidentibus, a quibus mittuntur, eciam in scriptis habeant, quod huiusmodi artes et philosophiam vel sentencias legerint, nullatenus admittantur.

Item. Ordinacionem precedentis capituli Veneciis celebrati de manifesta presumpcione quorumdam fratrum passim et temerarie ad apicem magisterii in theologia pervenire querencium, videlicet quod nullus in aliqua universitate lecturam sentenciarum pro gradu magisterii, nisi per capitulum generale fuerit assignatus, audeat inchoare, aut talem lecturam per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas qualitercumque sibi procurare, et quod actu pro forma legentes possint in aliquo officio incomponibili occupari, volumus quoad omnes et singulas clausulas et penas in suo robore permanere, adiicientes, quod nullus frater amodo pro consequendo gradu magisterii in theologia valeat habilitari aut assignari, nisi sentencias in aliquo studio theologie ex integro legerit et per provinciale capitulum sue provincie expositus et petitus fuerit; quod si oppositum factum fuerit, nolumus, quod sit alicuius roboris vel momenti. Omnem autem potestatem dispensandi in ista ordinacione quantum ad omnes eius clausulas ex certa sciencia reverendo magistro ordinis tollimus simpliciter et de plano. Si quis autem frater extra obedienciam ordinis lecturam aut magisterium [sibi] procuraverit in theologia, preter alias penas in predicta ordinacione contentas volumus, quod nullum subsidium habeant (!) a suis provinciis vel propriis conventibus.

Item. Ordinaciones de bonis temporalibus conventuum non distrahendis videlicet quod presidentes faciant fieri computum de receptis et expensis quolibet mense semel coram fratribus de consilio illius conventus et quod per se nihil recipiant vel expendant, sed per bursarios hoc faciant; quos bursarios nolumus, quod aliquid recipere vel expendere sine scitu et consensu suorum priorum presumant, et quod inventaria duplicata, ubi non sunt facta de bonis conventuum infra mensem a noticia presencium fieri faciant, volumus quoad hec inviolabiliter observari, mandantes districte presidentibus in provinciis, quod quemcumque presidentem in conventibus invenerint transgressorem, ipsum, quam cicius eis constiterit, a suo officio absolvant in penam.

---

11) manifesta] innifesta *cod. ms.*

Item. Cum quidam fratres obedienciam ordinis recusantes pretextu quorumdam exempcionum, quas plerique a curia sibi procurant, pacem et concordiam fratrum turbare et debita nostre observancie ut in plurimum solent impedire, volumus et ordinamus districte precipiendo mandantes in provinciis et conventibus nostri ordinis universis, quatenus nullum talem fratrem, cuiuscumque condicionis existat, postquam de eius exempcione ipsis sufficienter constiterit, ultra triduum in conventibus retinere vel ei de bonis conventus quidquam ministrare presumant, nisi dictis exempcionibus simpliciter renunciet, aut super hoc, quod retinere possit, a magistro ordinis reverendo licenciam habuerit specialem, quam tamen rogamus eundem magistrum reverendum nulli faciliter indulgere velit. Similiter eciam ordinantes et eodem modo precipientes presidentibus supradictis, quatenus nullum fratrem ordinis nostri factum episcopum titularem infra septa cuiuscumque conventus audeant retinere, nisi cum aliquo singulariter de consensu tocius conventus reverendissimus magister ordinis dispensaverit.

Item. Protestamur expresse, quod omnibus litteris apostolicis legitime et iuridice impetratis ac eciam omni mandato sanctissimi in Christo patris et domini Bonifacii pape noni volumus in omnibus obedire.

Ac propter eccessivam ambicionem et dispensacionem quorumdam fratrum ordinis nostri, qui per temeritates tacitas et falsitates expressas frequenter impetrant litteras apostolicas subrepticias contra libertatem ordinis et turbativas pro se ipsis datas, et ne ordinis eiusdem fratres nostri quomodolibet molestentur, potissime cum nobis constet tam per reverendum magistrum, qui nunc est, quod non est intencionis domini pape prifari (!) effecto per se aut committere aut eorum perpetuacionem concedere cuicumque seu eciam libertatem ordinis (dimittere) diminuere quoquomodo, volumus et ordinamus ac sub pena gravioris culpe omnibus et singulis fratribus ordinis nostri mandamus, quam penam si oppositum fecerint, illum vel illos incurrisse declaramus, quatinus nullus eorum audeat cuicumque fratri deferenti quamcumque bullam apostolicam super officio sibi commisso infra ordinacionem vel supra perpetuacionem ab ordine sibi commissi credere vel obedire, nisi prius dicta bulla vel autentica copia per reverendum magistrum ordinis fuerit examinata, et an iuridice vel aliter impetrata fuerit, per suas patentes litteras declarata.

Item. Iniquitatem quorumdam fratrum de suis confratribus inhoneste coram secularibus obloquencium reprimere cupientes volumus et ordinamus, quod constitucio de infamatoribus ordinis et de revelantibus secreta ordinis ad unguem observetur, adiicientes, quod quicumque frater in publicis predicacionibus et in privatis sermonibus coram secularibus de suis fratribus oblocutus fuerit, ipso facto sit carceri adiudicatus, mandantes

districte presidentibus, quod quam cito eis hoc constiterit, illum vel illos incarcerent indilate.

Item. Vagos discursus fratrum et inutiles pro viribus cohercere volentes volumus et ordinamus, quatinus nullus frater terminos sue provincie exire presumat sine litteris testimonialibus sui provincialis vel suorum superiorum, de quibus teneatur fidem facere suo superiori presidenti in nacione vel conventu, antequam exeat, nec de conventu ad conventum sine huiusmodi litteris se transferat, magistris in theologia [et] inquisitoribus dumtaxat exceptis, quibus sufficiat a suis presidentibus licenciam postulare; aut eciam de conventu ad civitatem vel ad alia loca sine sui presidentis licencia et sine socio ordinis exire presumant sub pena culpe gravioris, quam incurrisse denunciamus oppositum facientes, sicud alias de sic transcurrentibus et sine litteris testimonialibus in capitulo Veneto extitit ordinatum, quam ordinacionem quoad omnes eius clausulas innovamus et volumus in suo robore permanere.

Item. Necessitatibus reverendi magistri ordinis succurrere cupientes, quod eo liberius atque irreprehensibilius ordinem valeat gubernare, in quo constabit eum particularibus subvencionibus fratrum pro se aut sua familia maius solito indigere, volumus et ordinamus, quod quilibet prior provincialis eidem magistro ordinis in suarum subsidium expensarum tot florenos annuatim contribuat et persolvat, quot conventus in provincia sua existunt, prout eciam in ultimo capitulo generali Bononie celebrato alias extitit ordinatum, quam quidem contribucionem dicti provinciales a suis conventibus non equaliter, sed proporcionaliter colligant, prout eis secundum taxam conventuum videbitur fore iustum.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Hyspanie et Hungarie.

Absolvimus hos priores conventuales: Augustensem, Buscensem, Eßlingensem, Gewilrensem, Lovaniensem, Spirensem, Wormaciensem, Aquensem et volumus et ordinamus, quod tam priores provinciales quam conventuales nunc absoluti et qui per litteras absolventur, ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus infra annum ab absolucione ipsorum non eligantur; quod si oppositum factum fuerit, non valeant confirmari.

Iste sunt assignaciones.

In conventu Bononiensi assignamus ad legendum sentencias fratrem Ioh. Werlin, cui substituimus fratrem Apollonem de Brixia.

In conventu Coloniensi damus in regentem magistrum Sigillinum (1) diffinitorem presentis capituli.

---

19) maius] minus *cod. ms.*

(1) Magister Sigillinus de Oppenham annis 1400, 1401, 1402 regens fuit studij conventus Argentinensis; cf. *Römische Quartalschrift* 1897 pp. 306, 316, 325.

Removemus studium generale theologie de conventu Aryminensi de provincia s. Dominici et assignamus in conventum Paduanam eiusdem provincie.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc, quod quandocumque per reverendissimum magistrum ordinis aut per provinciales conceditur alicui fratri, quod possit gaudere privilegiis lectorum actu legencium, non intelligatur de duplicata pytancia aut vestibus, nec de socio exempto, in quibus volumus dictos fratres nullam exempcionem propter tales litteras habere.

Item declaramus conventum Revaliensem ad provinciam Dacie simpliciter pertinere committentes provinciali dicte provincie Dacie curam prefati conventus Revaliensis sicud aliorum conventuum sue provincie.

Item declaramus fratrem Matheum olim dictum de Trevisio de provincia s. Dominici ad conventum Iustinopolitanum pro fratre nativo pertinere, mandantes eidem fratri sub pena carceris, quod de dicto conventu Trevisio non se in aliquo impediat (!) et de cetero ad conventum dictum pertinere se dicat et nominet.

Item declaramus hanc in capitulo de studentibus, ubi dicitur: nullus fiat publicus [doctor] neque disputet nisi per licenciam prioris provincialis et diffinitorum capituli provincialis, quod sic debet intelligi, quod per nullius licenciam inferioris quam sit provincialis et diffinitores capituli provincialis vel eciam alterius ipsorum tantum aliquis possit fieri publicus doctor et disputare, non autem sic, quod de licencia superiorum hoc non possit, cum talis sensus nostris constitucionibus in aliis locis et racioni contrarium videatur.

Item. Vicarios facimus in provincia Hyspanie fratrem Dominicum de Aversa.

Item. In provincia Ungarie fratrem Georium (!) Ganmie (1) de eadem provincia.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus fratribus universis nostri ordinis, quod quandocumque frater ad curiam Romanam accesserit sine licencia reverendissimi magistri ordinis aut cum intencione illuc iter arripuerit seu ultra terminum sibi assignatum in illa steterit, vel habens licenciam super hoc solus sine socio ordinis curiam intraverit vel solus per illam discurrerit seu per se vel per alium absque licencia magistri ordinis speciali vel procuratoris ordinis aliquod negocium ordinem nostrum, provinciam,

---

27) Aversa] Averro *cod.*

---

(1) Ganmie *forte* Gaumie *vel* Gamme.

conventum vel monasterium aut fratrem tangens tractaverit, vel eciam de curia sine licencia et littera testimoniali procuratoris ordinis recesserit, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, penam carceris incurrant ipso facto, et ex nunc prout ex tunc omnem talem fratrem sentencialiter adiudicamus per presentes nec volumus, quod ad gracias vel ad vocem restitui valeant nisi per reverendissimum magistrum ordinis vel per capitulum generale. Concedimus tamen singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus, quatinus ad dictam curiam pro negociis ordinis, quocienscumque necesse fuerit, possint ire et eciam mittere duos fratres; illo vero provinciali, in cuius provincia curia Romana residet vel pro tempore residebit et eius vicario concedimus, quod ad dictam curiam fratres sue provincie mittere possit, prout paci et honestati ordinis iudicaverit expedire; procuratori vero generali fratres ad curiam Romanam undecumque vocandi et eciam veniendi, licenciandi ac inde expellendi, puniendi ac eciam incarcerandi, quocienscumque expediens iudicaverit, liberam concedimus facultatem districte mandantes eidem, quod litteras fratrum veniencium ad curiam registret et alia faciat, prout alias in capitulo Veneciis celebrato extitit ordinatum; quam ordinacionem quoad singulas eius clausulas eciam de contribucione eiusdem procuratori per provincias dari solita volumus in suo robore permanere, mandantes in virtute sancte obediencie provincialibus omnibus, quatinus reverendo patri fr. Thome de Firmo (1), magistro in theologia, provinciali provincie sancti Dominici et procuratori ordinis, infra ·vi· menses a noticia presencium mittant contribucionem sibi debitam pro uno anno cum dimidio, exceptis illis, qui iam solverunt.

Item. Cum ordo noster sua debeat libertate gaudere, volumus et ordinamus, quod nulla auctoritas, cura et gubernacio cuiuscumque provincie vel conventus generaliter vel particulariter detur sive per reverendum magistrum ordinis sive per quemcumque alium cuicumque persone extra obedienciam nostri ordinis constitute; quod si oppositum factum fuerit per quemcumque, totum sit irritum et inane, nec fratres tali commissario teneantur in aliquo obedire.

Item. Ordinacionem et mandatum de violatoribus litterarum reverendissimi magistri ordinis et procuratori[s] ordinis generali[s] et eciam provincialium et de inhabilitacione portancium et procurancium litteras secularium propter statum quemcumque in ordine obtinendum volumus quoad singulas eius clausulas et penas inviolabiliter permanere, prout in capitulo ultimo Veneciis celebrato extitit ordinatum.

---

(1) De fr. Thoma de Firmo cf. supra pag. 24.

Item. Conscienciis et saluti fratrum providere volentes denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod quicumque ordinacionem reverendissimi magistri ordinis super reformacione observancie regularis ordinatam et auctoritate sedis apostolice confirmatam quocumque modo scienter et ex intencione impedierit aut quemcumque fratrem ad perpetuam huiusmodi observanciam se transferre volentem directe vel indirecte publice vel occulte per se vel per alium retraxerit, sentenciam excommunicacionis ipso facto incurrat, prout in litteris apostolicis super hoc specialiter confectis ac in presenti capitulo coram toto ordine de speciali mandato sanctissimi in Christo patris et domini Bonifacii pape noni publicatis plenius continetur (1).

Item. Pro serenitate conscienciarum omnium fratrum nostri ordinis omni auctoritate, qua possumus, absolvimus omnes et quoscumque vicarios fratres in ordine nostro sive generaliter sive particulariter in una vel in pluribus provinciis sive conventu sive conventibus et nacionibus, precipientes fratribus universis sub omni pena in nostris constitucionibus contenta, quatinus nulli vicario olim facto generali vel provinciali obediant, nisi constet eis per novas litteras reverendissimi magistri ordinis, quod sint noviter instituti.

Iste sunt concessiones et gracie.

Committimus et concedimus reverendissimo magistro ordinis omnia et singula, que de communi consuetudine per diffinitores generalis capituli consueverunt committi et concedi tam in capitibus quam in membris, signanter de institucione et destitucione provincialium Terre sancte et Grecie, ut liberius valeant agere, que pro utilitate et honestate ordinis iudicaverint expedire et presertim Wilhelmi Hanysici diffinitoris presentis capituli.

Item. Concedimus fratribus provincie Anglie, quod possunt festum sancti Andree apostoli sub toto duplici celebrare.

Item. Concedimus cuilibet diffinitori presentis capituli, qui capitulo interfuerunt et provinciali Romano et provinciali provincie sancti Dominici, quatinus auctoritate capituli generalis quilibet eorum possit restituere ad voces et ad alias gracias ordinis, ubicumque sint, ·iiii·[or] fratres de suis provinciis.

Iste sunt penitencie.

Quamvis frater Iohannes de Iuliano de Veneciis multos et varios excessus commisit (!) isto anno in conventu Baduano (!) et ibidem ordinem multipliciter scandalizaverit, precipimus ei in virtute sancte obediencie

---

(1) Qua de re cf. Cormier *B. Raymundi Capuani Opuscula et litterae* Romae 1899 pag. 51 sqq.

et spiritus sancti et sub pena carceris, quatinus debeat comparere in capitulo provinciali sue provincie de proximo celebrando.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Item. Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino Bonifacio papa nono quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus et dominis cardinalibus quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis et diffinitoribus presentis capituli generalis quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro reverendissimo domino patriarcha Aquileg(i)ensi (1) quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro reverendissimis dominis archiepiscopis Coloniensi (2), Moguntinensi (3) et Treverensi (4) quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino episcopo Babenbergensi (5) quil. sacerdos ·i· mis.

Item. Pro serenissimo principe et domino domino rege Romanorum quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro serenissimo principe rege Anglie quil. sacer. ·ii· missas.

Item. Pro serenissimo rege Ungarie Sigismundo quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro serenissimo principe rege Portugallie quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro serenissimo principe rege Polonie et sue consorti (!) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustribus ducibus Bavarie Ruperto antiquiori et filio suo Clementi (!) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Philippo de Falkenstein quilib. sac. ·i· missam.

Item. Pro magistro civium, schabinis et ceteris civibus in Frankford quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro benefactoribus presentis capituli quilib. sac. ·iii· missas.

Item. Pro civitate Moguntinensi et fratre H. bon. et Iohanne de Heynio et Cecilie uxori (!) eius, qui edificaverunt novum conventum in Cecilia (?) quilibet sacerdos ·iiii· missas.

Item. Clerici non sacerdotes ·i· psalterium et conversi mille (!) pater noster.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

---

(1) Antonio Gaëtano cf. EUBEL *Hierarchia* pag. 106.

(2) Friderico de Saarwerden cf. l. c. pag. 206.

(3) Ioanne de Nassau cf. l. c. 336.

(4) Wernero de Königstein cf. l. c. 523.

(5) Lamberto de Brunn cf. l. c. pag. 130.

Item. Pro animabus reverendissimorum cardinalium Poncelli de Ursinis (1), Teatini (2), et aliorum, qui post nostrum capitulum Veneciis celebratum decesserant, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro anima cuiusdam ducis Iuliacensis Gelrie (!) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro anima domini Mathei cardinalis de Ursinis (3), qui perpetuam elemosinam dimisit capitulo generali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro animabus venerabilium de Octa et Hassia magistrorum in theologia quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro omnibus animabus, quibus obligamur, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro illis, qui sunt interfecti seu mortui in bello turco, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro animabus Berhtoldo (!) et Margarete consorti sue (!) et Hermanno de Ofenbach et sibi recommendato de conventu Erpfordensi quilibet sacerdos ·ii· missas.

Clerici non sacerdotes legant pro quolibet ·i· psalterium; conversi centum pater noster.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus ad duos annos celebrandum in conventu Utinensi provincie s. Dominici, et volumus et ordinamus, quod nullus frater, qui non sit de corpore capituli, presumat venire; si quis oppositum fecerit, voce simpliciter sit privatus. Diffinitores vero et eorum socii possunt intrare dominica infra octavas ascensionis domini.

Expliciunt acta generalis capituli Frankenfordie celebrati.

(1) Obiit 1395 Febr. 2, cf. l. c. XXVII, 13.

(2) Elziarius de Sabrano † 1394 m. Sept.; cf. l. c. XXVII, 19; forte vero legendum est « Reatini » loco « Teatini », cuius nominis cardinalis nempe Bartholomaeus Mezzavacca obiit 1396 iulii 29; l. c. XXVII, 13.

(3) De quo MOPH. IV, 125.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD UTINUM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°· CCCC°· I°· IN FESTO PENTHECOSTES (1).

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur « si autem priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali etc. » deleatur « in ipso capitulo » et dicatur, « in quocumque capitulo etc. », ut ibi sequitur.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur « volumus autem, quod electio predicti spectet tantum ad priores conventuales », addatur « et ad predicatores generales et duos fratres », ut ibi sequitur.

Item hanc: In capitulo de electione prioris conventualis vel institucione supprioris, ubi dicitur « si vero infra mensem non elegerint vel postulaverint, prior provincialis conventui providebit de priore » addatur sic: « qui competenter in dicto conventu sciat proponere verbum dei, alias nec eligi valeat nec quovis modo confirmari.

Item in eodem capitulo, ubi dicitur « vel prior provincialis aliter ordinaverit » addatur sic: « nulli autem presidenti ordinis licet alicui extra obedienciam ordinis existenti curam committere vel auctoritatem dare super fratres vel conventus ordinis quomodocumque; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane ».

Item hanc: In capitulo de predicatoribus, ubi dicitur « statuimus autem, ut nullus fiat predicator generalis, antequam theologiam audierit per tres annos et nisi sit discretus et maturus ad negocia ordinis in capitulis pertractanda etc. » addatur sic: « et sciat competenter in sua provincia proponere verbum dei. Idem dicimus de inquisitoribus heretice pravitatis non instituendis, qui sufficienter in locis sue inquisicionis nesciunt predicare; quod si secus factum fuerit, nullius sit roboris vel momenti ».

Item hanc: In capitulo de studentibus circa finem « nullus autem fiat publicus doctor nec disputet, nisi per licenciam prioris provincialis et diffinitorum capituli provincialis » addatur sic: « nec aliquis habilitetur in aliqua universitate ad legendum pro forma et gradu magisterii in theologia, nisi per acta capituli generalis fuerit assignatus; de cetero

(1) Acta huius capituli desumpta sunt e codice supra pag. 93 not. 1 memorato.

non fiat de aliquo, nisi prius fuerit expositus per capitulum provinciale sue provincie; poterit tamen reverendus magister ordinis, si aliquem taliter assignatum legitime impediri contigerit, loco eius alium deputare, cuius actus valeant pro forma magisterii supradicti, dummodo per immediatum sequens capitulum fuerint approbati ».

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod provincia Lombardie inferioris dicatur de cetero et vocetur provincia beati Dominici, et provincia Lombardie superioris dicatur et vocetur provincia Lombardie absolute, et illud tempore medio observetur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc, quod festum virginis gloriose, quando visitavit Elizabeth, celebretur sub toto duplici secundo die iulii et eiusdem festi octave celebrentur iuxta rubricam octavarum corporis Christi, cum sit eadem indulgencia, et fiat officium per reverendum magistrum ordinis Raymundum editum, et de apostolis fiat memoria tantum cotidie usque ad octavas ipsorum. In octavis autem apostolorum fiat festum simplex cum memoria de festo visitacionis. In crastinum vero dicti festi fiat memoria de sanctis martiribus Processo et Martiniano; et die ·xi· dicti mensis fiant de beato Procopio ·iii· lectiones; et in die ·xii· si vacaverit, fiat anniversarium omnium sepultorum in cimiteriis nostris; et hec habet tria capitula et debet notari in ordinario et in aliis libris, prout fuerit expediens.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Inprimis divino cultui intendentes pro viribus volumus et ordinamus, quod divinum officium diurnum pariter et nocturnum melius solito more dicatur, et ubi sunt duodecim fratres clerici, totum cantetur; quod si presidens conventus neglexerit hoc execucioni mandare, a suo presidentis officio sit suspensus, si in hoc notabiliter inventus fuerit negligens; adiicientes, quod fratres, qui divinum officium dicere neglexerint, illud coram conventu sedentes ad terram sub eadem pena dicere compellantur.

Insuper volumus et mandamus, quod officium translacionis sancti Thome editum per quendam fratrem Al[do]brandinum de Ferraria (1) in pretato festo per totum ordinem nostrum cantetur.

Item nolumus, quod aliquis frater ad sacerdocium promoveatur ante tempus a iure statutum et [nisi] sufficienter sciat secundum grammaticam loqui.

Item. Ut regularis nostra religio in melius reformetur, volumus et mandamus provincialibus et prioribus conventualibus ac eorum loca te-

(1) De fr. Aldobrandino de Ferraria cf. MOPH. IV, 455, 457, ubi SSOP. I, 861 corrigas in SSOP. I, 681.

nentibus, quatinus cum omni diligencia et conatu faciant in suis provinciis et conventibus constituciones nostri ordinis observari, et specialiter quod silencium in claustro, refectorio, dormitorio et maxime de nocte inviolabiliter observetur.

Nolentes, quod de esu carnium secunda feria et quarta cum aliquo fratrum dispensetur, nisi subsit legitima causa.

Volentes, quod a festo exaltacionis sancte crucis usque ad pascha feriis secundis, quartis et sextis cum nemine dispensetur de ieiunio absque causa perurgente; adiicientes, quod quilibet frater nostri ordinis det in scriptis ad minus semel in anno suo presidenti quelibet bona sibi per ordinem approbata; si quis autem hoc facere contempserit, usu ipsarum rerum sit ipso facto privatus.

Nolumus eciam, quod fratres sine urgente causa licencientur passim ad exeundum conventus pro introitu ad civitatem; et illud precipue pro diebus festivis observetur. Si autem aliquis presidens vel subditus in premissis negligens extiterit, per superiores pena condigna puniatur.

Item volumus et ordinamus, quod libri, celle, camere, aut alia bona quecumque conventuum, vel in quibus bonis succedunt conventus racione fratrum defunctorum aut alia quavis causa, nullatenus (per aliquem) concedantur cuicumque fratri ad vitam per presidentem quemcumque sine consensu duorum (!) parcium conventus illius, ad quem spectaverint huiusmodi bona, et assensu prioris provincialis; adiicientes, quod celle aut camere deputate pro officiis provincialatus, prioratus, lectoratus aut officiis studii sine licencia reverendi magistri ordinis nulli ad supradictum usum concedantur quovis modo; revocantes omnem concessionem in oppositum factam presentis ordinacionis per quemcumque post capitulum generale immediate precedens. Et idem de nostro unanimi consilio et assensu mandat reverendissimus magister ordinis in monasteriis sororum observari quoad singula eius puncta.

Item volumus et ordinamus, quod nullus acceptet gradum magisterii, nisi perferat residenciam per quatuor annos in aliqua universitate ad minus et exercuerit actus scholasticos pro forma et gradu predicti in eadem; mandantes omnibus magistris in sacra pagina, quatinus nullum favorem alicui prebeant contra ordinacionem prefatam, et qui in oppositum fecerint, sint privati officiis et graciis eis concessis.

Item vagos discursus fratrum et inutiles pro viribus cohercere volentes, volumus et mandamus, quatinus nullus frater exeat terminos sue provincie sine littera testimoniali sui provincialis sub pena gravioris culpe, quam incurrisse denunciamus oppositum facientes; omnem fratrem extra terminos sue provincie commorantem absque caucione talium litterarum mandamus expelli per presidentes conventuum infra octo dies a noticia

presencium sub eadem pena, qui non redeunt ad provinciam suam nec tales vagabundos permittant commorari infra terminos sue provincie aut sui conventus, eciam si deberent eos per brachium seculare capi facere tamquam inobedientes et carceri mancipari. Nullus eciam sine socio ordinis incedat extra terminum absque expressa licencia et legitima causa alicuius provincie aut conventus, de qua mencio fiat in testimoniali littera; que littera nulli detur absque prefixione termini, qui terminus sit brevis et ultra annum post datum littere non possit extendi. Adiicientes sub eadem pena, quod nullus frater ordinis acceptans cappellanatum seu stans cum aliquo domino spirituali vel temporali sine licencia reverendi magistri ordinis vel sui provincialis, quod, nisi habeatur de eorum licencia et in scriptis, nullius sit roboris vel momenti.

Item. Precipuum nostri ordinis splendorem nolentes alicuius erroris inputacione obfuscari, volumus et ordinamus, quod hereticorum inquisitores nequeant inquirere vel procedere contra quemcumque fratrem ordinis nostri absque expressa et speciali licencia in scriptis habita de sollempni consilio et cum expressione cause racionabilis a reverendissimo magistro ordinis vel a suo provinciali. Quicumque autem oppositum fecerit, ab inquisicione sit absolutus ipso facto, quem et quos reverendus magister ordinis ex nunc prout ex tunc absolutum et absolutos denunciamus (!) ipso facto.

Item volumus et ordinamus, quod nullus frater de ordine nostro, qui sit extra obedienciam nostri ordinis constitutus, possit quovis modo in aliquo conventu ordinis ultra tres dies recipi vel teneri, nisi intervenia consensus duarum parcium tocius conventus; quod si oppositum factum fuerit per quemcumque presidentem, ipso facto a sua presidencia sit suspensus, nec liceat alicui provinciali in hac ordinacione quomodolibet dispensare.

Item volumus et mandamus provincialibus universis nostri ordinis, quatinus in suis capitulis provincialibus ordinent subiectis penis, prout viderint expedire, quod priores conventuales sint solliciti circa recepcionem noviciorum et bonam educacionem eorumdem et quod studia magistrorum reformentur iuxta consuetudinem conventuum hactenus tentam.

Item. Honestati et religioni monasteriorum et fratrum intendentes volumus et ordinamus, quod nullus frater intra clausuram monasterii valeat intrare, nisi in casibus in constitucionibus earum expressis sub pena privacionis omnium graciarum ordinis, quam incurrunt oppositum facientes ipso facto; mandantes presidentibus provinciarum universis, quatinus in suis capitulis strictas faciant ordinaciones de accessu ad mona-

---

1) *post* pena *videtur aliquid deesse.* — 5) terminum] conventum *cod. ms.*

steria et combinacione fratrum, prout secundum deum et disposicionem loci viderint expedire.

Item volumus, quod ordinaciones et denunciaciones presentis capituti legantur in quolibet conventu semel in mense fratribus congregatis in capitulo vel in mensa sub pena suspensionis, quam quilibet presidens contraveniens incurrat ipso facto.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem provincie Trinaclie, cuius curam committimus fratri Matheo de Channa[ra].

Item. Absolvimus omnes vicarios nacionum et provinciarum, exceptis vicariis societatis peregrinancium propter Christum, Ybernie et Scocie, et rogamus reverendum magistrum ordinis ac monemus priores provinciales, quatinus ab institucione huiusmodi vicariorum, quando et ubi necessitas non urget, studeant abstinere.

Item. Absolvit reverendus magister ordinis de omnium nostrum consilio et assensu omnes inquisitores regni Sicilie.

Item. Omnes alios inquisitores in quibuscumque provinciis, qui sufficienter non sciunt proponere verbum dei.

Iste sunt assignaciones.

In conventu Bononiensi assignamus ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii in theologia pro primo loco fratrem Andream de Amento de provincia Trinaclie, cui substituimus fr. Thomam de Placencia de provincia Lombardie.

In conventu Coloniensi damus in lectorem fratrem Nycolaum de Osterwik, magistrum in theologia (1).

In conventu Wyennensi damus in lectorem fratrem Franciscum de Retza, magistrum in theologia (2).

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus fratribus ordinis nostri universis, quod quicumque frater ad Romanam curiam accesserit sine licencia reverendi magistri ordinis, seu ultra terminum sibi assignatum in illa steterit, vel habens licenciam solus per illam discurrerit, per se vel per alium absque licencia reverendi magistri ordinis vel procuratoris ordinis aliquod negocium ordinis ordinem nostrum, provinciam, conventum vel monasterium sororum aut fratrem tangens tractaverit, penam carceris incurrat ipso facto. Concedimus tamen singulis prioribus provincialibus, quatinus ad dictam curiam pro negociis, quocienscumque necesse fuerit, possint ire et fratres ad illam mittere, prout eis videbitur expedire.

(1) De fr. Nicolao de Osterwik cf. *Römische Quartalschrift* 1897 pp. 296, 309, 315.
(2) De fr. Francisco de Retza cf. l. c. 296, 302, 306, 315.

Mandantes sub pena precepti omnibus provincialibus, quatinus procuratori ordinis generali, qui pro tempore fuerit, mittant indeffectibiliter omni anno ad Romanam curiam ·vi· bonos florenos de Florencia ante festum nativitatis Christi. Et qui pro tempore procuratoribus ordinis, qui fuerunt, non solverunt vel adhuc solvere tenentur, iuxta ordinacionem capitulorum precedencium solvant, antequam de capitulo recedant vel componant integraliter et complete; diffinitores vero, quorum provinciales sunt absentes ad hec tenore presencium effectualiter obligamus, non tamen intendentes per hoc aliquid derogare determinacioni facte auctoritate pie memorie magistri ordinis (1) de contribucione provincie s. Dominici consueta dari procuratori ordinis.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod quicumque frater post tres dies a noticia presencium pro [termino] ammonicionis datos directe vel indirecte per se vel interposicione persone ordinem infamaverit aut fratres ipsius vel ipsis detraxerit apud personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, vel ordinacionem de se vel de alio factam vel obedienciam sibi vel alteri iniunctam seu officium vel gradum habere procuraverit vel eximi per personas predictas, ut in fine capituli de itinerantibus expresse ponitur, sentenciam excommunicacionis incurrit ipso facto, quam reverendus magister ordinis iuridice tulit in diffinitorio coram nobis de omnium nostrum consensu et assensu, absolucionem ab dicta sentencia sibi et provincialibus solum reservans; et nichilominus volumus, quod tales tamquam ordinis nostri destructores carceri mancipentur.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod de consilio et voluntate provincialium et diffinitorum presentis capituli ac plurimorum aliorum patrum et fratrum pro expensis factis et fiendis pro procuracione privilegiorum pro ordine et monasteriis ordinis nostri ac eciam pro expensis factis tempore vacacionis magisterii (2) per reverendum magistrum ordinis, dum esset vicarius generalis, et aliis fiendis in favorem ordinis ordinavimus, quod quilibet provincialis eidem reverendo magistro ordinis tot florenos annuatim mittat, quot conventus fratrum et sororum habet in sua provincia; quam quidem contribucionem dicti provinciales non equaliter, sed proporcionabiliter colligant, prout eis secundum taxam conventuum videbitur fore iustum et equum, prout alias in capitulis generalibus Bononie et Franckfordie (3) fuit ordinatum, volentes, quod illi qui non sol-

(1) Fratris scilicet Raymundi de Capua, qui obiit die 5 oct. 1899 Nurembergae; de quo cf. supra pag. 23 sqq.

(2) A die 5 octobris 1399 ad diem 15 maii 1401, quo die electus est fr. Thomas de Firmo, tunc provincialis Lombardiae inferioris; de quo supra pag. 24.

(3) Cf. supra pag. 97 l. 16 sqq.

verunt contribucionem supradictam vel non compleverunt solvere pro tempore preterito post capitulum Franckfordie immediate precedens, integraliter solvere teneantur.

Item notificamus, quod nonnullas ordinaciones pro pace ordinis ad provinciam Anglie et ad alias provincias mittimus sub sigillo reverendi magistri ordinis, quas volumus observari.

Item revocamus omnes gracias et licencias exemptorias per quemcumque presidentem ordinis cuicumque concessas ac omnes auctoritates concessas per magistrum ordinis reverendum tempore sui vicariatus.

Committimus et concedimus reverendo magistro ordinis institucionem priorum provincialium Terre sancte, Grecie et provinciarum titularium absque electione provinciarum predictarum.

Sentencias iudicum approbamus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino Bonifacio papa nono et pro felici statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro reverendissimo patre et domino domino cardinali de Branckacziis, protectore ordinis (1), quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro reverendissimis patribus et dominis Monopolitano (2) et Bononiensi (3) ac pro toto collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro reverendo in Christo patre ac domino domino Anthonio, patriarcha Aquilegensi (4), quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro reverendo domino episcopo Civitatis nove (5) quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro reverendo magistro ordinis et provincialibus ac diffinitoribus presentis capituli quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro priore istius conventus et pro quibus intendit quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro egregia civitate Utinensi et pro bono statu civium eiusdem quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro serenissimo rege Romanorum et illustrissimis principibus et dominis, ad nostrum ordinem singulariter affectis, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

---

(1) Raynaldo de Brancatiis; Eubel *Hierarchia* XXVII, 39.
(2) Francisco Carbono, de quo l. c. XXVII, 37.
(3) Cosmato de Melioratis; cf. l. c. XXVIII, 3.
(4) De quo supra pag. 101.
(5) Gilberto O. Praed.; cf. Eubel l. c. pag. 198.

In primis pro animabus reverendorum dominorum cardinalium de Alanckonio (1), de Ravenna (2) et de Anglia (3) quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro anima Mathei de Ursinis (4) cardinalis, qui perpetuam elemosinam dimisit pro capitulo generali, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro qualibet missa superius posita dicant clerici non sacerdotes septem psalmos penitenciales cum letania, conversi vero centum pater noster et totidem ave Maria dicant.

Sequens capitulum assignamus ad duos annos celebrandum in conventu Erdfordensi in provincia Saxonie in festo penthecostes.

Expliciunt acta capituli generalis.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS APUD ERPHORDIAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· III°·

Iste sunt inchoaciones.

Primo inchoatum est, quod de festivitatibus sancti Antonii abbatis et ·xi· millium virginum fiat totum duplex.

Item. In ordinario de oracione pro capitulo generali et pergentibus illuc in principio, ubi dicitur: feria tercia ante pentecosten, deleatur hoc et dicatur sic: dominica post festum trinitatis; et titulo dicti capituli addatur: et redeuntibus.

Item. In constitucionibus in capitulo de gravi culpa additum est: si quis litteras alicui miserit, vel sibi missas legerit, quas presidenti suo non exhibuerit, magistris in theologia, inquisitoribus et predicatoribus generalibus dumtaxat exceptis.

Item. In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: predicatores autem generales dicimus etc., addatur sic: magistros in theologia.

Item. In eodem capitulo additum est: vicarii vero particulares sive nacionum sive conventuum nec « fidelium » dicant, nec locum mutent nisi in capitulo, dum ibidem suum exercuerint officium.

Item. In capitulo de solemni celebracione capituli circa principium, ubi dicitur: secunda feria post pentecosten, additum est sic: vel in ipso festo.

---

(1) Philippo de Alençonio; † 1396 Aug. 16: Eubel l. c. XXVII, 16.
(2) Pileo de Prato, qui obiit c. 1400; cf. l. c. XXVII, 2.
(3) Adam de Eston, qui obiit 1397 sep. 20; cf. l. c. XXVII, 26.
(4) De quo supra pag. 102.

Item. In capitulo de capitulo generali additum est: et quod idem faciant provincie propinque. Licenciandi et mandandi magister ordinis liberam habeat potestatem.

Item. In capitulo de visitatoribus, ubi dicitur: absque status domus immutacione, additum est sic: quod tam per ipsos quam per alios presidentes ita fieri volumus, ut cum superiorum visitacione de proximo concurrere non presumant.

Item. In capitulo de studentibus additum est: nec aliquis habilitetur aut assignetur in aliqua universitate pro forma et gradu magisterii in theologia nisi per acta capituli generalis. Que habilitacio seu assignacio non fiat de aliquo, nisi sentencias prius legerit, et ut studens Parisiensis in theologia, vel si frater Anglicus fuerit, ut studens Oxoniensis pro secunda forma per annum ad minus studuerit atque per sue provincie provinciale capitulum expositus fuerit. Poterit tamen magister ordinis, si aliquem talem legitime impediri contigerit, loco eius alium deputare, cuius actus valeant pro forma et gradu magisterii, dummodo per sequens generale capitulum fuerit approbatus. Nec aliquis magistretur in theologia, nisi prius actus scholasticos exercuerit pro forma et gradu magisterii per quatuor annos ad minus in aliqua universitate. Oppositum autem facientes eo ipso sint excommunicati atque omnibus graciis, officiis et exempcionibus perpetuo (sint) privati, nec secum dispensari valeat nisi per capitulum generale.

Item. In capitulo in fine constitucionum, quod incipit: quicumque, ubi dicitur: donec ad dictum numerum fuerint redacti, additum fuit sic: magistris in theologia et illis dumtaxat exceptis, qui racione antiquitatis vel infirmitatis ad capitula provincialia venire non possunt.

Item. In capitulo de capitulo biennali, ubi dicitur: singulis annis nichilominus post festum pentecostes fiant capitula provincialia, additum fuit sic: nisi per magistrum ordinis in aliquibus provinciis ex causa legitima ad biennium fuerint prolongata.

Item. Quod provincia Lombardie inferioris dicatur de cetero et vocetur provincia sancti Dominici, et provincia Lombardie superioris dicatur et vocetur provincia Lombardie absolute.

Iste sunt approbaciones.

Secundo approbatum est in capitulo de electione prioris conventualis, quod additum est de priore: quod competenter in dicto conventu sciat proponere verbum dei, alias nec eligi valeat nec aliquatenus confirmari.

Item. In eodem capitulo additum fuit sic: nulli autem presidenti ordinis liceat alicui extra obedienciam nostri ordinis existenti committere curam vel autoritatem dare super fratres vel conventus ordinis nostri quomodocumque; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item. In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem priorem provincialem in ipso generali capitulo vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso, deletum est: in ipso, et positum: quomodocumque.

Item. In eodem capitulo, ubi dicitur: quod electio predicta spectat tantum ad priores conventuales, additum est: et predicatores generales.

Item. In capitulo de predicatoribus, ubi dicitur de predicatoribus instituendis, additum est: quod sciant competenter in sua provincia proponere verbum dei; idemque de inquisitoribus heretice pravitatis non instituendis, qui sufficienter in locis sue inquisicionis nesciunt predicare. Quod si secus factum fuerit, nullius sit roboris vel momenti (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD NURIMBERGAM PROVINCIE THEUTONIE IN FESTO PENTECOSTES DIE ·XXIV· MENSIS MAII CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCCC°·V°·

Sub reverendissimo sacre theologie professore fratre Thoma de Firmo (2) provincie sancti Dominici tocius ordinis predicatorum generali magistro.

Iste sunt inchoaciones.

In primis inchoamus hanc in ordinario, ubi dicitur de festo duplici: in aliis autem horis non transferatur chorus, addatur sic: ita tamen, quod semper ebdomada prima adventus ebdomadarius stet officiumque fiat in [dextro] choro alternatisque choris [subsequatur], eciamsi in duabus ultimis ebdomadis opportuerit officium esse in choro sinistro.

Item. Quod ubicumque scribitur et quandocumque dicitur collecta « ecclesie tue » in fine addatur sic: « et famulum tuum N. papam nostrum, atque prelatos nostros, una cum grege sibi commisso ab omni adversitate custodi et dirige in viam salutis eterne ».

Item hanc: in ordinario de officio beati Dominici feria 3ª fiendo, ubi dicitur, quod missa sicut in festo simplicis, addatur sic: additis postremis quatuor versibus sequencie post ultimum alleluia.

Item. In capitulo de studentibus, ubi dicitur: si vero ad tempus mittitur, omnes libri eius et res alie, deleatur hoc, quod sequitur: ad

---

(1) Reliqua huius capituli desunt.

(2) De quo supra pag. 108.

provinciam, et loco eius apponatur: eciamsi quomodolibet aliter esset alibi ad tempus deputatus, ad suum conventum originalem.

Item. In capitulo de electione prioris conventualis et institucione supprioris, ubi iam dici debet: totum sit irritum et inane; in fine vero quarte clausule, infra confirmare, addatur sic: fratres vero nostros in episcopali precise titulari, vel alias in minori gradu extra obedienciam nostri ordinis constitutos nolumus in nostris conventibus ultra triduum detineri absque licencia provincialis cum assensu ad minus duarum parcium conventus obtenta; alioquin suspensionem a suis officiis presidentes contrafacientes incurrant.

Item. In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: perpetuum iudicabunt, addatur sic: magister ordinis amotus post magistrum ordinis in diffinitoriis capitulorum generalium et provincialium et in absencia magistri post provincialem, in cuius provincia fuerit, et in absencia provincialis post principalem prelatum presentem primam vocem, primum locum ubique in omnibus obtinebit; diffinitores autem capituli generalis dominica infra octavas ascensionis vel sabbato precedenti locum intrare capituli teneantur; et ex tunc in choro et alibi loca sua tenebunt, quousque tempus sue diffinicionis expiret; provinciales vero absoluti loca in provinciis suis, in quibus prefuerint, super omnes alios ubique habebunt, dummodo magistri sacre theologie non magistris ex hoc minime postponantur, nec actualium presidencium locis aliqualiter derogetur; et procurator ordinis durante suo procuracionis officio super omnes provinciales, excepto provinciali, in cuius provincia fuerit, se collocabit; magistris in theologia immediate post priorem, in cuius conventu fuerint, locum damus.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus hanc, quod de festivitatibus ·xi· millium virginum et sancti Antonii abbatis fiat totum duplex.

Item hanc: In ordinario de oracione pro capitulo generali et pergentibus illuc in principio, ubi dicitur: sexta feria ante pentecosten, deleatur hoc et dicatur sic: dominica post festum trinitatis, et titulo dicti capituli addatur: et redeuntibus.

Item hanc: In capitulo de studentibus circa finem, ubi dicitur: nullus autem fiat publicus doctor nec disputet, nisi per literas prioris provincialis et diffinitorum capituli provincialis, addatur sic: nec aliquis habilitetur aut assignetur in aliqua universitate ad legendum pro forma et gradu magisterii in theologia, nisi per acta capituli generalis; que habilitacio seu assignacio non fiat de aliquo, nisi sentencias legerit prius, et ut studens Parisiensis in theologia, vel si frater Anglicus fuerit, ut studens Oxoniensis pro secunda forma per annum ad minus studuerit

atque per sue provincie provinciale capitulum expositus fuerit. Poterit tamen magister ordinis, si aliquem taliter assignatum legitime impediri contigerit, loco eius alium deputare, cuius actus valeant pro forma magisterii, dummodo per sequens generale capitulum fuerit approbatus; nec aliquis magistretur in theologia, nisi actus exercuerit scholasticos pro forma et gradu magisterii per quatuor annos ad minus in aliqua universitate; oppositum autem faciens eo ipso sit excommunicatus et graciis, officiis et omnibus exempcionibus sit perpetuo privatus, nec secum dispensari valeat nisi per capitulum generale.

Item hanc: In capitulo de gravi culpa, ubi dicitur: nisi de confessionibus et honestis loquutus fuerit, addatur sic: si quis litteras alicui miserit, vel sibi missas legerit, quas presidenti suo non exhibuerit, magistris in theologia, inquisitoribus et predicatoribus dumtaxat exceptis.

Item. In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: predicatores autem generales dicimus, addatur sic: magistros in theologia.

Item. In eodem capitulo, ubi dicitur: possit concedere litteras de beneficiis illius provincie durante capitulo provinciali dumtaxat, addatur sic: vicarii vero particulares sive nacionum sive conventuum nec fidelium dicant, nec locum suum mutent nisi in capitulo, dum suum ibidem officium exercuerint.

Item. In capitulo in fine constitucionum annotato, quod incipit: quicumque in publica predicacione, ubi dicitur: donec ad dictum numerum sint redacti, addatur sic: magistris in theologia.

Item. In capitulo de visitatoribus, ubi dicitur: absque constitucione et domus immutacione, addatur sic: quod tam per ipsos, quam per alios presidentes ita fieri volumus, ut cum superiorum visitacionibus de proximo concurrere non presumant.

Item. In capitulo de capitulo biennali vel triennali, ubi dicitur sic: singulis annis nichilominus post festum penthecostes fiant capitula provincialia, addatur sic: nisi per magistrum ordinis in aliquibus provinciis ex causa ad biennium fuerint prolongata, in quibus fiant scrutinia etc.

Item. In capitulo generali in fine addatur sic: et quod idem faciant propinque provincie. Licenciandi et mandandi magister ordinis liberam habeat potestatem.

Item. In capitulo de solemni celebracione capituli, ubi circa principium dicitur: secunda feria post pentecosten, addatur sic: vel in ipso eodem festo.

Et quantum nostra interest, volumus et ordinamus, quod suprascripte inchoaciones et approbaciones medio tempore observentur.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus hanc in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem priorem provincialem in capitulo gene-

rali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali, deleatur: ipso, et dicatur: quocumque.

Item. In eodem capitulo, ubi dicitur: electio predicta spectet tantum ad priores conventuales, addatur sic: et predicatores generales.

Item. In eodem capitulo de electione prioris conventualis, ubi dicitur, si infra mensem non elegerint vel postulaverint, prior provincialis providebit de priore, addatur: qui competenter in dicto conventu sciat proponere verbum dei; alias nec eligi valeat nec eciam aliqualiter confirmari.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: vel prior provincialis aliter ordinaverit, addatur sic: nulli autem presidenti ordinis liceat alieno extra obedienciam nostri ordinis existenti curam committere, vel autoritatem dare super fratres vel conventus ordinis quomodocumque; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item. In capitulo de predicatoribus, ubi dicitur: statuimus autem, ut nullus fiat predicator generalis, antequam theologiam audierit per tres annos, nisi sit discretus et maturus ad negocia ordinis pertractanda etc., addatur sic: et sciat competenter in sua provincia proponere verbum dei. Idem dicimus de inquisitoribus heretice pravitatis non instituendis, qui sufficienter in locis sue inquisicionis nesciunt predicare. Quod si secus factum fuerit, nullius sit roboris vel momenti.

Et hec omnia habent tria capitula generalia continua et sunt in nostris constitucionibus annotanda.

Iste sunt ordinaciones.

In primis a divino cultu sumentes exordium, statuimus, quod fratres absque licencia vel racione legitima, iudicio presidentis, deficientes a matutinis beate Marie virginis, vel diei missa conventuali, vesperis vel completorio aut processione, olim per sancte memorie magistrum Iordanem, concomitantibus et corruscantibus insignibus miraculis, ordinata, ut in vitis fratrum clarius continetur (1), quam processionem in quolibet conventu communiter viginti fratres clericos, novicios vel professos, presentes habente volumus fieri omni sero post completorium, prout in ordinario seu notula continetur in capitulo de antiphona « Salve regina » et eius processione; vel in vigiliis defunctorum novem lectionum, aut defectum fecerit in missa legenda per ipsum aut de lectionibus, responsoriis, vel aliis legendis seu cantandis in choro de die vel de nocte, ad que notati fuerint: pro quolibet predictorum pro vice qualibet, diebus immediate sequentibus, in uno prandio abstineat in pane et aqua; non sacerdotes vero sedeant ad terram; ab aliis vero horis canonicis, eciam

(1) Cf. MOPH. I, 59 sqq.

de beata virgine deficientes, a vino, non sacerdotes in pane et aqua; et similiter abstineant omnes fratres, qui absque licencia vel racione legitima non fuerint in principio misse conventualis aut alicuius hore canonice, vel ante ipsius finem discesserint; et quicumque infra octo dies sacramentaliter confessi non fuerint, sint voce privati; fratres vero dicere divinum officium sive diei sive beate virginis contemnentes in prandio immediate sequenti sedendo ad terram illud dicere compellantur. Adiicientes, quod circatores fiant, qui excitent, vocent, admoneant et proclament fratres absentes a matutinis beate viginis vel diei, vel in aliis observanciis defectuosos. Cantores autem diligenciam apponant, quod divinum officium diurnum cum nota ordinis cantetur cum debita in medio versuum pausa, nimia festinacione semota; discrepantesque vel non cantantes corrigant et emendent atque proclament. Et quod inclinaciones et uniformiter et debite fiant. Dissolucionesque compescant, et silencium exacte servetur, atque collecte in summa missa secundum rubricam dicantur. Lampas insuper coram sanctissimo sacramento semper sit accensa, candeleque in matutinis ardeant et aliis horis iuxta formam ordinarii et consuetudinem approbatam; necnon et lumen in dormitorio semper sit de nocte; tres eciam panniculi decenter mundi cuilibet celebranti sacerdoti iuxta notulam ordinis assignentur, quorum unus semper sit in calice pro eo tergendo, remaneat alter pro digitis, tercius pro tergendis naribus, distincte habeantur in usu. Deficientes vero in predictis abstineant, ut prefertur, in pane et aqua, non sacerdotes sedeant in terra; presidentes vero, qui notabiliter et irracionabiliter a divino officio [se] absentaverint vel penitencias defectuosis imponere neglexerint, a suis presidenciis absolvantur in penam; si autem matutine vel aliquid aliarum horarum aut processio suprascripta pro « salve regina » post completorium fuerint in quacumque die contra notulam forme omisse, prior et in eius absencia presidens principalis conventus presens in eodem per unum mensem a suo officio sit suspensus pro vice quacumque.

Item. Ut ad ministerium altaris precise promoveantur fratres habiles, advertant (autem) presidentes et patres, ne aliquis presentetur pro gradu sacerdocii aut sacris ordinibus aliis ante etatem statutam a iure, sufficienter eis notam; considerantes animarum pericula gravesque censuras atque sentencias contra hos fulminatas. Nam quicumque taliter promovetur, suspenditur ipso iure ab execucione ipsius ordinis taliter suscepti, ut habetur extra « *de temporibus ordinacionum* » capitulo « *vel non est* ». Et ibi dicitur in glossa super verbo « *etatem* » et extra « *de etate et qualitate ordinandorum* » in Clementina « *generalem* », et ibidem in glossa super verbo « *anno* ». Quam suspensionem si non servat, efficitur irregularis et non potest secum dispensari secundum iura [nisi] per papam,

ut habetur extra « *de sentencia et re iudicata, cum aeterni* » lib°. 6° et extra « *de sentencia excommunicacionis, cum medicinalis* » eodem libro. Participantes eciam cum eis in divinis eosdem laqueos incurrunt, ut patet [causa] XI, quaest. 3ª. capitulo « *si quis episcopus* »; et idem afirmatur in summa Pisana, ubi tractatur de suspensione. Tempus autem statutum a iure pro suscipiendis sacris ordinibus (ut) habetur in Clementina « *generalem: de etate et qualitate* ». Nam promovendus ad subdiaconatum debet completis ·xvii· annis ·xviii· inchoasse; diaconus vero ·xix· completo ·xx· inchoasse; sacerdos autem, ·xxiv· annis completis sue etatis, debet ·xxv· incepisse.

Ut autem premissa diligenter observentur, ordinamus per presentes, quod nullus presidens possit quemcumque fratrem pro aliquo dictorum sacrorum ordinum sine licencia provincialis vel vicarii contrate presentare; que eciam non sufficiat, nisi habuerit legitimam etatem secundum iura predicta, atque iudicio duarum parcium conventus et officialium studii quoad literaturam et mores iudicetur idoneus.

Qui autem contra hanc ordinacionem licenciaverit, presentaverit aut promoti fuerint vel ad idem consilium, auxilium, assensum prebuerit vel favorem, privacionem vocis et omnium graciarum ordinis ac eciam penam carceris incurrat ipso facto, a quibus penis per nullum magistro ordinis inferiorem valeat liberari. Adiicientes, quod fratres ignorantes et inhabiles nullatenus pro audiendis confessionibus extraneorum diocesano presententur. Qui autem oppositum fecerit, voce ac omnibus graciis ordinis sit privatus. Et ut scientifici seu litterati ab ignorantibus, graduati a non graduatis discernantur, per presentes ordinamus, quatenus fratres predicantes seu predicare scientes in choro et refectorio, processionibus et aliis locis supra quoslibet alios, quantum[cumque] seniores nescientes predicare, loca sua teneant et habeant, fratribus iubilariis et aliis, de quibus provinciales aliter duxerint disponendum, dumtaxat exceptis, quos in suis consuetis locis volumus conservari; fratres vero, qui biretis rotundis seu pileis magistralibus publice usi fuerint, voce ac omnibus graciis ordinis sint privati; ad quas restitui nequeant nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Item. Ut vicium simonie in recepcionibus fratrum et sororum attencius caveatur, presidentes advertant et priores conventuum, quod non recipiatur pecunia pro predictis; nam si ex pacto vel cum exactione aut cum tali intencione seu condicione, quod nisi sic solveretur, non fieret huiusmodi recepcio, quantumcumque sit modici valoris pecunia sive pastus aut mensalia vel quecumque alia, quelibet persona sic recipiens per extravagantem Urbani quinti est ipso facto excommunicatus nec absolvi potest, nisi per summum pontificem; et sic receptus ac recipiens sunt

simoniaci, et debent expelli de ordine atque cogi, ut arctiorem regulam seu ordinem intrent, ut habetur extra de simonia capitulo *quoniam simoniaca*; et tam ipse presidens quam consiliarii simonie labem incurrunt ipso facto; et debent suspendi a divinis et alias graviter puniri, ut habetur eo titulo capitulo *dilectus*, capitulo *veniens*, capitulo [*sicut*] *simoniaca*, capitulo *non satis*, capitulo *de regularibus*; et hanc materiam bene declarat sanctus Thomas II^a IIe. quaest. C. art. III. in responsione ad ultimum. Et in summa Pisana in III^a. dictione simonia paragr. III°; de eadem eciam materia habetur ibid. q. 2^a. per totum versum, que tamen et alia iura, licet in huius recepcionibus subsidium sponte oblatum vel previis exhortacionibus procuratum licet recipere, dummodo pacta, coactiones seu condiciones predicta non interveniant quovis modo.

Item. Quia cemiteria secundum iura eadem gaudent immunitate, qua ecclesia, de quibus vendentes eiici debent et ementes, nec in diebus solemnibus et festivis licite possunt fieri mercancie, ideo, ne favores exhibeamus violatoribus ecclesiarum et festorum immunitatis, cuiuslibet conventus presidentes et fratres requirimus et monemus, ut in ecclesia, cimiterio vel ambitu iuxta ecclesiam, in quo singulariter nostre iubent constituciones silencium servari, et existunt defunctorum sepulture, forum vendicionum vel empcionum nullatenus permittant, quantum in eis fuerit, presertim diebus solemnibus et festivis aliquatenus exerceri.

Item. Fidelitatem nostri ordinis ab ipsius fundacione iugiter continuatam [et soli]tam erga sanctam matrem ecclesiam prosequentes, mandamus fratribus nostri ordinis universis, quatenus statum et fidem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocencii pape septimi divina providencia, ipsorum locucionibus, conversacionibus, conciliis et aliis actibus communibus et privatis iuxta graciam a domino eis datam, apud dominos et populos et quascumque personas defendere satagant et studeant promovere. Oppositum vero facientes precepti penam et manifeste rebellionis se noverint incurrisse.

Item. Ut de noviciis atque adolescentibus fratribus ut de novis plantulis diligens habeatur cura in moribus et studioso profectu, ordinamus, quod provideatur eisdem de magistro competenti sufficientique informatore, qui communis sit cum eis in choro, in refectorio et omnibus aliis locis. Dictique novicii cum fratribus aliis, neque alii fratres cum ipsis noviciis non loquantur seu conversentur absque licencia magistri noviciorum, aut in serviciis a studio retractivis quomodolibet occupentur. Quicumque oppositum fecerit, penam gravioris culpe incurrat pro vice quacumque.

Ad civitatem vero cum nullo fratre alio, quam cum magistro suo, et tunc pro ipsorum necessitatibus licenciari valeant per aliquem presi-

dentem inferiorem provinciali, casu necessitatis excepto. Quicumque autem presidens oppositum fecerit, a sua presidencia sit suspensus ipso facto. Adiicientes, quod eciam professi novelli, non sacerdotes, habeant magistrum et informatorem, qui eorum insolencias et dissoluciones cum disciplinis et abstinenciis et penitenciis aliis corrigant et compescant, atque ad studiosum exercicium vel cantus aut pulsus organorum vel aliud eis magis habile urgeat et astringat; nec huiusmodi iuvenes de facili licencientur extra conventum; si autem aliquis predictorum magistrorum seu informatorum in suo officio notabiliter negligens fuerit, a suo officio absolvatur in penam; et quilibet sic absolutus voce et graciis ordinis sit privatus, ad quas per nullum magistro ordinis inferiorem restitui valeat quovis modo.

Item. Sopitum in nostro ordine studium (in nostro ordine) excitare cupientes, volumus et mandamus, quod in qualibet provincia seu nacione ad minus de uno studio et magistro gramatice, fratre vel seculari, provideatur, sub quo fratres novicii et alii grammaticam discere possint iuxta formam traditam in iure: extra *de statu monachorum;* quibus magistro ac fratribus presertim noviciis et non sacerdotibus iuxta congruitatis et necessitatis exigenciam ad expensas provideatur conventuum sue nacionis vel contrate. Que ut habeantur in promptu, iubemus cuiuscumque conventus unum bonum terminum vel decimam partem omnium proventuum pro predictis expensis, ac eciam infirmorum ac vestiarie reservari ac deputari; qui proventus ex huiusmodi termino vel decima non per presidentem vel procuratorem conventus recipiantur aut expendantur, sed per alium fratrem ad hoc deputatum per provincialem vel eius vicarium, computumque de receptis predictis et fiendis expensis cum diligencia suis superioribus redditurum; in qualibet vero contrata sive nacione sit solum unum studium arcium et similiter unum philosophie et unum theologie, illis conventibus exceptis, in quibus reverendissimus magister ordinis aliter duxerit disponendum, ne de cetero superflua multiplicacio studiorum in nostro ordine augeat, sicut olim, numerum ignorancium eciam gramaticam, dum tales consueverint ad sentenciarum, naturalium et arcium promoveri lecturam. In prefatis autem studiis deputentur ad legendum et studendum precise, qui, previo examine, in provinciali capitulo vel visitacione sui conventus vel alias per provincialem seu eius vicarium diligenter fiendo, ad hoc tanquam habiles per litteras ipsorum examinancium fuerint approbati; sine quibus litteris nullus huiusmodi studio assignetur; et si assignatus fuerit, nullatenus pro tali studente acceptetur in conventu quocumque. Cum autem expedierit, illi eciam pro huiusmodi lecturis deputentur, qui studiorum cursus laudabiliter perfecerint. Et qui sub lectore fuerint non sufficienter eruditi,

ad priora studia reducantur, eciam inviti, ut eorum melior forma efficacis ac fructuosi studii valeat introduci. Solum autem qui sunt actu conventibus pro lectoribus deputati, lectores valeant nuncupari. Nulli eciam doctores deinceps nominentur, qui non fuerint sacre theologie magistri; nec quisquam cursus studii reputetur complevisse, nisi per litteras testimoniales doceat, se in studio Bononiensi aut Parisiensi vel Oxoniensi pro II^a. forma ad minus uno integro anno laudabiliter se gesisse actusque scholasticos consuetos exercuisse; ad quod ideo studium nullus mittatur, nisi prius legerit sentencias ordinarie, ad quarum lecturam nemo deputetur, nisi prius artes legerit et philosophiam per duos annos ad minus; pro lectura vero logice, qui parva logicalia et veterem logicam et novam audierit, et prius gramaticam saltem per biennium docuerit. Pro lectura quoque philosophie, qui audierit libros physicorum de anima et metaphisice, deputetur; alioquin huiusmodi studia et lecture pro suo cursu nullatenus alicui computentur. Presidentes vero, qui scienter contrafecerint, suspensionem a suis officiis incurrant, donec ipsas indebitas assignaciones reformaverint et in statum pristinum publice reduxerint cum effectu; fratres vero alii, qui contra premissa presidentes rogaverint seu infestaverint aut consilium scienter dederint vel favorem, voce sint privati; qui vero sine litteris testimonialibus a studio quocumque vel ante finem unius anni seu maioris eiusdem termini prefixi discedere aut ad sui cursum studii per saltum contra premissa procedere presumpserit, ad omnem gradum studii inhabilis existat, ita quod deinceps nullus actus pro forma studii eiusdem valere possit quovis modo; et eandem penam incurrat quicumque Parisiis vel alibi, ubi schisma viguerit, ad manendum perexerit vel studendum. Adiicientes, quod in qualibet provincia ad hoc apta, sicut est unus conventus deputatus pro studio generali theologie, ita conventus alius pro studio philosophie generali, terciusque pro studio generali arcium similiter assignetur. Et ut in premissis facultatibus et scienciis perfectius et plenius intendatur, fratres nostros deinceps, qui practicaverint in medicina, et totam mercedem, propinam aut eleemosinam vel quodcumque emolumentum exinde seu illius occasione receptum, actualibus cibo et potu exceptis, pro tunc sibi propinquiori conventui vel nativo suo infra mensem, nisi fideliter consignaverint, voce et graciis ordinis omnibus necnon et usualibus eorum bonis nunc pro tunc ut ex tunc [pro nunc] privamus, et per presentes denunciamus esse privatos. Quorum bonorum medietatem sue provincie, aliamque suo conventui nativo applicamus; que si prefatis conventui et provinciis infra duos menses non realiter presentaverint, tanquam proprietarii et fures censeantur, puniantur careantque ecclesiastica sepultura.

Item. Ut regularis observancia nostre religionis congrue reformetur,

volumus et ordinamus, quod secundis et quartis feriis per totum annum, et in adventu quotidie, ab esu carnium fratres abstineant, infirmis exceptis; nolentes, quod quicumque presidens in hoc vel in ieiunio sexte ferie cum conventu valeat quomodolibet dispensare. Presidens autem, qui oppositum fecerit, a suo sit officio suspensus per mensem; et fratres, qui dictis diebus carnes sine licencia comederint vel ieiunium sexte ferie aut aliud ab ecclesia institutum fregerint, penitenciam faciant gravis culpe in constitucionum nostrarum capitulo de gravi culpa pro hiis impositam; deficientes autem pro vice quacumque a benedictione mense vel prima mensa aut collacione, tempore ieiunii statuti post primum signum completorii omnino fienda, ad quam volumus omnes simul et ordinate, prout obligantur convenire, aut a graciis divertentes, sive infra refectorium sive extra pro vice qualibet abstineant a vino; et eandem penam incurrat quilibet faciens defectum de lectione mense sive infra refectorium sive extra, sive in prandio sive in cena conventuali; vel tunc silencium frangens cum dissolucione vel strepitu, vel sine licencia ante tempus surgens de mensa, vel intrans coquinam, vel ante fenestras coquine pro cibo, aut alia causa, clamore se ingerens, vel extra refectorium comedens absque licencia. Et ut premissa perfectius impleantur, volumus, quod quandocumque prior aut supprior aut vicarius ordinarius, cum conventus non habuerit suppriorem vel priorem presentem, simul defuerint a prandio vel cena aut colacione conventuali, vel si in domum pro refectione ordinaria tempore ieiuniorum quadragesime, adventus vel aliorum ab ecclesia institutorum aut sextis feriis, fratres aliqui contra premissorum formam cenaverint vel pro huiusmodi cena aut mensa ignis accensus fuerit in coquina, ipso facto presidentes ipsi pro vice qualibet per decem dies a suis presidenciis sint suspensi; fratres vero, qui extra communia loca prandere vel cenare sine causa infirmitatis, aut post completorium clamosi se dissolvere cantilenis aliisque modis ausi fuerint, penam gravis culpe facere teneantur pro vice quacumque; et similiter qui absque licencia a secundo signo completorii usque ad primum signum prime cellam alterius intraverint, vel in quavis cella musicalibus luserint instrumentis, vel ibidem seu alibi alearum seu schaccorum ludos exercuerint; si autem aliquid horum coram secularibus fecerint, aut ipsum alearum ludum pro pecunia aut ebrietatis vicium exercuerint contra canones apostolorum ·xxxv· distinctione, ubi sic habetur: episcopus, aut presbiter, aut diaconus alee, aut ebrietati deserviens aut desinat, aut certe damnetur; subdiaconus aut lector aut cantor similia faciens, aut desinat aut comunione privetur. Ex quibus Iohannes in summa lib. II°. tit. VIII. qu. 23 concludit huiusmodi: lusores et ebriosos peccare mortaliter; ac eciam sexdecim peccata in huiusmodi lusoribus attendit; penam

gravioris culpe per ·viii. dies paciatur; et in eandem penam incidant, qui iuramenta vel scurrilia verba seu turpia verba in usu habuerint, aut alicui de percussione minati fuerint, vel contra prelatos, reges, principes, communitates, terrarum dominia seu dominos alios parcialiter et enormiter scripserint vel fuerint obloquuti. Et similiter quicumque percusserit fratrem, famulum vel personam aliam notabiliter, causa correctionis excepta; si autem percussio fuerit cum effusione sanguinis vel alias enormis, vel gladius evaginatus cum animo vel intencione percutiendi, vel si quis arma invasiva infra septa monasterii sine licencia suorum presidencium tenuerint contra sentenciam excommunicacionis latam a iure: extra *de statu monachorum* Clementina « *ne in agro* » carceri mancipentur, sicut constitucio mandat in capitulo de graviori culpa; nec inde liberetur absque magistri ordinis vel provincialis licencia speciali; eandemque penam incurrant, qui ad azardum vel taxillos ludere, vel coram secularibus aut aliis cuiuscumque status vel sexus extra obedienciam nostri ordinis ausi fuerint chorizare vel inhonestas et abusivas dissoluciones facere presumpserint aut heramentum aliquod agere manuale. Poterunt autem studentes sola verbalia cum studentibus novis habere solacia. Adiicientes, quod tam per fratres dominis prelatis vel secularibus assistentes quam alios quibuscumque habitus tonsuraque iuxta formam ordinis palam et publice deferatur. Nec aliquis habere presumat manicas seculariter cubitatas, vel baltheis seu cingulis uti, peris aut cultellis argento munitis, vel indumentis aliis sive ornamentis contra formam religionis notabiliter preciosis seu curiosis contra iura: extra *de statu monachorum* Clementina « *ne in agro* », neque eciam vanas mulierum imagines depictas vel sculptas in suis cellis aut candelabris aut aliis locis aut rebus audeant retinere. Qui autem post mensem oppositum fecerint, voce ipsisque vestibus et rebus omnibus privamus; quorum medietatem provincie et reliquam suo nativo conventui pro infirmis et noviciis applicamus.

Item. Ut clausura domus et dormitorii ubique honeste ac debite conservetur, statuimus, quod porte conventuales ante occasum solis claudantur, clauseque maneant usque ad primum signum prime, casu iudicio presidentis conventus necessario cessante; quarum claves simul cum clavibus dormitorii deferantur ad cellam prioris vel supprioris per fratrem idoneum et circumspectum, cui prior id commiserit. Qui frater antequam huiusmodi claves deferat, examinet omni sero diligenter, an porte conventus sint bene clause; in die vero claves predicte deferantur presidenti in principio prandii vel cene conventualis, ne aperiri valeat illo tempore absque licencia presidentis. Quicumque autem in hiis negligens, aut defectum fecerit, si presidens fuerit, a sua presidencia sit suspensus per

quindecim dies; alii vero penam gravis culpe pro qualibet vice ipso facto incurrant. Dormitorium eciam omni sero debita hora claudatur, alioquin frater pro ipsa clausura deputatus penam gravis culpe incurrat; fratresque sine licencia et racione legitima ad dormitorium non redeuntes tempore congruo, in prandio immediate sequenti abstineant in pane et aqua, non sacerdotes vero sedeant ad terram.

Ut autem fratres a magnis discursibus compescantur, non licencientur ad civitatem diebus solemnibus et festivis, neque alias pluries in hebdomada quam quater, nisi causa predicacionis aut pro factis conventus expediens fuerit; et tunc statutis diebus et horis debitis presentet se presidens in loco publico ad dandam licenciam.

Combinareque fratres bene studeat, ita quod semper una pars copule sit triginta annorum in etate; alias licencia ipsa sit nulla, casu necessitatis excepto. Nullus tamen inferior provinciali fratri possit cuicumque licenciam dare generalem civitatem intrandi, magistris in theologia, lectore, bachalario, cursore dumtaxat exceptis.

Quicumque autem frater remanserit in civitate absque licencia expressa vel racione legitima post secundum signum vesperarum, vel absque licencia speciali rasuram fecerit vel se balneaverit extra conventum, pro vice qualibet in prandio immediate sequenti abstineat in pane et aqua; et qui sine licencia conventum exierint, vel soli extra domos ordinis transierint, aut in locis, ubi habemus conventus, extra ipsos conventus sine scitu et licencia presidencium ibidem pernoctaverint, ea nocte, qua illic tempore nocturno applicarent, excepta, penam gravioris culpe per quindecim dies paciantur.

Intrantesque monasteria sororum contra sentenciam excommunicacionis papalis in precedenti generali capitulo promulgatam penam carceris incurrant. Mulieres insuper nec per fratres nec per portarium absque licencia presidentis, pro qualibet vice obtenta, intra conventum non introducantur, nec eciam introducte ad cellas vel cameras, coquinam vel alias officinas, exceptis domibus communibus et ordinariis, ducantur absque licencia prioris; que dari nulllatenus possit sine consilio patrum et officialium studii. In quo consilio, si tres discrepaverint, licencia ipsa dari non possit. Quicumque autem oppositum fecerit alicuius premissorum, privacionem vocis et omnium graciarum ordinis, celle et camere sibi deputate omniumque bonorum sibi ad usum concessorum incurrat; et nichilominus penam gravis culpe facere teneatur pro vice quacumque; per seipsasque ingredi mulieres, eciam licenciate, nullatenus permittantur; neque per solum portarium introducantur, sed per fratres cappis indutos honeste socientur, et ante secundum signum vesperarum extra conventum educantur; alioquin presidentes et portarii in hiis delinquen-

tes a suis absolvantur officiis, fratresque alii penam gravis culpe infallibiliter paciantur.

Item. Excessus terminariorum sive limitatorum reprimere intendentes, statuimus, quod nunquam de conventu exeant eciam ad terminos accessuri, neque sine socio ordinis incedant, aut in eisdem maneant absque licencia presidentis testimonialibusque litteris, primitus ab eodem obtentis, ac termino sue ibidem residencie eisdem assignato per ipsum presidentem de consilio discretorum; ita quod pro omnibus questibus faciendis per totum annum non stent ultra sex menses extra conventum; terminarii vero, qui aliter ad terminos accesserint, vel in eisdem terminis diucius remanserint, legitimo impedimento cessante, vel mantellis, spreta ordinis cappa, frequenter preterquam in itinere usi fuerint, privacionem huiusmodi termini, vocis et omnium graciarum ordinis, necnon et bonorum sibi ad usum concessorum, incurrant ipso facto; et nichilominus penam gravioris culpe per octo dies pro vice qualibet facere teneantur; eandemque penam necnon et carceris incurrant terminarii et fratres alii, qui altaria vel ecclesias officialiter assumpserint sine licencia prioris; qua tamen obtenta de proventibus inde percipiendis media pars ad minus conventui assignetur; alioquin contrafaciens penam proprietatis et furti paciatur et incurrat; et similiter qui impudice vel cum infamia cum ancillis vel cum mulieribus fuerint conversati. Adiicientes, quod terminarii, qui consueto tempore conventui cuicumque non solverint totum, quod pro suo termino debuerint, maneant claustrales in regularibus domibus, ecclesia vel dormitorio et refectorio, extra que loca licenciari nequeant, causa necessitatis excepta, quousque integraliter persolverint debita suprascripta. Priores autem, suppriores et lectores nequeant esse terminarii absque provincialis licencia speciali; que solum ex urgente causa concedatur; alioquin priores, suppriores et lectores huiusmodi ab ipsis officiis sint suspensi et a terminis absoluti.

Item. Ut obediencia et reverencia exhibeatur superioribus debita, volumus, quod fratres ad magistrum ordinis et suos provinciales libere possint accedere, nec ab aliquo valeant impediri iuxta ordinacionem capituli generalis immediate precedentis, que incipit: « Item superiorum nostri ordinis obedienciam », quam in singulis eius clausulis in suo volumus robore permanere. Adiicientes, quod presidentes, qui magistri ordinis litteris inobedientes fuerint, a suis presidenciis sint absoluti, et voce graciisque ordinis privati. Fratres autem, qui fuerint de conventibus quibuscumque amoti, infra octo dies a noticia ipsius amocionis iter ad conventus deputatos eisdem arripere teneantur, et ipsum iter prosequi diligenter, causa infirmitatis aut alia inevitabili ad oppositum non urgente. Qui autem contrafecerint aut ad personas extra obedienciam nostri or-

dinis pro assignacionibus conventuum vel officiis aut aliis presidenciis nostri ordinis, mediantibus ipsorum favoribus, obtinendis vel penis evitandis refugium habuerint seu recursum, penam gravioris culpe iuxta constituciones nostras in capitulo de itinerantibus incurrant; et nichilominus voce et graciis ordinis bonisque omnibus eisdem concessis ipso facto sint privati, provinciis et conventibus iuxta premissa deputandis; easdemque penas omnes ac eciam suspensionis a suo incurrat officio, quicumque presidens fratrem, ut premittitur, inobedientem et rebellem ac sine testimonialibus litteris vagabundum in suo conventu presumpserit retinere; et similiter fratres, qui capellanatum sive servicium alicuius extra obedienciam nostri ordinis constituti absque legitima licencia ausi fuerint acceptare, propter quod extra loca nostri ordinis commorentur contra iura: extra *de statu monachorum* Clementina « *ne in agro* ».

Fratres vero ad curas principum se conferentes, ut suis prelatis obstaculum aliquod inferant seu damnum contra sentenciam excommunicacionis latam a iure, ubi solum vel fratrum excessus correctionem seu secretum, unde ordo noster possit turbari vel infamari, scienter extraneis publicantes, contra quos excommunicacionem, alias in actis denunciatam, revocamus. Monentes eosdem, ut sibi caveant ab excommunicacione, precepto et penis constitucionum nostrarum in capitulo de capitulo generali expressis contra tales, videlicet quod penam carceris incurrant, in constitucionibus nostris in capitulo de graviori culpa pro huiusmodi culpis impositam. Et similiter qui litteras magistro ordinis, aliis vel sibi (!) [datas] aperire, legere vel quomodolibet impedire [ausus fuerit].

Exhortamur insuper fratres de societate peregrinancium et monemus, quatenus ad omne capitulum generale fratrem aliquem transmittant, qui de statu societatis illius diffinitores ac magistrum ordinis plenarie valeat informare.

Item. Ut bona temporalia ordinate ac debite conserventur, pertractentur ac dispensentur, statuimus, quod bona temporalia conventuum recipiantur et expendantur non per presidentes, sed per procuratores vel bursarios aut alios officiales, ad hoc institutos, iuxta constituciones apostolicas ·lxxxix· cap. « quia in quibusdam », et ordinacionem immediate precedentis capituli, que incipit « Item ut temporalium etc. », quam cum singulis eius clausulis confirmamus; volentes, quod nullus conventus valeat presidenti vel fratri de expensis communibus per eum factis sive receptis quitanciam sufficientem facere absque assensu provincialis ac patrum et fratrum conventus eiusdem; nulleque super hoc littere efficaces existant, nisi prioris provincialis et ipsius conventus sigillis fuerint communite. Bona vero immobilia et paramenta, calices aut libri communitatis nullatenus alienentur seu vendantur sine licencia provincialis et pa-

trum conventus. Qui autem oppositum fecerint, penam carceris et privacionem omnium bonorum usualium incurrant.

Similiter qui depositum notabile receperint custodiendum sine scitu et assensu patrum conventus, aut sigillum conventuale, vel omnes claves communis depositi conventus apud se retinuerint, seu litteras aliquas cum sigillo ipso absque consensu conventus capitulariter congregati sigillaverint.

Quilibet insuper prior vel presidens conventus principalis omni anno de mense novembris vel cicius fratribus capitulariter congregatis preceptum faciat, quatenus infra quindecim dies proxime tunc futuros omnia bona eisdem ad usum concessa sibi dent in scriptis; que in communi deposito conventus serventur; de bonisque communibus sacristie, librarie atque aliis immobilibus et mobilibus inventaria sive registra tempore suprascripto singulis fiant annis duplicata, vel alia facta examinentur coram patribus conventus addendo, que supervenerint, cum descripcione cause vel cancellando. Quorum registrorum unum in communi deposito habeatur; fratrum vero defunctorum [bona] communitati, ad quam spectaverint, consignentur integraliter; nec alicui fratri de illis aliquid detur, absque congruo precio sine licencia provincialis et patrum conventus. Qui autem de predictis bonis alicui dederit, vel aliter in premissis defecerit, aut sine licencia presidentis panem, vinum seu aliud bonum communitatis subtraxerit, seu personis dederit extra obedienciam nostri ordinis constitutis, furti penam incurrat ipso facto. Adiicientes, quod provincialibus visitantibus aut alias advenientibus conventus post tres ebdomadas, aliisque vicariis et visitatoribus post unam septimanam sue residencie ultra conventualem victum ad expensas [in] equis vel personis minime teneantur; neque quando consuetum viaticum receperint, ad expensas subsequentis itineris obligentur. Expensas vero aliorum communium itinerum suorum de communi provincie bursa provinciales recipiant, conventibus illis omnino particulariter supportatis; racione vero visitacionum nequaquam pro officialibus studii aut patribus vel aliis a societate visitancium conventus graventur in victus specialis expensis. Pro ipsis eciam prelatis, vicariis et visitatoribus quibuscumque moderate fiant expense iuxta canonicas sanctiones [causa] ·x· q. ·iii· cap. « illud magnitudinem » deffinitoresque, priores, socii, electores ceterique officiales in suis itineribus ad expensas communitatis fiendas superfluas et excessivas vitent expensas; atque magistri sacre theologie et alii fratres qualescumque famulos vel equos ad expensas conventuum nullatenus tenere possint, provincialibus et visitatoribus iuxta formam supra positam dumtaxat exceptis. Predictorum autem transgressores ad satisfactionem et restitucionem tanquam de male ablatis teneantur.

Volumus insuper pro alleviacione conventuum, ut, cum provinciale loca quecumque visitare decreverint, vicariis et visitatoribus aliis, ne loca eadem illo anno visitent, si sibi expedire videbitur, valeant ordinare. Quibus vicariis autoritas absolvendi priores et priorissas minime concedere teneantur, nisi cum in loco aliquo specialis causa vel casus, iudicio provincialis, hoc exigat et requirat. Suspendendi enim priores et priorissas a suis officiis autoritas eisdem sufficere poterit, ut ordinarium prioratus officium in vigore suo plenius conservetur et honore; pecunie vero aliaque bona, quibus fratres in visitacionibus, aut alias eorum exigentibus meritis, per suos presidentes iudicialiter privari contigerit, soli, de quo fuerint, vel suo originali conventui applicentur; bonaque fratrum incarceratorum eisdem reserventur, nisi suo, ut premittitur, conventui specialiter fuerint applicata. Quos quidem incarceratos volumus cum modestia macerari taliter, quod ex inedia seu alia afflictione non consurgat consimilis metus de morte aut gravi eorum infirmitate, que tamen si emerserit aut iminebit, sacramenta ecclesie minime denegentur eisdem sicut et ecclesiastica sepultura, ut sancta dei decrevit ecclesia [causa] ·xxx· q. ·i· cap. « quesitum est », et multo magis aliis pie et benigne provideatur infirmis tam de medicinalibus et victu, quam servitoribus et cellis, cameris seu commodis pro ipsorum recreacione et relevacione dispositis. Quicumque autem fratres puniendos vel incarcerandos vel eorum bona scienter et notabiliter compromissa tractaverit seu dispensaverit, penam privacionis incurrat et graciarum ordinis suorumque usualium bonorum; et similiter qui de cetero prebendatum aliquod extra obedienciam nostri ordinis constitutum in conventu quocumque sine licencia provincialis vel vicarii sue contrate atque conventus eiusdem capitulariter congregati acceptare, aut antiqua notabilia edificia vel structuras destruere, seu nova inchoare, vel fratrem aliquem in furtis gravibus deprehensum aliquando pro custodia rerum deputare.

Item. Ut predicta diligencius observentur, volumus et ordinamus, quod quilibet frater, qui divino officio indebite absens fuerit, aut alias in premissis defecerit, et legitima excusacione a presidente conventus acceptata minime precedente, ad faciendam penitenciam in prefatis ordinacionibus appositam se non exhibuerit absque quacumque alia premonicione per presidentem sibi facta vel fienda, ultra alias penitencias ei debitas, si frater provectus fuerit, penam gravis culpe; alii vero gravioris incurrant ipso facto pro vice quacumque. Adiicientes, quod capitulum de culpis omni ebdomada de hoc habili teneatur et presencium actorum inchoaciones, approbaciones, confirmaciones et ordinaciones atque suffragia quolibet mense legantur. Et similiter constituciones omni anno semel ad minus in capitulo vel in mensa legantur fratribus congregatis.

Que si neglecta fuerint, presidens pro tunc regens conventum a suo officio sit suspensus, donec omissum capitulum et neglectam restauraverit lectionem. Provincialis vero et vicarii ceterique visitatores in suis visitacionibus de hiis, que in predictis inchoacionibus, approbacionibus, ordinacionibus et confirmacionibus continentur, signanter, exacte et diligenter examinent et deformata reforment. Quamobrem volumus, quod acta capitulorum generalium et provincialium in bonis chartis de pergameno legibiliter conscribantur et semper in conventibus conserventur, sicut antiquitus existit consuetum; et provinciales, quando sua provincialia capitula non celebrarentur ante mensem octobris, acta capituli generalis vicariis vel principalibus prioribus contratarum sue provincie tam celeriter transmittere curent, quod infra mensem ab ipsorum actorum recepcione prefati vicarii vel priores illa recipiant cum effectu, inevitabili impedimento cessante. Ipsique vicarii vel priores taliter disponant, quod infra mensem ab ipsorum actorum recepcione omnes earundem contratarum conventus acta habeant supradicta.

Circa correctionem vero constitucionum, ordinarii et missalium et aliorum librorum presidentes sub infrascriptis penis curam solicitam apponant; ipsique presidentes et fratres, qui acta capitulorum generalium et provincialium bene correcta in ipsis capitulis, prout debuerunt, non receperint et detulerint vel transmiserint infra quinquaginta dies post ipsa capitula immediate futuros, aut alias contra premissa defecerint, a suis presidenciis et officiis sint suspensi ac voce privati, penasque paciantur gravis culpe. Omnes autem alias ordinaciones per magistrum ordinis in conventibus fratrum particulariter factas revocamus. Volentes nichilominus, quod priores provinciales illarum puncta et clausulas, que in presentibus non continentur, in suis particularibus ordinacionibus interserant et apponant, et faciant observari. Omnes autem gracias, exempciones et licencias atque autoritates extraordinarias per magistros ordinis hactenus concessas vel commissas, eciamsi in eisdem litteris contineatur, quod per generales revocaciones non irritantur, vel nisi de illis de verbo ad verbum fiat mencio specialis seu tenor alius qualiscumque, annullamus, revocamus et nullius volumus esse firmitatis; vicariatibus peregrinancium et Italie, necnon immunitatibus et privilegiis studencium ac libertatibus, presertim extraneorum in universitatibus signanter Oxonien. atque aliis, ac eciam in studiis generalibus dumtaxat exceptis, que confirmamus et in suo volumus robore permanere.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus, quod monasteria sororum corporis Christi de Veneciis provincie sancti Dominci, et sororum Schönensteinbach provin-

cie Theutonie, et sororum de Lemego provincie Saxonie, per generale capitulum immediate precedens acceptata, nos eciam iuxta constitucionum nostrarum seriem in capitulo de domibus concedendis iterato acceptamus.

Item. Denunciamus, magistrum ordinis de omnibus per eum receptis et factis expensis diligentem computum reddidisse, propter quod ipsum de omnibus quitanciis quietamus et quietavimus; necnon et ordinem sibi recognoscimus obligatum iuxta solidacionem computi per nos facti, cui nos propriis manibus subscripsimus in testimonium agnite veritatis.

Item. Denunciaciones capituli generalis immediate precedentis de fratrum accessu ad Romanam curiam et residencia in eadem, contribucionibusque solvendis magistro ordinis procuratorique ordinis, necnon et mutuo adiutorio conventuum, cum expedierit, de omnibus bonis provinciarum atque tocius ordinis exhibendo cum singulis earum clausulis confirmamus et in suo volumus robore permanere, ac si de verbo ad verbum essent presentibus inserte.

Item. Denunciamus, ex congruis nos causis conclusisse bonorum usualium quondam fratris Marini de Firmo medietatem ad conventum Veronensem, in quo decessit, assignandam aliamque medietatem ad suum originalem conventum spectare scil. Firmanum; et quod testamentum suum sive ultima disposicio bone memorie magistri Nicolai de Buscoducis, qui magistro ordinis legavit florenos decem et sociis suis florenos duodecim, licet magister ordinis noluerit hoc admittere, et pluribus fratribus aliisque plures florenos, nullum racione legati sorciatur effectum, cum licenciam taliter testandi seu legandi minime prehabuerit, nec sit cuiquam absque ardua causa concedenda; omnesque huiusmodi futuras ordinaciones atque legaciones ex nunc prout ex tunc nullius esse volumus firmitatis.

Item. Denunciamus, quod autoritate apostolica suprascripta de consilio et assensu provincialium et sacre theologie magistrorum atque omnium nostrorum solemniter previis actibus requisitis, magister ordinis in presenti nostro generali capitulo aulavit et doctoravit in sacra pagina fratrem Guillelmum de Dio conventus Cantabrigie provincie Anglie, qui exempcionibus gaudere debet et privilegiis omnibus, ac si Parisius magistratus esset.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Bononiensi pro forma studii Parisiensis et gradu magisterii assignamus in regentem fratrem Iacobum de Lauda sacre theologie magistrum. Ad legendas vero sentencias fratrem Iohannem Uscholinh provincie Saxonie; fratrem Laurencium [de] Sulmona provincie regni [Si-

1) de Lemego] Limgo AB.

cilie]; fratrem Thomam de Utino (1) provincie sancti Dominici; fratrem Dominicum de Ristoris (2) provincie Romane, et fratrem Iohannem de Spazis provincie Lombardie. Ad legendam bibliam fratres Dominicum et Iohannem supradictos atque Ludovicum de Soncino (3) provincie Lombardie. In magistros studencium fratres Laurencium, Dominicum, Iohannem et Ludovicum supradictos; volentes, quod supra et infrascripti studiorum officiales legant et suos actus exerceant sequentibus locis et annis iuxta ordinem suorum nominum in presentibus conscriptorum. Et si quisquam eorundem a sui officii prosequucione impediretur, tunc primus assignatus eidem successor suum obtineat locum. Qui si eciam non adesset, secundus successor, et ita consequenter successor alius vacans officium prosequatur.

Item. Studium generale philosophie in conventibus Senenensi provincie Romane et Basiliensi provincie Theutonie, studium vero generale arcium in conventibus Ferrariensi provincie sancti Dominici et Iixensi (!?) provincie Saxonie deputamus.

Iste sunt commissiones.

In primis committimus et concedimus magistro ordinis institucionem priorum provincialium Francie, Terre sancte, Grecie, Aragonie, et provincie Provincie absque electione quacumque provinciarum predictarum; et quod priores provinciales et conventuales quarumcumque provinciarum, vicarios, et quoslibet alios presidentes in quacumque nostri ordinis parte, absque citacione seu monicione previa absolvere et suspendere valeat, quandocumque sibi videbitur expedire. Necnon et assignaciones et amociones legencium, rectorum aliorumque officialium in studiis generalibus, quos per se vel per alium facere poterit.

Item. Quia graves percepimus de quibusdam senioribus patribus ac eciam nonnullis fratribus graduatis et aliis lamentaciones, quod, licet ordo curaverit eos ad lumen preclarum et decus fructuososque ecclesie atque ordini et populis promovere, singularibusque graciis et libertatibus exaltare, cum premissorum (!) omnium zizania, discordiarum sentes et spinas pungencium scandalorum pro beneficiorum vicissitudine, genitori scilicet ordini non desistunt sectas in conventibus et bella contra presidencium obedienciam causantes et foventes, amicorum et benefactorum ordinis, premiis malivolis et palliatis informacionibus ad suarum machinacionum assistenciam inducentes, ex quibus non in mediocribus conventibus nostris contenciones et lites horrende vigent civitatibus notorie

(1) De fr. Thoma de Utino cf. SSOP. I, 865.
(2) De fr. Dominico Ristori cf. infra pag. 147.
(3) Videtur esse idem ac Ludovicus de Censina, de quo SSOP. I, 757.

et circumstantibus populis, que tandem possent in finalem deiectionem et ruinas ipsorum conventuum pervenire: ea propter magistro ordinis committimus et mandamus, quatenus, non obstantibus talium gradibus vel etate, omnes huiusmodi vepres vel tribulos cum sequacibus ramis de agris seu conventibus illis evellat, ad longinquas inde partes transmittendo et dispergendo, eorumque in fratres multam arroganciam et cervicem curvare et humiliare, sicut bonus pastor virtuose et vigorose contendat ita, quod sint ceteris in exemplum.

Item. Quia nonnulle sorores monasteriorum, sicut clare percepimus, prelatis nostri ordinis, quibus existunt commisse, obedire subterfugiunt et recusant, atque obtentis extrinsecus favoribus sunt rebelles, quinimo et insidias ac iniurias enormes et letales eidem parant et procurant, ex quo pocius communia loca et turpia, quam decencia monasteria sunt effecta, ea propter committimus reverendissimo magistro ordinis, quatenus a sanctissimo domino nostro papa expensis communibus impetret, quod magister ordinis ac provinciales una cum diffinitoribus suis renunciare possint cure monasteriorum sororum, quas incorrigibiles iudicaverint vel rebelles; et nichilominus medio tempore procuret liberacionem ordinis a tam gravi et periculosa cura monasteriorum illorum, que specificavimus et nominavimus inter commissiones, determinaciones, ordinaciones et conclusiones nostras, quas ex racionabilibus causis in scriptis redegimus, cum subscripcionibus nostris in robur et testimonium eorundem.

Item. Priori provinciali Theutonie committimus curam provincie Francie, quousque magister ordinis duxerit aliter ordinandum.

Item. Priori Ariminensis conventus provincie sancti Dominici committimus curam novi conventus sancti Petri martiris prope Ariminum situati atque autoritate apostolica fundati, quem acceptamus.

Iste sunt absoluciones.

In primis absolvimus hos priores provinciales: Francie, Terre sancte, Aragonie, provincie Provincie et Lombardie, cuius curam committimus fratri Michaeli de Vercellis eiusdem provincie, sacre theologie magistro, donec provincialis electus fuerit et confirmatus et presens existerit in eadem.

Item. Hos priores conventuales Gamundiensem, Lantshutensem, Luciburgensem, Dorensem (1) et Oxonensem (2) provincie Theutonie.

Item. Hos priores conventuales provincie Saxonie (3) Gunegensem,

32) Lantshutensem] Laochicensem AB.

---

(1) Forte legendum est « Curiensem » vel « Thuricensem ».

(2) Forte « Aquensem ».

(3) Conventuum nomina quam pessime corrupta sic legenda esse arbitror: Groningensem, Liwardensem, Sehusensem, Wesaliensem, Lubicensem.

Limatinensem, Sensensem, Basalensem, Libolensem, Erfordensem, cuius conventus curam committimus fratri Iohanni Samelech, magistro in theologia, donec prior confirmatus fuerit et presens extiterit in eodem.

Item. Omnes priores conventuales provincie Hispanie, qui annum quintum in ipso prioratus officio compleverunt.

Item. Omnes, qui sunt priores in conventibus, in quibus nesciunt competenter proponere verbum dei.

Et volumus et ordinamus, quod priores tam provinciales quam conventuales nunc absoluti, et qui per litteras absolventur, ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus infra annum unum a noticia presentis sue absolucionis nullatenus [reassumantur]; quod si oppositum factum fuerit, non valeant confirmari.

Iste sunt penitencie.

In primis, quia frater Laurencius conversus de Sundis enormiter et horribiliter deliquit, ipsum de ordine nostro tanquam abominabile membrum expellimus et eiicimus.

Item. Quia frater Nicholaus Roton de conventu Lipsiensi multa facinora commisit et pluribus annis fugitivus extra ordinem transivit, presidentes suos scandalizando, carceri per quinquennium sentencialiter condemnamus.

Item. Quia frater Iohannes Felix de Minda extra locum ordinis fugitivus manens et rebellis prelatosque suos multipliciter scandalizans (!), carceri per biennium sentencialiter condemnamus.

Item. Quia frater Guilelmus Marrus de Anglia nonnullos graves excessus commisit, penitenciam ei imponimus gravioris culpe per tres menses faciendam.

Item. Quia frater Thomas Lexicus de Anglia multas turbaciones et discordias contra fratres extraneos et intraneos causavit et fovit, ipsum studio privamus, donec magister ordinis, visa eius debita humilitate, duxerit ad studium reducendum; quod si predictis non obstantibus in gradu studii prosequi quomodolibet attentaret, tam ipsum quam patrem quemlibet sibi faventem carceri sentencialiter condemnamus.

Item. Quia frater Iohannes Felicis provincie Polonie multiplicem habuit ad seculares recursum contra obedienciam ordinis, et provinciali suo fuit notabiliter irreverens, contumax et rebellis, ipsum conventui Tornensi eiusdem provincie, voce et graciis et licenciis, per quemcumque superiorem ordinis ei concessis, privatum assignamus, volentes, quod per mensem penitenciam faciat gravioris culpe.

Sentencias iudicum approbamus; et specialiter istam, quod tota vallis venusta Curiensis diocesis spectat ad conventum Bolsanensem provincie sancti Dominici, sicut deductum est coram predictis iudicibus, per litteras

bone memorie magistri Munionis (1) quondam magistri ordinis, nisi infra mensem a noticia presencium conventus Curiensis aut alius efficacia iura coram magistro ordinis produxerit contra premissa, et de ipsa productione fides facta fuerit per litteras magistri ordinis prelibati.

Sequens capitulum generale in conventu Wratislaviensi provincie Polonie ad biennium assignamus in festo pentecostes celebrandum, ad quod fratres, qui de ipsius capituli corpore non fuerint, minime absque licencia venire presumant; diffinitores vero et eorum socii dominica infra octavas ascensionis domini locum prefati capituli intrent; ceteri autem fratres feria quinta ante festum penthecostes poterunt intrare.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS BONONIAE CELEBRATI ANNO DOMINI M°· CCCC°· VII°· (2).

Item. Confirmatum fuit Bononie 1407, quod omni tercia feria, nisi festum simplex vel maius occurrerit, fiant tres lectiones de beato Dominico sicut infra ipsius octavas preterquam a prima dominica xl^e^ usque ad octavas pasche et ebdomada ante nativitatem Christi et preterquam infra octavas sanctorum, quando de ipsis agitur, et in vigiliis sanctorum, que propriam habent missam. Et incipiatur officium in vesperis 2^e^ ferie a capitulo: quasi stella matu[tina] etc. Tempore paschali tres primi psalmi in matutinis dicantur. Missa vero sicut in festo simplici cantetur cum quatuor postremis versibus sequencie post alleluia etc.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BONONIAM PROVINCIE SANCTI DOMINICI CELEBRATI IN FESTO PENTECOSTES DIE ·XXIV· MENSIS MAII ANNO DOMINI · M°· CCCC°· X°·

Sub reverendissimo sacre theologie professore fratre Thoma de Firmo (3) prefate provincie sancti Dominici, tocius ordinis predicatorum magistro generali, diffinientibus reverendis diffinitoribus provinciarum.

Iste sunt inchoaciones.

In primis inchoamus hanc: In capitulo in fine constitucionum annotato, quod incipit: quicumque in publica etc. ubi dicitur: minime dispensetur cum eo, addatur et dicatur sic: eandemque penam incurrat

(1) De quo cf. SSOP. I, 398 sqq.

(2) Quod fragmentum desumptum est e codice 768 bibliothecae universitatis Lipsiensis.

(3) De fr. Thoma de Firmo cf. supra pag. 112.

quicumque presidens vel frater conventus vel provincie, qui renunciaverit alicui privilegio ordinis nostri absque licencia et consensu capituli generalis, sine qua omnem huiusmodi renunciacionem qualitercumque actam, nullius volumus esse roboris vel momenti.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: si vero ad tempus mittitur omnes libri et res alie post eius obitum, deleatur hoc, quod sequitur: ad provinciam vel conventum, unde assumptus est, et loco illius sic apponatur: eciamsi quomodolibet aliter esset extra suam provinciam ad tempus deputatus, ad suum conventum originalem et conventum, cui sic assignatus fuerit, equaliter etc. Et volumus et ordinamus, quod predicte inchoaciones medio tempore observentur.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: ille conventus, qui pro tempore illo numerum duodenarium, deleatur hoc et dicatur sic: Ille conventus, qui senarium numerum non habebit, ad ea, que traccanda sunt in capitulo provinciali etc. usque ibi: numerum, cum fuerit diminutus, addatur sic: quod si oppositum factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item. In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si in die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis devolvatur, addatur: quod si fratres cuiuscumque provincie infra annum, postquam eis constiterit, quod provincia sua careat provinciali legitimo, non elegerint vel postulaverint provincialem, ipso facto eleccio et provisio provincialis ad magistrum ordinis sit devoluta.

Item hanc: Quod de beato Petro martire celebretur festum translacionis eiusdem in crastino sancti Iohannis ante portam latinam, et fiat totum duplex.

Item hanc: Quandocumque in feria 3ª. fieri debet de beato Dominico, si festum trium lectionum occurrerit, fiat officium de predicto festo et memoria de beato Dominico.

Item hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: sed pocius delicta corrigere, addatur sic: item ne delicta maneant impunita et obediencia in nostro ordine per appellaciones frivolas infringatur, statuimus, quod quicumque frater nostri ordinis contra obedienciam nostri ordinis appellare presumpserit in futurum, nisi ipsi appellacioni infra duos menses renunciaverit, vel infra annum prosequi non inceperit, aut ab incepta prosequucione destiterit, vel in ipsa succubuerit, adiudicatus sit carceri ipso facto; nec possit cum ipso nisi per capitulum generale ante duodecim annos dispensari.

Item hanc: Quod provincia Lombardie inferioris dicatur de cetero

provincia sancti Dominici; et provincia Lombardie superioris dicatur et vocatur provincia Lombardie absolute; et debet in constitucionibus, ubicumque fuerint predicta nomina, ut premittitur, commutari.

Item. In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali etc., deleatur: ipso, et dicatur: quomodocumque.

Item. In eodem capitulo, ubi dicitur: volumus autem, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales, addatur: et predicatores generales.

Item hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institucione supprioris, ubi dicitur: si infra mensem non elegerint vel postulaverint, prior provincialis providebit de priore, addatur sic: qui competenter in dicto conventu sciat proponere verbum dei; alias nec eligi valeat nec eciam aliquatenus confirmari.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: vel prior provincialis aliter ordinaverit, addatur sic: nulli autem presidenti ordinis licet alicui extra obedienciam nostri ordinis existenti curam committere vel authoritatem dare super fratres vel conventus quoscumque. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane. Fratres vero nostros in episcopali precise titulari vel alias in maiori gradu extra obedienciam nostri ordinis constitutos nolumus in nostris conventibus ultra triduum retineri absque licencia prioris provincialis cum consensu ad minus duarum parcium conventus obtenta, alioquin suspensionem a suis officiis presidentes contrafacientes incurrant.

Item hanc: In capitulo de predicatoribus, ubi dicitur: statuimus autem, quod nullus fiat predicator generalis, antequam theologiam audierit per tres annos, et nisi sit maturus et discretus ad negocia ordinis in capitulis pertractanda etc., addatur sic: et sciat competenter in sua provincia proponere verbum dei.

Idem dicendum de inquisitoribus heretice pravitatis non instituendis, qui sufficienter in locis sue inquisicionis nesciunt predicare; quod si secus factum fuerit, nullius sit roboris vel momenti.

Item hanc: De festivitatibus undecim millium virginum et sancti Antonii abbatis fiat festum totum duplex.

Item hanc: In ordinario in capitulo de oracione pro capitulo generali et pergentibus ad illud in principio tituli, ubi dicitur: feria sexta ante penthecosten, deleatur hoc et dicatur sic: dominica post festum trinitatis; et titulo dicti capituli addatur: et redeuntibus.

Item. In capitulo de studentibus circa finem, ubi dicitur: nullus fiat publicus doctor nec disputet, nisi de licencia prioris provincialis et

diffinitorum capituli provincialis, addatur sic: nec aliquis habilitetur aut assignetur in aliqua universitate ad legendum pro forma et gradu magisterii nisi per acta capituli generalis; que habilitacio seu assignacio non fiat de aliquo, nisi prius sentencias legerit aut studens in theologia Parisiensis fuerit, vel si frater Anglicus, ut studens Oxoniensis pro secunda forma per annum ad minus studuerit. Poterit tamen magister ordinis, si aliquem talem assignatum legitime impediri contigerit, loco illius alium deputare, cuius actus valeant pro forma magisterii, dummodo per sequens capitulum generale fuerint approbati; nec alius magistretur in theologia, nisi actus exercuerit scholasticos pro forma et gradu magisterii per quatuor annos in aliqua universitate. Oppositum autem faciens eo ipso sit excommunicatus atque graciis ordinis et omnibus exempcionibus sit perpetuo privatus nec secum valeat dispensari nisi per capitulum generale.

Item. In capitulo de gravi culpa, ubi dicitur: nisi de confessionibus et honestis locutus fuerit, addatur sic: si quis litteras alicui miserit vel sibi missas legerit, quas presidenti suo primitus non exhibuerit, magistris in theologia, inquisitoribus et predicatoribus generalibus dumtaxat exceptis.

Item hanc: In capitulo provinciali, ubi dicitur: predicatores autem generales dicimus etc., addatur sic: vicarii vero particulares sive nacionum sive conventuum nec « fidelium » dicant nec locum mutent nisi in capitulo, dum suum ibidem officium exercuerint.

Item. In capitulo de capitulo biennali vel triennali, ubi dicitur sic: singulis annis etc., addatur: nisi per magistrum ordinis in aliquibus provinciis ex causa ad biennium fuerint prolongata, in quibus fiant scrutinia etc.

Item. In capitulo generali in fine addatur sic: et quod idem faciant propinque provincie. Licenciandi et mandandi magister ordinis liberam habeat potestatem.

Item hanc: In capitulo de solemni celebracione capituli, ubi circa principium dicitur: secunda feria penthecostes, addatur sic: vel in ipso festo.

Item. In ordinario, ubi de festo duplici dicitur: in aliis autem horis non trasferatur chorus, addatur sic: ita quod semper ebdomada prima adventus ebdomadarius ebdomadariam faciat in dextro choro, alternatisque choris subsequatur, eciamsi duabus ultimis ebdomadibus opportuerit officium fieri in choro sinistro.

Item hanc: Quod ubicumque scribitur et quandocumque dicitur collecta « ecclesie tue » etc., in fine addatur sic: et famulum tuum N. papam nostrum atque prelatos et principes nostros, una cum grege sibi

commisso, ab omni adversitate custodi et dirige in viam salutis eterne. Per Christum etc.

Item. In ordinario de officio beati Dominici feria secunda faciendo, ubi dicitur, quod missa, sicut in festo simplici dicatur, addatur sic: additis quatuor postremis versibus sequencie post ultimum alleluia, vel post graduale, quando alleluia non cantatur.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: priores cum suo conventu scribant singulis annis debita domus et causas eciam suorum debitorum, addatur sic: similiter et provinciales et eorum diffinitores suarum debita provinciarum cum suis causis capitulo scribant generali.

Item. In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: perpetuum iudicabunt, addatur sic: magister vero ordinis cedens vel amotus post magistrum ordinis in diffinitoriis capitulorum generalium ac provincialium, et in absencia magistri post provincialem, in cuius provincia fuerit, et in absencia provincialis post principalem prelatum primam vocem primumque locum ubique in omnibus obtinebit. Diffinitores autem capituli generalis dominica infra octavas ascensionis domini vel sabbato precedenti locum capituli intrare teneantur; et ex tunc in choro et alibi ordinaria loca sua tenebunt, quousque tempus sue diffinicionis expiret. Provinciales quoque absoluti loca in provinciis, in quibus prefuerunt, super omnes alios ubique habebunt, dummodo magistri sacre theologie non magistris ex hoc minime postponantur, nec actualium presidencium locis aliqualiter derogetur; magistris vero sacre theologie immediate post priorem, in cuius conventu fuerint, locum damus.

Omnes suprascripte confirmaciones tempore schismatis habuerunt in una obediencia tria capitula generalia; et auctoritate litterarum apostolicarum felicis recordacionis Alexandri V. coram nobis et toto capitulo generali lectarum, in hac parte nobis commissa sunt pro veris constitucionibus et legitimis, ac si fuissent in tribus generalibus capitulis continuis, ordine generaliter unito, edite, per nos approbate et confirmate, et debent in constitucionibus et rubricis in locis debitis annotari (1).

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis divino cultui pro viribus intendentes, volumus et ordinamus, quod divinum officium diurnum pariter et nocturnum melius solito dicatur, et presertim, ubi fuerint octo fratres clerici conventualiter, totum cantetur; si autem presidens conventus hoc neglexerit execucioni mandare, a sue presidencie officio absolvatur in penam. Adiicientes, quod fratres divinum officium omittentes, illud sedendo ad terram in prandio

(1) Qua de re cf. BO. II, 498 n. 17.

vel cena conventuali dicere compellantur. Nullus autem frater vel conventus vel provincia aliqua divinum officium mutare in aliquo presumat, cum hoc fieri non possit nisi per capitulum generale. Quicumque autem contravenerit, penam gravioris culpe incurrat ipso facto.

Item. Fidelitatem nostri ordinis ab ipsius fundacione continuatam et solitam erga sanctam matrem ecclesiam prosequentes, volumus et mandamus fratribus nostri ordinis universis, quatenus statum et fidem quondam domini Alexandri pape V. et suorum successorum rite et canonice intrancium, atque promocionem sancte unionis in concilio generali concluse in ipsorum sermonibus predicacionibus, conversacionibus, conciliis et aliis actibus communibus et privatis iuxta graciam a domino eis collatam apud dominos et populos et quascumque personas defendere satagant et studeant promovere. Oppositum vero facientes precepti penam et manifeste rebellionis se noverint incurrisse.

Item. Precipimus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie fratribus nostri ordinis universis, quatenus nullus frater consensum prebeat vel favorem, ut aliquis promoveatur ad sacros ordines ante etatem legitimam a iure statutam, cum taliter consencientes, faventes et promoti, gravissimas censuras et penas a iure illatas incurrant (1).

Item. Ut observancias nostre religionis perfectius execucioni mandemus, precipimus prioribus provincialibus et conventualibus universis ceterisque presidentibus, quatenus cum diligencia faciant in suis provinciis et conventibus constituciones nostri ordinis observari.

Addentes, quod de esu carnium potissime in secunda et quarta feria cum aliquo fratre [non] dispensetur, nisi subsit legitima causa. Refectorium autem omni die cum sufficienti numero fratrum teneatur; nec fratres comedant extra loca ordinaria. Quicumque autem contravenerit absque causa perurgente vel sine licencia magistri ordinis vel provincialis, privacionem vocis et omnium graciarum ordinis incurrat ipso facto; et idem dicimus de fratribus extra commune dormitorium de nocte remanentibus.

Adiicientes, quod quilibet frater nostri ordinis det ad minus in scriptis semel in anno suo presidenti quecumque bona sibi per ordinem ad usum concessa. Si quis autem hoc facere contempserit, usu ipsarum rerum sit ipso facto privatus. Quilibet autem prior aut principalis presidens in quocumque conventu infra mensem a noticia presencium sub precepto sancte obediencie huiusmodi scripturam de bonis predictis requirat a fratribus capitulariter congregatis infra quindenam sibi dandam; prior autem sive presidens, qui hoc facere neglexerit vel supradictam penam execucioni, quantum in eo fuerit, non mandaverit, a suo prioratus

(1) Qua de re cf. supra pag. 116 l. 31 sqq.

sive presidencie officio sit ipso facto suspensus. Provincialis vero in cuiuslibet sue visitacionis primo capitulo ordinaciones capituli generalis et provincialis legi faciat et de illarum observanciis diligenter inquirat, cedulamque de bonis priori ad usum concessis requirat ab eodem sub precepto sancte obediencie infra tempus sue visitacionis sibi assignari; quod si non fecerit a suo provincialatus officio sit suspensus, quousque dictam cedulam cum diligencia requisierit et sibi consignari fecerit, ut prefertur.

Item. Prohibemus, ne alicui concedatur licencia de suis rebus tempore sue infirmitatis vel post mortem eius disponendi, et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane. Fratres autem, qui bona quecumque defunctorum fratrum receperint vel recipient in futurum, ex disposicione huiusmodi previa fratris cuiuscumque infra mensem a noticia presencium conventui vel conventibus, ad quos spectaverint dicta bona, restituere teneantur; alioquin penas furti incurrant ipso facto.

Adiicientes, quod libri, camere et alia bona quecumque fratrum vel sororum, vel in quibus succedunt conventus racione fratrum defunctorum aut alia quavis causa, nullatenus ad vitam concedantur per presidentem quemcumque sine assensu duarum parcium illius conventus, ad quem spectaverint huiusmodi bona, cum assensu prioris provincialis sue provincie. Et idem reverendissimus magister ordinis de nostro unanimi concilio mandat per sorores suo officio subditas observari quoad singula eius puncta.

Item. Vagos fratrum discursus cohercere volentes, volumus et mandamus, quod nullus frater exeat terminos sue provincie sine littera testimoniali sui provincialis sub pena gravioris culpe, quam incurrat ipso facto quilibet oppositum faciens; mandantes presidentibus provincialibus et conventualibus universis, quatenus quemlibet fratrem extraneum sine littera testimoniali sui provincialis residentem vel transeuntem in presenti vel in futurum de sua provincia expellat et ad suam provinciam, quantum in eo fuerit, redire compellat; presidens autem, qui scienter contrafecerit a sue presidencie officio sit suspensus, quousque dicta effectualiter exequatur. Sine socio nostri ordinis nullus frater extra conventum vel civitatem recedat sine licencia reverendissimi magistri ordinis vel provincialis seu vicarii nacionis sub pena gravioris culpe, quam contraveniens ipso facto incurrat.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus prior sive presidens sindicarie, bursarie vel procurarie cuiuscumque conventus officium exerceat sub penis absolucionis a sua presidencia et furti, quas contravenientes incurrant ipso facto.

Adiicientes, quod nullus frater medicine artem exercere presumat quoquo modo sub penis privacionis vocis, graciarum ordinis et omnium

bonorum sibi ad usum concessorum, quas ipso facto contrafacientes incurrant.

Item. Ordinamus lectores arcium [et] naturalium et alios officiales sufficientes in studiis deputari, ut per biennium logicalia, et per alium biennium naturalia legant; alioquin ad superiores gradus nequeant procedere; et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Adiicientes, quod nullus frater possit esse studens duorum conventuum aut duas cameras in duobus conventibus ad vitam concessas habere. Quicumque autem frater, qui duas huiusmodi hactenus cameras habuerit, unam infra mensem a noticia presencium resignet, alioquin utraque sit privatus et penam rapine incurrat; et priores possint dictas cameras cum consensu suorum conventuum aliis fratribus consignare.

Item. Pro obediencia in nostro ordine conservanda volumus et mandamus, quod quilibet frater mutatus de quocumque conventu infra octo dies a noticia mutacionis dicte iter arripere teneatur versus conventum, ubi fuerit assignatus, et illud congrue continuare, quousque pervenerit ibidem. Quilibet autem oppositum faciens penas excommunicacionis et carceris incurrat; nec a suis penis et peccatis absolvi possit nisi per priorem vel principalem presidentem conventus, in quo ipse frater inobediens fuerit. In conventibus autem et locis intermediis ultra duos dies moram trahere nequeat sub eisdem penis; quas eciam incurrere volumus fratrem quemlibet publice asserentem, se non posse nisi propter crimen vel scandalum a suo conventu nativo vel alio removeri.

Item. Ut predicta melius execucioni mandentur, in quolibet conventu fiat supprior, eciamsi lectorem fieri suppriorem opporteret; cum idem frater prior et lector et supprior fieri possit. Oppositum autem asserentes graviter puniantur.

Item. Ne quisquam in premissis se per ignoranciam excuset, volumus et ordinamus, quod superscripte ordinaciones singulis duobus mensibus ad minus semel in quolibet conventu legantur coram fratribus capitulariter congregatis. Presidens autem conventus, qui hoc exequi neglexerit, a sue presidencie officio sit suspensus, donec omissam restauraverit lectionem.

Adiicientes, quod acta presentis capituli per diffinitores ipsius vel socios eorundem bene scripta et correcta ac sigillo reverendissimi magistri ordinis sigillata ad provincias suas deferantur.

Omnes autem gracias exemptorias et licencias, auctoritates extraordinarias per reverendissimum magistrum ordinis hactenus concessas vel commissas revocamus; vicario peregrinancium ac privilegiis studencium in studiis generalibus dumtaxat exceptis.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod auctoritate litterarum apostolicarum felicis recordacionis domini Alexandri pape quinti (1) coram nobis et toto capitulo lectarum in hoc sibi commissa de omnium nostrum consilio et unanimi consensu et concordia et approbacione sacre theologie magistrorum in rigoroso examine consueto magistravit et doctoravit in sacra pagina fratrem Antonium de Romulis de provincia Provincie diffinitorem presentis capituli; Iohannem Episcopum conventus Cracoviensis provincie Polonie; Iohannem de Brugis priorem Brugensem ac diffinitorem presentis capituli; Ugonem de Alba lectorem Divionensem ambos provincie [Francie], qui omnes gaudere debent vigore litterarum apostolicarum supradictarum, ac si Parisius essent magistrati, graciis, privilegiis et exempcionibus.

Item. Denunciamus, fratres nostri ordinis magistratos in sacra pagina vigore litterarum Petri de Luna pro Benedicto decimotercio se pretendente per data post suum recessum de Portu Veneris (2) vel Angeli de Corario (3) pro Gregorio duodecimo se pretendente sub data post recessum (4) ab eo de Luca reverendissimorum cardinalium non esse magistros. Precipientes eisdem sub pena privacionis vocis et omnium graciarum ordinis, quas contravenientes incurrant ipso facto, quatenus magistrorum loca non teneant nec pro magistris se gerant in actu quocumque. Aliis vero fratribus sub pena carceris et precepti, quatenus illos pro magistris non habeant nec exhibere audeant magistralem reverenciam qualemcumque.

Idem. Dicimus de aliis quibuscumque officiis et graciis sub simili data impetratis vel adeptis.

Item. Denunciamus nostro decreto ex racionabilibus causis auctoritate presencium emanato omnes et singulos fratres tam officiales quam studentes in conventu Bononiensi pro forma consueta Parisiensi eosdem consequi gracias lectoratus et exempciones, quas consequerentur, qui in Parisiensi studio similiter fuissent deputati.

Item. Denunciamus, quod felicis recordacionis dominus Alexander papa quintus prelibatus pro gradu magisterii sacre theologie in nostro ordine rigorose prosequendo edidit constitucionem coram nobis in capitulo promulgatam infrascripti tenoris:

---

(1) Cf. BO. II, 500 n. XXI.

(2) Post diem 15 iunii 1408.

(3) De quo cf. Eubel *Hierarchia* p. 30.

(4) « Paulo post [9 maii 1408] omnes cardinales, qui Gregorium XII elegerant, ab eo recesserunt se transferentes Pisas de unione ecclesiae unacum cardinalibus de obedientia Benedicti XIII tractaturi ». cf. Eubel l. c. not. 6.

Auctoritate apostolica tenore presencium perpetua et irrefragabili constitucione statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus dicti ordinis absque licencia seu assignacione capituli generalis secundum morem dicti ordinis ad legendum pro forma seu ad honorem magisterii in theologia promoveri, nec gradu huiusmodi magisterii fungi et prosequi debeat, nisi per dictum capitulum fuerit approbatus et promotus. Contrarium facientes eo ipso sentenciam excommunicacionis incurrant, et si per dictum capitulum reprobatus existerit, pro non magistro habeatur, constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus provinciarum et locorum dicti ordinis, necnon privilegiis, graciis et concessionibus apostolicis in genere vel in specie quibusvis fratribus, provinciis seu locis factis seu concessis aut concedendis vel faciendis sub quavis forma vel expressione verborum, eciamsi de eis de verbo ad verbum habenda esset in presenti mencio specialis, et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Item. Denunciamus reverendissimum magistrum a prefato domino Alexandro papa V°. impetrasse pro fratribus in quibuscumque generalibus capitulis presencialiter existentibus vel ad quodcumque huiusmodi capitulum iter arripientibus, si a prosequucione ipsius itineris fuerint impediti, indulgenciam plenariam in mortis articulo; et personis benefacientibus cuicumque huiusmodi futuro capitulo de indulgencia tres annos et tres quadragenas, et pro quadraginta personis eligendis per reverendissimum magistrum ordinis vel priorem conventus capitulum recipientis quinque annos et quinque quadragenas et indulgenciam perpetuam trium annorum et trium quadragenarum singulis annis visitantibus ecclesiam, in qua recipietur quodcumque capitulum generale futurum (1).

Item. Impetravit ab eodem, quod ipse et quilibet futurus magister ordinis predicatorum unumquemque fratrem nostri ordinis semel, durante suo magisterio, ab omnibus sentenciis et peccatis absolvere possit, et cum eis desuper in irregularitatibus contractis post ipsa peccata et sentencias celebrando divina dispensare, eciam in casibus sedi apostolice reservatis; et similiter quilibet magister ordinis potest semel absolvi (2).

Item. Denunciamus pro salute fratrum uberius promovenda eundem dominum Alexandrum papam quintum indulsisse reverendissimo magistro ordinis, quatenus per se vel per alium vel alios possit quoscumque fratres nostros scismaticos seu adherentes Petro de Luna vel Angelo de Corrario, volentes ad obedienciam sancte matris ecclesie et prefati domini Alexandri pape quinti et suorum successorum rite et canonice in-

(1) Cf. BO. II, 498 n. XVIII et p. 500 n. XXII.
(2) Cf. l. c. pag. 496 n. XV.

trancium redire a sentenciis excommunicacionis singulis atque penis absolvere et cum eis super irregularitatibus exinde contractis dispensare atque in statum pristinum restituere. Et plura alia privilegia ordini nostro necessaria et salubria a prefato domino Alexandro quinto prefatus reverendissimus magister ordinis impetravit coram nobis et in generali capitulo publicata (1).

Item. Denunciamus apostolicas litteras super institucione generalis magistratus reverendissimo in Christo patris fratris Thome de Firmo sacre theologie magistri, qui tempore scismatis in una obediencia fuit unanimiter electus, et quam plurimis annis magisterium ordinis virtuose et laudabiliter exercuit, et in eodem coram nobis omnibus presentibus et in capitulo generali capitulariter congregatis fuisse lectas et públicatas, et tam per nos quam per omnes alios acceptatas. Quare mandamus fratribus nostri ordinis universis sub penis inobedientibus et rebellibus debitis, ut eidem tamquam vero et legitimo et universali magistro tocius ordinis obediant pariter et intendant (2).

Item. Denunciamus fratrem Petrum Barossa (3), sacre theologie professorem, esse verum provincialem provincie Tholosane a die ·xii·[a] octobris, qua fuit frater Iohannes [de] Merula (4) a provincialatu eodem absolutus et dictus frater Petrus institutus; et fratrem Ardizonum de Padua (5), sacre theologie magistrum, esse verum provincialem provincie sancti Dominici et fratrem Leonardum de Florencia (6), sacre theologie magistrum, esse verum provincialem provincie Romane, et fratrem Iohannem de Lacu (7), sacre theologie magistrum, esse verum provincialem provincie Provincie, et fratrem Ludovicum de Soncinis (8), sacre theologie magistrum, esse verum provincialem provincie Lombardie, et fratrem Andream de Ardizetto (9), sacre theologie magistrum, esse verum provincialem provincie Trinaclie: qui omnes fuerunt auctoritate apostolica felicis recordacionis domini Alexandri pape quinti in concilio generali Pisano indulta pro pleniori extirpacione scismatis et promocione renovate unionis sancte matris ecclesie

26) Ardizetto] *al.* Agrigento.

(1) Cf. l. c. p. 467 n. XVI.
(2) Cf. l. c. p. 487 n. I et supra pag. 133.
(3) De fr. Petro Barosa cf. supra p. 76.
(4) De fr. Ioanne de Merula cf. supra p. 81.
(5) De fr. Ardizono cf. BO. II, 490 n. V.
(6) De fr. Leonardo cf. BO. II, 491 n. VII et infra pag. 148.
(7) De fr. Ioanne de Lacu cf. supra p. 63 et BO. II, 488, ubi corrigas « de Luco » in « de Lacu ».
(8) De fr. Ludovico cf. BO. II, 491 n. VI et supra pag. 130.
(9) De fr. Andrea cf. BO. II, 491 n. VIII.

provinciales dictarum provinciarum constituti. Ideoque mandamus omnibus et singulis fratribus dictarum provinciarum sub penis excommunicacionis et carceris, quas contraveniendo incurrant ipso facto, quatenus prefatis suis provincialibus obediant et pareant cum effectu; decernentes, omnem congregacionem fratrum in quacumque dictarum provinciarum postmodum factam et coadunatam per quemcumque alium a predictis, nullatenus habuisse vigorem capituli provincialis. Quo circa volumus et mandamus, quatenus omne subsidium debitum vel censum pro capitulo provinciali vel pro officio provincialatus in quavis dictarum provinciarum post institucionem dictorum provincialium provincialibus consignetur suprascriptis pro suis officiis et capitulis per eosdem celebratis. Quicumque presenti mandato se opposuerit, penam furti incurrat ipso facto.

Item. Denunciamus, quod quicumque frater post tres dies a noticia presencium pro terminis cognicionis datos directe vel indirecte, per se vel per interpositam personam ordinem diffamaverit aut fratres ipsius, vel ipsis detraxerit apud personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, vel ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alteri iniunctam, seu officium vel gradum habere procuraverit vel eximi per personas predictas, ut in fine capituli de itinerantibus expresse ponitur, sentenciam excommunicacionis incurrat ipso facto, quam magister ordinis tulit in diffinitorio coram nobis de omnium nostrum consensu et consilio, absolucionem a dicta excommunicacione sibi et provincialibus reservans solum; et nichilominus volumus, quod tales tamquam nostri ordinis destructores carceri mancipentur. Declarantes, quod per licencias generales confitendi et auctoritates absolvendi cuiucumque concessas vel concedendas non potest aliquis absolvi a sentencia predicta vel ab aliis a quocumque presidente latis vel ferendis, nisi de illis fiat mencio specialis.

Item. Denunciamus pro variis discursibus in Romana curia compescendis, quod quicumque frater ad dictam curiam Romanam sine licencia reverendissimi magistri ordinis [vel] procuratoris ordinis accesserit, aut cum intencione illuc accedendi iter arripuerit, seu ultra terminum sibi assignatum in illa steterit, vel sine ordinis socio ipsam curiam intraverit, seu per illam discurrerit, aut per se vel per alium sine licencia et littera testimoniali procuratoris recesserit, cuiuscumque condicionis existat, penam carceris incurrat ipso facto, et nunc prout ex tunc omnem talem fratrem carceri sentencialiter adiudicamus per presentes. Quam penam presidentes provinciarum, nacionum vel conventuum fratribus delinquentibus in aliquo premissorum, postquam illos eisdem ad loca subiecta culpabiliter, ut prefertur, rediisse constiterit, infra octo dierum spacium sub pena precepti infligant cum effectu.

Concedimus tamen singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus provinciarum, quatenus ad dictam curiam pro negociis ordinis, quocienscumque necesse fuerit, possint ire et eciam mittere duos fratres; illi vero provinciali, in cuius provincia Romana curia residet vel pro tempore residebit, et eius vicario generali concedimus, quod ad dictam curiam fratres sue provincie mittere possit, prout paci et honestati ordinis iudicaverit expedire. Quilibet autem nostri ordinis priore provinciali vel eius vicario generali inferior, qui huiusmodi licenciam dederit, sit ipso facto a sue presidencie officio absolutus. Procuratori vero ordinis generali fratres ad curiam Romanam undequaque vocandi, [et] ut veniant, licenciandi ac inde quoscumque licenciatos expellendi, puniendi et incarcerandi, quocienscumque expediens iudicaverit, liberam concedimus facultatem; qui procurator ordinis omnium fratrum ibidem adveniencium vel residencium transgressiones et illorum puniciones atque licencias in scriptis fideliter redactas sequenti generali capitulo transmittere teneatur. Cui eciam procuratori ordinis solitam contribucionem sex florenorum de Florencia omni anno ante festum nativitatis domini quilibet provincialis indefectibiliter ad curiam transmittat sub dupli pena de sibi ad usum concessis eidem procuratori persolvendi.

Item. Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod de voluntate et consilio presentis capituli ac decem provincialium presencium in eodem conclusum fuit, quod pro expensis factis per reverendissimum magistrum ordinis pro privilegiis pro nostro ordine impetratis ac eciam pro aliis expensis factis pro sancta unione in concilio generali Pisano et extra a decessu de Portu Veneris Petri de Luna (1) usque in presens quelibet provincia reverendissimo magistro ordinis tot florenos mittat annuatim, quot habet in sua provincia conventus fratrum et monasteria sororum, non equaliter, sed proporcionaliter iuxta facultates conventuum dividendo, quousque dicte expense et alie, que pro communitate ordinis interim occurrerint legitime, fuerint persolute. Decernentes et volentes, provincias obligari ad expensas provincialium, qui ad presens capitulum convenerunt; cum id racione reformate et prosequende sancte unionis iudicavimus fuisse plurimum expediens et necesse.

Iste sunt commissiones.

In primis fratrem Gregorium de Tincto (2) provincie Terre sancte, sacre theologie magistrum, instituimus priorem provincialem eiusdem provincie.

(1) Post diem 15 iunii 1408.

(2) De fr. Gregorio de Tincto cf. EUBEL *Avign. Obed.* 929; forte idem est ac Gregorius de Fins, de quo supra pag. 77.

Item. Committimus reverendissimo magistro ordinis institucionem priorum provincialium provincie Terre sancte, Grecie et Aragonie absque electione quacumque dictarum provinciarum, quandocumque et quociens-cumque dicti provincialatus vacaverint, et quod per se vel per alium in studiis generalibus lectores, bachalarios et alios officiales ponere et amovere valeat, eciamsi sint assignati per capitulum generale. Et quod priores provinciales et conventuales quarumcumque provinciarum et conventuum vicarios et quoslibet alios presidentes in quacumque nostri ordinis parte absque citacione et monicione previa absolvere et suspendere valeat, quandocumque sibi videbitur expedire.

Item. Committimus fratribus Iohanni Dignat et Iordano de Luperia provincie Tholosane, et cuilibet eorum in solidum, inquisicionem et correctionem fratrum et sororum, qui fuerunt vel erunt sub magistro Petro de Barossa (1) provinciali provincie Tholosane, cum omni plenaria auctoritate, quam reverendissimus magister ordinis habet vel habere posset in premissis, cuius eciam reverendissimi magistri ordinis vices plenissimas super fratribus et sororibus sibi subditis committimus eidem magistro Petro provinciali superscripto pro suo officio validius exercendo.

Item. Committimus fratribus Gigoni de Clausello regenti Avinionensi et Iohanni Mitustrali (2), sacre theologie magistro, provincie Provencie, et cuilibet eorum in solidum, inquisicionem et correctionem fratrum et sororum, qui fuerunt vel erunt inobedientes suprascripto magistro Iohanni de Lacu (3), provinciali dicte provincie Provencie, cum omni plenaria auctoritate, quam reverendissimus magister ordinis ex suo officio habet vel habere posset in premissis. Cuius reverendissimi magistri ordinis vices plenissimas super fratribus et sororibus sibi subditis committimus eidem magistro Iohanni de Lacu, provinciali supradicte provincie, pro suo officio validius exercendo.

Item. Pro evitanda in presentibus prolixitate ex aliis racionabilibus causis aliqua alia commisimus et conclusimus ac expedienter fecimus et statuimus, que in scriptis redegimus cum subscripcionibus, que volumus valere, ac si in presentibus actis fuissent publicata.

Conventui Bononiensi provincie sancti Dominici pro forma et gradu magisterii assignamus in regentem fratrem Dominicum Ristori (4) de Florencia, sacre theologie magistrum, et presentis capituli diffinitorem. Ad legendum vero sentencias pro primo anno immediate sequenti fratrem Sinibaldum de Florencia, cuius lecturam precedentem assignamus.

---

(1) De fr. Petro de Barossa cf. supra pag. 143.

(2) De fr. Ioanne Mitustrali *al.* Minustraul cf. supra pag. 88.

(3) De fr. Ioanne de Lacu cf. supra pag. 143.

(4) De fr. Dominico Ristori cf. Masetti l. c. pag. 402, 415 sq., supra p. 130.

Pro secundo vero et tercio anno fratrem Alexium de Strozzis. Ad legendum autem bibliam pro primo anno immediate sequenti fratrem Guilelmum Coiisse provincie Francie. Pro secundo vero anno fratrem Sinibaldum supradictum; pro tercio vero fratrem Iohannem de Fiacono de conventu Ianuensi provincie Lombardie. In magistrum vero studencium pro primo anno fratrem Alexium predictum, pro secundo fratrem Iohannem de Affragola (1) provincie regni, et pro tercio fratrem Sinibaldum predictum. Item ad legendas sentencias pro forma in eadem universitate Bononiensi habilitamus fratrem Hermanum Archabae de conventu Sundensi provincie Saxonie, Arnoldum Insolarum de conventu Biteranensi (2) et Antonium de Cristini de conventu Avinionensi ambos provincie Provencie; Iohannem Vulpis de conventu Brugensi provincie Francie; et Nicolaum Gargani de conventu Senensi provincie Romane.

Iste sunt absoluciones.

In primis absolvimus hos priores conventuales videlicet Ferrariensem, sancti Dominici de Venetiis, Tiburtinum, Viterbiensem, Spoletanum, Narniensem, Pisanum et Lucanum.

Item. Absolvimus hos priores provinciales: Ungarie, cuius curam committimus fratri Michaeli de Suplio lectori Undensi (3), diffinitori presentis capituli generalis, quousque provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem, et provincialem Terre sancte. Volumusque et ordinamus, quod tam priores provinciales quam conventuales nunc absoluti et qui per litteras absolventur, ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus infra annum a noticia presencium sue absolucionis nullatenus eligantur. Quod si oppositum factum fuerit, non valeant confirmari.

Sequens capitulum conventui Imolensi provincie sancti Dominici ad biennium assignamus in festo penthecostes celebrandum, ad quod fratres, qui de ipsius corpore capituli non fuerint, minime absque licencia venire presumant. Diffinitores vero et eorum socii dominica infra octavas ascensionis prefatum locum intrent; ceteri autem feria quinta ante pentecosten intrare poterunt.

---

1) Strozzis] Tirotiis *cod. ms.*

(1) De fr. Ioanne de Afragola cf. Masetti l. c. p. 403, 419.

(2) Legendum esse puto « Bituricensi » vel « Biterrensi ».

(3) Forte « Budensi » vel « Utinensi ».

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS IANUE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· XIII°· (1).

Anno domini · m°· cccc°· xiii°· apud Ianuam declaratum est, quod addatur in capitulo, quod incipit: noverint, quod etc., ubi dicitur: alias vero numquam, addatur et dicatur sic: et idem dicimus, quando prima tercia feria post octavas epiphanie fuerit similiter vacans, fiat festum feriale et cantentur rubrice, que pro feria tercia sunt signate.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ARGENTINE PROVINCIE THEUTONIE CELEBRATI IN FESTO PENTECOSTES DIE SEXTA MENSIS IUNII ANNO DOMINI · M°· CCCC°· XVII°·

Sub reverendissimo patre et sacre theologie professore fratre Leonardo Statii de Florencia (2), ordinis predicatorum magistro generali.

Iste sunt inchoaciones.

In primis inchoamus, quod de apparicione sancti Michaelis archangeli sub nomine angelorum fiat totum duplex die 8ª maii, quemadmodum in Italia observatur; et fiat officium de festo dedicacionis eiusdem, ut est in breviario annotatum.

Item. De sancto Laurencio et de sancto Martino, quorum quilibet habet octavas solemnes, fiat festum duplex.

Item. De sancta Barbara fiat festum et officium trium lectionum die 4ª. decembris.

Item. De festo omnium sanctorum fiat memoria per octavas, et dicatur ad Benedictus et ad Magnificat antiphona de die cum oracione de festo.

Item. Quod in litaniis, ubi dicitur: a damnacione perpetua; addatur et dicatur: a subitanea et improvisa morte, libera nos etc.

Item. In missa conventuali, ubi dicitur: gracias agamus domino deo nostro, et ad versum: o crux, ave spes unica, fratres in choro caput reverenter inclinent, sicut fieri debet, quando nomen Iesu vel Marie virginis, matris eius, nominatur.

(1) Quod fragmentum desumptum est ex codice 768 bibliothecae universitatis Lipsiensis.

(2) De fr. Leonardo Statii de Datis cf. SSOP. I, 753 sqq., MASETTI l. c. 411 sqq., MOPH. VII, 30 sqq. et supra pag. 143.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus hanc in capitulo de itinerantibus, ubi dicitur: ad huiusmodi suffragia restitui mereatur; addatur et dicatur sic: fratres nostri cum fuerint ad aliquam ecclesiam vel dignitatem extra ordinem ad sui instanciam per sedem apostolicam pronunciati, sint ipso facto ab omni presidencia et officio infra nostrum ordinem sibi commissis absoluti; a quibus tenore presencium absolutos denunciamus.

Alii vero sine sui instancia similiter pronunciati, nisi infra quatuor dies a noticia predicte pronunciacionis sibi facte, ipsi pronunciacioni et promocioni publice renunciaverint, eciam per publicum instrumentum, simili modo absoluti existant.

Precipientes omnibus et singulis fratribus nostri ordinis presentibus et futuris, quatenus nulli predictorum absolutorum obedire audeant aut presumant.

Item. Quod quandocumque in sabbato officium de beata virgine fieri debet, aut eciam in dominica festum trium lectionum occurrerit, non fiat memoria de ipso festo; neque simpliciter illo anno dimittatur, sed remittatur in primam feriam vacantem subsequentem.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus hanc in capitulo in fine constitucionum annotato, quod incipit: quicunque in publico etc., ubi dicitur: minime dispensetur cum eo, addatur et dicatur sic: eandemque penam incurrat quicumque presidens vel frater, conventus aut provincia renunciaverit alicui privilegio ordini nostro concesso absque licencia capituli generalis, sine cuius consensu omnem huiusmodi qualitercunque factam renunciacionem nullius volumus esse roboris vel momenti. In quo similiter casu similem penam incurrant quicunque presidentes, aut fratres sive conventus, qui sine causa legitima et urgenti litigaverint aut appellaverint contra diocesanos quoscunque.

Iste sunt ordinaciones.

In primis a divino cultu exordium assumentes, volumus et ordinamus, quod officium beatissime virginis in singulis conventibus nostri ordinis in choro ante officium (tantum) de tempore dicatur ordinarie, completorio et matutino duntaxat exceptis, quia matutinum in dormitorio, completorium vero post officium de tempore more solito dici volumus et mandamus.

Declarantes, nullos ex fratribus nostri ordinis fore exceptos a choro et ab hebdomadaria communi, magistris in theologia, bacalauriis actu legentibus, iubilariis, ac aliis, qui fuerunt priores et diffinitores, et sunt actu predicatores generales, exceptis; quodque fratres ad chorum venire negligentes, horas debitas aut officium divinum notabiliter omit-

tentes penis debitis puniantur, super quo conscienciam superiorum oneramus.

Nullus eciam frater vel conventus divinum officium in aliquo mutare presumat, cum hoc fieri non possit, nisi per capitulum generale. Oppositum autem facientes penam gravioris culpe incurrant et precepti ipso facto.

Item. In virtute sancte obediencie et spiritus sancti precipimus fratribus nostri ordinis universis, quatenus nulli eorum consensum prebeant vel favorem, ut aliquis promoveatur ad sacros ordines ante tempus a iure statutum, cum taliter consencientes et facientes et promoti gravissimas censuras et penas ab ipso iure latas incurrant (1).

Declaramus, omnes ante etatem debitam ad sacros ordines promotos ipso iure ab execucione talium ordinum susceptorum suspensos, quousque cum eis fuerit dispensatum, quam suspensionem indefectibiliter a taliter promotis, ut fertur, volumus observari; oppositum autem facientes voce simpliciter privamus.

Item. Ne observancia nostre religionis ex ignorancia constitucionum nostrarum violetur, precipimus prioribus provincialibus et conventualibus ceterisque presidentibus, quatenus cum diligencia faciant in suis provinciis et conventibus constituciones ordinis nostri duabus vicibus in anno ordinarie fratribus in mensa congregatis legi, et illas cum diligencia observari tam in statutis, quam in ceteris ibidem contentis. Volentes, ut priores vel presidentes conventuum aut suppriores semel ad minus in die, maxime de mane, comedant simul cum conventu, ita quod semper presidens conventus remaneat, ut prefertur.

Adiicientes, quod de esu carnium in secunda et quarta feria, nisi subsit legitima causa, cum aliquo fratre minime dispensetur. Neque fratres comedant extra loca ordinaria in suis cameris aut in aliis locis, causa infirmitatis et gravis egritudinis duntaxat excepta. Qui autem contravenerit absque causa urgente, vel sine licencia magistri ordinis, aut sui provincialis privacionem capituli, sive ecclesie et omnium graciarum ordinis incurrat ipso facto. Cui eciam pene subiicimus omnes et singulos fratres portantes camisias cum collaribus apparentes aut collum tunice qualitercunque excedentes, similiter cum manicis camisiarum excedentibus tunicarum manicas; super cuius observacione provincialium consciencias oneramus.

Adiicientes, quod raciocinia conventuum de duobus mensibus semel reddantur, priore, magistris ac patribus conventus ad hoc vocatis. Similiter ad consimilia conventualia magistri et patres conventus semper et sine defectu vocentur.

---

(1) Qua de re cf. supra pag. 116 sq.

Item. Prohibemus, ne alicui concedatur licencia de suis rebus tempore sue infirmitatis vel post mortem eius disponendi; et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane; fratres vero, qui bona quecunque defunctorum fratrum receperint vel recipient in futurum ex dispensacione huiusmodi previa fratris cuiuscunque infra mensem a noticia presencium conventui vel conventibus, ad quos spectaverint dicta bona, restituere teneantur, alioquin penam furti incurrant ipso facto.

Adiicientes, quod libri, celle, camere, aut alia bona quecumque conventuum vel sororum, vel in quibus succedunt conventui, racione fratrum defunctorum, aut alia quavis causa, nullatenus ad vitam alicui concedantur per presidentem quemcumque sine licencia duarum parcium conventus illius, ad quem spectaverint huiusmodi bona, cum assensu prioris provincialis sue provincie; quas cameras et cellas concedi minime volumus cuicumque, nisi fuerint pro infirmis aut officialibus ordinis deputate; neque si inferiores sint cum assensu ad dormitorium quoquam (!). Similiter nemo habeat duas cameras vel cellas, sibi ad usum in duobus conventibus concessas; et si secus de preterito factum est aut alicui concessum, totum sit irritum et inane.

Et idem reverendissimus magister ordinis de nostrum consilio unanimi et assensu mandat per sorores suo officio subditas observari quoad singula eius puncta. Simili modo ordinantes, quod frater quilibet nostri ordinis det in scriptis ad minus semel in anno presidenti quecunque bona per ordinem ad usum concessa: que scripta in communi deposito conventus fideliter reponantur; alioquin presidentes, qui in hac requisicione negligentes extiterint, a suo presidencie officio sint suspensi, quousque dictam cedulam cum diligencia requisierint et sibi consignari fecerint, ut prefertur. Neque bona fratrum deponantur apud personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas; alioquin dictis bonis simpliciter privamus et suo conventui nativo applicamus.

Item. Vagos discursus fratrum coercere volentes, volumus et mandamus, quod nullus fratrum exeat terminos sue provincie sine licencia sui provincialis sub pena gravioris culpe, quam quilibet oppositum faciens ipso facto incurrat.

Mandantes presidentibus, provincialibus et conventualibus prioribus universis, quatenus quemlibet fratrem extraneum sine littera testimoniali provincialis residentem, vel transeuntem de presenti et in futurum, de sua provincia expellat et ad propriam illius, quantum in eo fuerit, redire compellat; presidens autem qui scienter contrafecerit, a suo presidencie officio, quousque predicta effectualiter adimpleverit, sit suspensus.

Similiter sine socio nostri ordinis nullus frater extra conventum vel civitatem accedat sine licencia reverendissimi magistri ordinis, vel prioris

provincialis aut vicarii nacionalis; oppositum faciens ultra vices duas, voce in qualibet electione secundum formam nostri ordinis sit privatus; et si vocem non habuerit, pene gravioris culpe subiaceat. Prior autem sive presidens recipiens ultra diem naturalem [sic] incedentem per quindenam a suo officio sit suspensus.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres ex ignorancia inhabiles ad predicandum non fiant predicatores generales, prout constitucio mandat. Et si qui tales contra dictam constitucionem sint facti, aut duobus annis continuis sine legitima et racionabili causa capitula provincialia non visitaverint, pro non predicatoribus generalibus habeantur, quos ex nunc prout ex tunc dicto officio simpliciter privamus. Provinciales autem, qui excessivum numerum predicatorum generalium de cetero instituerint, a suis provincialatus officiis sint suspensi.

Adiicientes, quod fratres missam legere nescientes, aut notabiliter ignorantes, ad electiones canonicas in nostro ordine minime admittantur, de quorum ignorancia et insufficiencia stetur capituli provincialis iudicio, de cuius provincia fratres aut frater huiusmodi extiterint; quod similiter de confessoribus ignorantibus volumus observari, quoad confessionum audienciam tantum.

Item. Temeritati ignorancium obviare volentes, precipimus et mandamus prioribus provincialibus et presidentibus nostri ordinis quibuscunque sub pena absolucionis a suis officiis, quam ipso facto qui contrafecerint incurrant, quatenus fratres quoscunque magistratos per bullam sine assensu magistri ordinis aut capituli generalis approbacione, ad officia honoris provincialatus, prioratus, lectoratus, vicariatus, aut alia quecunque similia non eligantur, neque quovis modo admittantur; sub eadem pena precipientes, ne aliquod subsidium pecuniale aut temporale a suis conventibus vel provinciis taliter magistratis deinceps directe vel indirecte fieri possit.

Eodem mandato precipientes, ne prebende aut victus ad vitam per priores conventus sine licencia prioris provincialis personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis vendantur aut qualitercunque ad tempus obligentur; alias penam suprascriptam incurrant, et talis obligacio sit talibus minime valitura.

Item. Ut gracie excessive moderentur, volumus et ordinamus, ut nullus frater possit habere graciam faciendi iubilarium, nisi quadraginta annis continuis in nostro ordine perseveraverit; et si secus factam fuerit per quemcumque, totum sit irritum et inane. Et idem intelligimus et volumus de preterito, quousque ad dictum terminum attigerint.

Declarantes ipsos iubilarios propter hoc sine licencia suorum superiorum intrandi civitatem aut ad monasteria sororum accedendi vere au-

ctoritatem aut indulgenciam non habere. Et volumus et ordinamus, quod suprascripte ordinaciones singulis duobus mensibus ad minus semel in quolibet conventu legantur coram fratribus capitulariter congregatis sub pena suspensionis presidentibus a suis officiis, qui exequi neglexerint, quousque omissam restauraverint lectionem.

Adiicientes, quod acta presentis capituli per diffinitores ipsius, vel socios eorundem, bene correcta et scripta ac sigillo reverendissimi magistri sigillata ad suas provincias deferantur; que acta infra terminum duorum mensium ab eorum reditu ad provincias ibidem legantur et publicentur.

Item. Omnes vicariatus, auctoritates extraordinarias, maxime, ut fratres quidam ecclesiis extra obedienciam ordinis constitutis possint ad tempus deservire, per reverendissimum magistrum ordinis habentes concessas vel commissas, revocamus; vicariatibus societatis peregrinancium, et vicariatus provincialatus Saxonie, et procuratoris ordinis, ac privilegiis studencium in studiis generalibus duntaxat exceptis, eciam si de illis de verbo ad verbum oporteret expressam facere mencionem.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus fratres nostri ordinis universis, quod visis et auditis iuribus et racionibus provincie Polonie ex una parte, similiter iuribus et racionibus provincie, que dicitur Theutonie inferioris, ex alia cum his, que contigerunt de facto, plusquam de iure super divisione dicte provincie Polonie, resecatis superfluitatibus iuris, prout nostre constituciones demandant, quantum nostra interest, declaramus et iudicamus divisionem provincie Polonie in duas provincias, quarum una diceretur provincia Polonie et alia provincia Theutonie inferioris, per reverendissimum magistrum ordinis factam, esse et fuisse invalidam ac nullam existere de presenti.

Similiter fratrem Nicolaum Ursi provincialem dicte provincie Theutonie inferioris minime existere.

Precipientes omnibus fratribus et singulis dicte provincie Theutonie inferioris, quatenus dicto fratri Nicolao tanquam suo provinciali legitimo ulterius non obediant, sed simul cum ceteris fratribus de Polonia ad electionem unici provincialis procedere debeant sub vicario provinciali Polonie, per reverendissimum magistrum ordinis instituto, ex vacacione provincialatus officii propter resignacionem eiusdem per magistrum Ioannem Episcopi (1) factam, et tempore et loco per dictum vicarium designandis.

(1) De fr. Ioanne Episcopo cf. supra pag. 141.

Item. Denunciamus quedam capitula per diffinitorium et nostrum generale capitulum super reformacione ordinis esse conclusa, que postquam per reformatores sacri concilii Constanciensis fuerint diligenter examinata, volumus et mandamus, ut per reverendissimum magistrum ordinis toti ordini denuncientur et cum diligencia absque defectu ab omnibus observentur.

Item. Denunciamus, quod magisteria sacre theologie professorum, qui de rigore, et per litteram ad gradum magisterii secundum formam. et ordinem constitucionis nove ascenderunt in universitatibus approbatis, approbamus et confirmamus. Similiter lecturas bacalauriorum, qui in dictis universitatibus legerint sentencias pro forma et gradu magisterii duntaxat; volentes, quod ordinacio circa magistros bullatos per capitulum generale non confirmatos, aut per magistrum ordinis auctoritate dicti capituli in actis presentibus expressa indubitate servetur sub pena excommunicacionis late sentencie, tam contra recipientes quam contra ferentes eis prohibitos gradus et honores.

Item. Denunciamus pro vagis discursibus in Romana curia compescendis, quod quicunque frater, qui ad dictam curiam Romanam sine licencia reverendissimi magistri ordinis vel procuratoris accesserit, aut cum intencione illuc accedendi iter arripuerit, seu ultra terminum sibi assignatum in illa steterit, vel sine socio ordinis illam intraverit, seu per ipsam discurrerit, aut per se aut per alium aliquod negocium ordinem nostrum, provinciam, conventum vel monasterium, aut fratrem vel sororem concernens tractaverit, vel eciam de curia sine licencia et littera testimoniali procuratoris ordinis recesserit, cuiuscunque condicionis existat, penam carceris incurrat ipso facto; et nunc prout ex tunc omnem talem fratrem carceri sentencialiter adiudicamus. Quam penam presidentes nacionum, provinciarum vel conventuum fratribus delinquentibus in aliquo premissorum, cum illis ad loca sibi subiecta eosdem culpabiliter rediisse constiterit, infra octo dierum spacium sub pena precepti infligant realiter et cum effectu.

Concedimus tamen singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus provinciarum, quatenus ad dictam curiam pro negociis ordinis, quociescunque necesse fuerit, possint ire et eciam mittere duos fratres; illi vero provinciali, in cuius provincia curia Romana residet, et eius generali vicario concedimus, quod ad dictam curiam fratres mittere possit sue provincie, prout paci et honestati ordinis expedire iudicaverit.

Quilibet autem presidens nostri ordinis priore provinciali vel eius vicario inferior, qui huiusmodi licencias dederit, sit ipso facto a sue presidencie officio absolutus.

Procuratori vero ordinis generali fratres ad Romanam curiam unde-

cunque vocandi, et, ut veniant, licenciandi, ac inde quoscunque licenciatos expellendi, puniendi, ac eciam incarcerandi, quociescunque expediens iudicaverit, liberam concedimus facultatem. Cui eciam procuratori ordinis solitam contribucionem sex florenorum de Florencia omni anno ante festum nativitatis quilibet provincialis indefectibiliter ad curiam Romanam transmittat.

Item. Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod de consilio et voluntate omnium nostrum et priorum provincialium existencium in presenti capitulo generali conclusum est, quod pro expensis factis, de quibus reverendissimus magister ordinis diligentem computum reddidit coram nobis et provincialibus suprascriptis, ac eciam pro expensis fiendis in concilio generali pro se et sua familia, et pro communibus expensis ordinis reverendissimo magistro ordinis mittatur subsidium in actis capituli generalis precedentis ordinatum et conclusum. Et qui de preterito non solverint, satisfacere et solvere cum diligencia studeant et procurent cum effectu. Et idem dicimus de solita contribucione ordinis.

Item. Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod ex commissione nobis facta per metuendissimam curiam parlamenti christianissimi et potentissimi regis Francie super facto provincialatus provincie Tholosane, super quo fuit multis temporibus litigatum in dicta curia inter fratrem Ioannem de Merula (1) licenciatum in theologia conventus Petragoricensis ex una parte, et fratrem Petrum de Monasio (2) sacre theologie professorem ex altera; que quidem commissio nobis facta extitit de consensu procuratorum parcium supradictarum, ut patet per patentes litteras regis super huiusmodi commissione nobis transmissas; et cum magna diligencia et de consilio iurisperitorum inspectis, et examinatis absolucionibus fratris Ioannis de Merula licenciati in theologia, provincialis olim in una obediencia, et magistri Willelmi Fabri in alia, factis per reverendissimum fratrem Thomam de Firmo, quondam generalem magistrum nostri ordinis (3), auctoritate apostolica nullum predictorum fratrum habere nec habuisse post dictam absolucionem ius in dicto provincialatus officio.

Declarantes et sentencialiter determinantes secundum nostrarum seriem constitucionum et statutorum nostri ordinis, secundum que nobis per supremam curiam parlamenti premissa facta extitit commissio, ut patet ex tenore litterarum regiarum nobis super hoc destinatarum, fra-

(1) De fr. Ioanne de Merula cf. supra pag. 143.

(2) De fr. Petro de Monasio *al.* Monmasio cf. supra pag. 88.

(3) Obiit fr. Thomas de Firmo 1414 die decima mensis martii; cf. MOPH. VII, pag. 30.

trem Petrum de Monasio sacre theologie professorem esse et fuisse verum et legitimum provincialem provincie Tholosane a tempore institucionis facte prima octobris millesimo quatercentesimo decimo secundo per magistrum Nicolaum de Benda vicarium ad hoc datum et deputatum per celebris memorie magistrum Thomam de Firmo, quondam generalem magistrum nostri ordinis predicatorum, pronunciantes nihilominus et declarantes, fratrem Ioannem de Merula non fuisse nec esse sufficientem competitorem, nec actorem in dicta curia, nec aliqua alia, nec secundum ordinis statuta, ut prefertur, nec secundum iura, cum in actibus capituli provincialis in festo assumpcionis beatissime virginis Marie in conventu Montis Albani dicte provincie Tholosane immediate ante dictam institucionem celebrati, dictus frater Ioannes de Merula iuri vel iuribus dicti officii, si quid, vel si que habebat, renunciaverit, suosque procuratores super hoc factos revocaverit, et nullis modis vel temporibus in oppositum venire iuraverit, ut patet per publicum instrumentum super hoc confectum. Multociesque post dicto magistro Petro, ut suo provinciali scripserit manu propria, ut patet per litteras nobis in diffinitorio ostensas et lectas, et diligenter examinatas.

Quapropter in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis, quam sub trina et canonica monicione premissa reverendissimus magister ordinis de omnium nostrum consilio et assensu tulit iuridice et diffinitorie coram nobis, et hoc idem sub iisdem penis precepit reverendissimus magister ordinis omnibusque sororibus dicte provincie, quatenus dicto magistro Petro tanquam vero et indubitato provinciali pareant, obediant pariter et intendant secundum formam nostrarum constitucionum et institutorum eiusdem. Oppositum autem facientes contra ipsum super huiusmodi officio de cetero litigantem vel litigantes nunc prout ex tunc et tunc prout ex nunc carceri adiudicamus, tanquam inobedientes et nostri ordinis destructores. Sub eisdem penis mandantes presidentibus nostri ordinis universis, quatenus si aliquos sciverint, illico et incontinenter tales mancipari studeant et procurent; brachium eciam super hoc, si necesse fuerit, invocando seculare.

Iste sunt commissiones.

In primis committimus et concedimus reverendissimo magistro ordinis institucionem priorum provincialium Terre sancte et Grecie absque dictarum provinciarum electione quacunque, quociescunque dicti provincialatus vacaverint; et quod per se vel per alium in studiis generalibus lectores, bacalaurios, et alios officiales ponere et amovere valeat, eciam assignatos per capitulum generale, et quod priores provinciales et conventuales quarumcunque provinciarum et quorumcunque conventuum, inquisitores et vicarios, et quoslibet alios presidentes, in quacunque no-

stri ordinis parte, absque citacione previa, absolvere et suspendere valeat, quandocunque sibi videbitur expedire.

Item. Pro vitanda prolixitate in presentibus et ex aliis racionabilibus causis nonnulla alia eidem reverendissimo magistro ordinis commisimus et conclusimus, atque expedienter fecimus, decrevimus et statuimus, que in scriptis redegimus cum subscripcionibus nostris, que volumus valere, ac si in presentibus actibus fuissent publicata, specialiter quod secum habere debeat ad facta ordinis pertractanda sex theologie magistros, videlicet duos de nacione Italica, et duos de nacione Gallica, et duos de nacione Germanica, ad quorum magistrorum expensas dicte naciones concurrant secundum ratam provinciarum, que in dictis nacionibus continentur.

Item. Concedimus cuilibet diffinitori presentis capituli, ut ad gracias ordinis possit restituere duos fratres.

Iste sunt absoluciones.

In primis absolvimus hos priores conventus provincie Theutonice: videlicet Bernensem, Agenovensem, Nove civitatis et Slestadiensem; et volumus et ordinamus, quod priores nunc absoluti, et qui per litteras absolventur, ad eadem officia in eisdem conventibus infra annum nullatenus eligantur; quod si oppositum factum fuerit, non valeant confirmari.

Iste sunt penitencie.

Inprimis quia frater Iohannes Valchemburg (1) sacre theologie professor provincie Polonie a pluribus annis notabiliter ordinem nostrum scandalizavit, magistrum quondam ordinis magistrum Thomam de Firmo (2), ac provincialem Saxonie plurimosque iritando, et maxime in concilio Constanciensi, eciam (et) presentem magistrum ordinis ordinemque multipliciter infamando et iritando, mala malis addendo diabolico spiritu instigatus libellum quemdam scandalosum et erroneum in moribus et doctrina contra serenissimum regem Polonie eiusdemque regimen ac regnicolas composuit et publicavit, unde ordinem nostrum posuit ad extremum et ruinam tanquam incorrigibilem secundum nostrarum constitucionum tenorem ipsum perpetuo carceri adiudicamus.

---

26) ordinis] et praedictum M. Thomam *add.* SSOP. I, 761.

---

(1) De fr. Ioanne Falkenberg cf. SSOP. I, 760 sq., et praecipue Bess *Iohannes Falkenberg und der preussisch-polnische Streit vor dem Konstanzer Konzil in Zeitschrift für Kirchengeschichte* 1896 XVI. Bd. p. 385; Bess in Herzog-Hauck *Realencyclopädie für protestantische Theologie* 3, II, 736 sqq.

(2) De fr. Thoma de Firmo cf. supra pag. 155.

Fr. Leonardus Statii de Florentia fratribus provinciae Aragoniae scribit, se auctoritate apostolica die 2 martii 1418 declaratum esse et constitutum magistrum generalem totius ordinis praedicatorum, capitulumque generale proximum celebrandum Coloniae in provincia Teutoniae. [Florentiae 1418 apr. 3].

In dei filio sibi carissimo priori provinciali provincie Aragonie ceterisque prioribus conventualibus ac fratribus eiusdem provincie, ad quas presentes pervenerint, frater Leonardus de Florencia, sacre theologie professor ac tocius predicatorum ordinis humilis magister et servus, salutem et observanciam regularem.

Licet iste, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur, in agro militantis ecclesie velut celestis agricola ad uberes fructus spiritus producendos varias religionis [species] complantaverit, quadam tamen speciali prerogativa et modo eminentiori ordinem predicatorum opportuno tempore produxit in lucem, ut videlicet ordo ipse ad instar apostolorum secus decursus aquarum id est populorum plantatus vite pariter et doctrine fructum suum daret in tempore suo.

Verum quia prefata ecclesia, que sub unico ovili et unici pastoris ministerio gubernatur, satore discordie diabulo operante, perniciosi scismatis iam quadragenio laborans ac sub diversis capitibus velut monstruosa existens, non minus membra ipsius eadem peste infecit, inter que ordo noster non absque eiusdem notabili collapsu scissus continuo extitit et divisus, ita ut iuxta prophete Ieremie vaticinium (1): dispersi sint lapides sanctuarii in medio omnium platearum, ideo divina pietas miserta hominibus precibusque triennalis concilii assidue propulsata novissime diebus istis, postquam illa, que ex incertitudine sui legitimi et unici sponsi facta erat quasi vidua, querens illum et non inveniens, ex eiusdem certitudine sub sanctissimo in Christo patre et domino domino Martino divina providentia papa quinto, velut sub unico sponso et indubitato pastore, ac in terris legitimo vicario Iesu Christi facta est domina gentium, eciam et membra ecclesie precipueque ordinem nostrum ad unionem reduci et sub unici capitis directione clementer disposuit. Nam die secunda mensis martii currentis anni millesimo quadringentesimo decimo octavo idem sanctissimus dominus noster matura deliberacione prehabita cum suis fratribus sancte Romane ecclesie cardinalibus, magistro Iohanne de

9) predicatorum] eiusdem *cod. ms.* — 11) iste] hiis *cod. ms.*

(1) Thren. IV, 1.

Podionucis, qui olim in obediencia domini Petri de Luna titulo magistratus nostri ordinis fungebatur, in episcopum Cataniensis ecclesie assumpto (1), me licet immeritum tocius eiusdem predicatorum [ordinis] magistrum generalem esse declaravit atque apostolica auctoritate constituit (2), secundum quod in capitulis Narbonensibus per decreta sacri concilii Constantiensis confirmatis expresse fuerat ordinatum (3).

Hec, dilectissimi fratres, ad gaudium et spiritualem consolacionem vestre caritati intimare curavi, spe exinde concepta, ut interventu precum vestrarum apud altissimum honus iniunctum tollerabilius fiat, sub quo pro nostri ordinis reformacione atque conservacione opportunis viribus possibilibus laborare dispono, prout in sequenti generali capitulo, quod in festo pentecostes sequenti ad annum in conventu Coloniensi provincie Theutonie celebrabitur, domino cooperante, percipietis. Interim partim in curia pro innovatione privilegiorum ordinis procuranda, partim vero visitacione ordinis circa partes Gallie et Theutonie insistam, ubi si qua grata pro vobis valeo, cum plena securitate intimare curetis.

Valete in domino et orate pro me.

Datum Florencie mensis aprilis die tercia · m°· cccc°· xviii°· (4).

(1) Fr. Ioannes de Podionucis, de quo supra pag. 87, creatur ep. Cataniensis 1418 febr. 28; cf. Eubel *Hierarchia* p. 183.

(2) Cf. BO. II, 535 n. 6.

(3) Qua de re cf. Labbei *Concilia generalia*. Venetiis 1731 XIII, 315 sqq.

(4) Quae litterae, haud dubie et ceteris provinciis ordinis missae, desumptae sunt e codice 97 (antea 21671) pag. 748 sqq. bibliothecae universitatis Caesaraugustanae.

III.

Acta capitulorum generalium totius ordinis uniti.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS FRIBURGI CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°· CCCC°· XIX°· (1).

Anno domini ·m°· cccc°· xix°· in Friburg inchoatur, ·m°· cccc°· xxi°· in Metis approbatur, ·m°· cccc°· xxiii°· Papie confirmatur: in primis declaramus, quod de apparicione beati Michaelis sub festo toto duplici et officio dedicacionis eiusdem cum primis psalmis et tribus responsoriis et alleluia uniformiter per ordinem nostrum est sollempnitas celebranda ·viii· idus maii.

Item. De sanctis Laurencio et Martino fiet duplex.

Item. De omnibus sanctis fiant octave. Et festum quatuor coronatorum ad vigiliam sancti Martini transferatur.

Item. De ·x· millibus martirum et ·xi· millibus virginum fiat totum duplex, et cantetur hystoria de communi plurimorum martirum.

Item. De sancta Barbara fiant [tres] lectiones.

Item. In letaniis, ubi dicitur: a dampnacione perpetua, addatur: a subitanea et improvisa morte libera nos, domine.

Item. Quod officium beate virginis amodo in choro ante officium de tempore ordinarie dicatur, matutinis et completorio dumtaxat exceptis, matutine in dormitorio, completorium in choro immediate ante antiphonam « salve regina ».

Item. Quod festum visitacionis beate virginis secunda die iulii cum octavis in provinciis, ubi hactenus est consuetum, sollempniter celebretur. In crastino vero dicti festi fiat memoria de sanctis martiribus Processo et Martiniano.

Item. In utroque festo sancte crucis fiat festum duplex.

Item. Quod tempore paschali in festis duplicibus memoria de cruce pretermittatur; in quibus tamen per annum de sanctis calendario anno-

(1) Cum fr. Leonardus de Florentia capitulum anno 1419 Coloniae celebrandum fratribus indixisset (cf. lit. praec.), locus capituli mutatus esse videtur. Ex codice Lipsiensi n. 768, de quo sequentia fragmenta sunt desumpta, et catalogo capitulorum provincialium prov. Teutoniae (cf. MOPH. VII) et BO. II, 569 n. 42 constat capitulum anno 1419 Friburgi esse celebratum. Unde corrigas SSOP. I pag. XIX, quo in loco affirmatur cap. gen. celebrata esse anno 1419 Metis, 1421 Florentiae, et FONTANA-LO-CICERO *Constitutiones* Romae 1862 I, pag. XI, qui minus recte asserit, anno 1419 cap. gen. celebratum esse Florentiae.

tatis memoria est habenda sicut in festo sancti Iacobi, Laurencii, Martini et exaltacionis sancte crucis et invencionis eiusdem; ac in ipso tempore paschali, cum de beata virgine vel de beato Dominico agitur, primi psalmi et Benedicamus cum duplici alleluia in matutinis et in vesperis dici debent.

Item. Si festum simplex infra octavas corporis Christi occurrerit, propter octavarum indulgencias in sequentem vacantem feriam transferatur.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Magistri Leonardi Statii lamentationes de regularibus observantiis lapsis.
[Metis 1421].

In dei filio sibi carissimis fratribus nostri ordinis universis frater Leonardus de Florencia, sacre theologie professor ac eiusdem ordinis predicatorum humilis magister et servus, salutem et observanciam regularem.

Superne disposicionis providencia, propriis subiiciens nexibus orbem, nil preter hominem sua lege solutum reliquit; hominem vero ipsum in manu consilii sui ea censuit destinacione firmari, ut singularis libertas, qua pre ceteris creatis decoratur et celestis participacione nature dotatus steterat, quid meriti, quidve demeriti inde consequi posset, edoceret, hanc in eam partem deductam, que ad hominis perfectionem attinet, certis sub legibus, moribus et religione constantibus, deo docente atque preveniente, movente racione humana subiecit; sub ea tandem velluti sub recta forma vivendi, quam acceptabilem eis religio ipsa reddebat, plurimi communi lege sub virtutum iugo mala cohibere ceperunt, vitare illicita; alii vero supererogantes, eciam licita abiecerunt plurima tanto perfectiori perfectione feliciorique statu, pro quanto ad altiora opera caritatis seculo abrenunciantes se libere obligarunt; processit proinde hec sancta libertas posteris in exemplum, que antea consilia illis fuerant, non mandata, sponsione devota sibi facere precepta; unde comitata est eos illa felix necessitas, que ad meliora compellit. Hec sponsio, dilectissimi fratres, nostra est professio, hoc si recte saperimus propositi nostri scopum et intencionem vel destinacionem, cuius cultoribus ex ea virtute, que perfectionis est vinculum, tanta exuberavit spiritus sancti libertas, ut ex condicione sui status illa voluerit eciam sibi non licere, que ceteris statibus licent, recte se existimantes sub paupertate locupletes, fecundos prole sub castitate, ac vere liberos sub salutaris obediencie iugo; hii profecto fuere nostri ordinis fundatores, regularis vite observatores precipui, quorum exemplo innumera utriusque sexus multitudo, seculi ab-

iectis illecebris sub eiusdem ordinis salutaribus institutis, mente devota, altissimo se obtulerunt in holocaustum.

O nos ergo felices terque quaterque beati, o fortunata etas, o tempora gloriosa, si talium virorum successores ac imitatores nos esse contingeret; e contra, o nos infelices, o miserabilis nostra condicio, qui a patrum semitis veluti degeneres deviantes, eorum vestigia declinamus contempnimusque ita, ut ex hoc desolacionem nostri status iam prospiciamus, in foribus nostris ruinam nostram, in qua dati sumus, reprobum sensum adesse conspiciamus. Equidem desolacionem Ierusalem previdens propheta ex eo malo ipsam contigisse percuntatus est, quia neque fideles habiti sunt in testimonio dei; testimonium dei non dubium eius est expressa voluntas, relucens in preceptis et elucens in conciliis eorum potissime, que nobis precepta sponsione fecimus voluntaria, in quo nec tunc fideles habemur invenimurque, si illa, que promisimus vota, assidua transgressione pretermittamus; nempe, ni fallor, diebus hiis malis in nostro ordine, ubi proh dolor nullus est ordo, videris, esse solutam religionem, (non) obedienciam in contemptum, in proprietatis vicium conversam paupertatem, castitatem multipliciter violatam, epulis et conmessacionibus propulsam abstinenciam, scurrilem loquacitatem, exemplum perversum, conversacionem scandalosam, incessum decompositum, habitum irregularem, frontem inverecundam, odibilem disciplinam, correpcionem infructuosam; cum hiis in devocione arrogancia, oris effusio intemperata, libido effrenis, ingluvies impregnata, procurata rebellio, vilipendio in maiores efferencia, ignorancia scripturarum, ambicio ad honores, ad dignitates tanta, ut iam inter probum et improbum nulla discrecio habeatur, talesque pro magistris et doctoribus preferantur, qui vix pristinis regulis sunt imbuti.

Eya ergo, o viri timorati, o relatores et rectores, si qui estis dominici gregis, contra hos homines pestilentes exsurgite, ponite animas vestras pro testamento patrum, pro testamento dei. Videte caucius vocacionem vestram, videte et periculum vestrum, si impio, inquit dominus, loquutus non fueris, ut se ab impietate sua custodiat, et ille perierit, sanguinem eius de manu tua requiram (1); et alibi: ve vobis pastoribus Israel, quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod egrotum non sanastis, quod confractum non alligastis, quod abiectum non reduxistis, et quod perierat, non quesistis (2).

Sint ergo procul a vobis, queso, que timor suggerit male humilians, que amor male inflammans suadet; qui sepe dissimulantes peccancium

(1) Ezech. III, 18.
(2) L. c. XXXIV, 1-4.

facta, ea punire negligitis, et si que reprehensibilia vobis inesse conspicitis, ne dissimulacio negligenciaque vestra consurgat, ipsa primo corrigite; et quia non ad delicias diviciasque querendas, quibus sponte renunciastis, speculatores vos posuit dominus, non quasi dominantes in clero vocati estis, inquit Petrus, sed ut forma sancti gregis, (si) iuxta Pauli doctrinam in omnibus bonorum operum vos prebeatis exemplum; equidem si prelatorum et subditorum peccata colligata sunt, non minus in eisdem se consequuntur virtutes, unde illa, que a subiectis vitanda et servanda sunt, factis magis quam verbis ostendatis oportet.

Verum quia [hec] absque opera divini muneris neque a maioribus neque a minoribus digne perfici possunt, inde illud impetrare a domino vestris oracionibus devocius satagatis. Nempe oracio si pura, si casta fuerit, celos penetrans vacua non redibit; quibus oracionibus sanctissimum dominum nostrum papam, sacrum collegium sancte Romane ecclesie cardinalium, prelatos eiusdem ecclesie universos, serenissimos reges et principes, necnon personas nobiles et insignes, ceterasque vobis speciali devocione affectas, necnon et priores provinciales participes facite, vos exoro. Deus autem, qui per aspersionem sanguinis Iesu Christi redemit vos a ventura ira, dirigat corda vestra in lege sua et in preceptis suis, ut illa perficientes ad vitam proficiscamini sempiternam, quam nobis concedat, qui sine fine vivit et regnat. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD METEM PROVINCIE FRANCIE IN FESTO PENTECOSTES ANNO DOMINI · M°· CCCC°· XXI°·

Sub reverendissimo sacre theologie doctore fratre Leonardo Stacii (1) de Florencia, ordinis fratrum predicatorum unico generali magistro, existentibus difinitoribus fratribus:

magistro Ludovico de Valleoleti (2) provinciali provincie Hispanie,
Iohanne Dignati (3) sacre theologie professore, provinciali prov. Tolosane,
Petro Barre (4) magistro, provinciali provincie Francie,
Nicholao de Veneciis s. theologie professore, provinciali prov. s. Dominici,
Iohanne de Affragola (5) s. theologie professore, provinciali prov. Romane,

(1) De fr. Leonardo Statii cf. supra pag. 160.
(2) De fr. Ludovico de Valleoleti cf. SSOP. I, 789.
(3) De fr. Ioanne Dignati cf. supra pag. 146.
(4) De fr. Petro Barre cf. supra pag. 87.
(5) De fr. Ioanne de Affragola cf. supra pag. 147.

Gisberto de Traiecto (1) provinciali provincie Theutonie,
Nicholao de Polonia provinciali provincie Polonie,
Iamdino de Candia sacre theologie magistro, provinciali provincie Grecie,
Iuliano Tallada (2) sacre theologie professore, provinciali prov. Aragonie,
Roberto Augerii sacre theologie professore, provinciali provincie Saxonie,
Raymundo (3) provinciali Dacie,
Nicholao de Iadria provinciali Dalmacie,
magistro Petro de Marologio (4),
magistro Iohanne Giraudelli provincie Francie,
magistro Andrea Ros (5) provincie Aragonie,
Iohanne Selizie (6) provincie Lombardie inquisitore,
Thoma Lime provincie Anglie,
Iacobo Arnaldi de Traiecto provincie Saxonie,
Enrico Human (7) provincie Theutonie,
Iacobo de Prato provincie Romane.

Iste sunt cofirmaciones.

In primis confirmamus hanc, quod de aparicione sancti Michaelis archangeli sub nomine angelorum fiat festum totum duplex die octava mensis maii, et fiat officium ut [in] festo dedicacionis eiusdem, ut est in breviario adnotatum.

Item. Quod de sanctis Laurencio et Martino, quorum quilibet solemnes habet octavas, fiat festum duplex in diebus festivitatis ipsorum.

Item. Quod de festo omnium sanctorum fiant octave cum antiphona ad magnificat et benedictus de festo et lectionibus de communi sanctorum, et responsoriis ac versibus de festo more aliarum octavarum, die commemoracionis omnium defunctorum, in quo fiat officium de mortuis dumtaxat excepto, festum vero quatuor coronatorum, quod in octavis dicti festi occurrit, ad vigiliam sancti Martini transferatur.

Item. Quod de decem millibus martirum fiat festum novem lectionum de communi plurimorum martirum in vigilia vigilie sancti Iohannis baptiste.

Item. Quod de beata Barbara virgine fiat officium et festum trium lectionum.

(1) De fr. Gisberto vel potius Giselberto de Traiecto cf. MOPH. VII, indicem.
(2) De fr. Iuliano Tallada cf. ibid. pag. 92.
(3) De fr. Raymundo de Lödese cf. Wedel-Iarlsberg *La province de Dacia.* Rome 1899 pag. 160.
(4) De fr. Petro de Marologio cf. supra pag. 64.
(5) De fr. Andrea Ros cf. MOPH. VII, 89 sqq.
(6) De fr. Ioanne Selizie *al.* Segucie cf. supra pag. 65.
(7) Infra pag. 177 nominatur Hagman.

Item. Quod in letaniis post clausulam « a damnacione perpetua » dicatur sub alia peticione « a subitanea et improvisa morte » etc.

Item. Quod in missa conventuali, dum dicitur in prefacione « gracias agamus » etc., similiter ad versum « o crux, ave spes unica » fratres caput reverenter inclinent, sicut fieri debet, quando nomen Iesu nominatur.

Item hanc: In capitulo de itinerantibus, ubi dicitur: ad huiusmodi suffragia restitui mereantur, addatur sic: fratres vero nostri, cum fuerint ad aliquam dignitatem vel ecclesiam extra ordinem ad sui instanciam per sedem apostolicam pronunciati, sint ipso facto ab omni presidencia et officio infra nostrum ordinem sibi commissis absoluti, a quibus eosdem presentis tenore absolutos denunciamus; alii vero sine sui instancia similiter pronunciati, nisi infra quatuor dies a noticia dicte pronunciacionis sibi facte ipsi promocioni et pronunciacioni publice renunciaverint etc. per publicum instrumentum, simili modo, ut prefertur, absoluti existant; precipientes omnibus et singulis fratribus nostri ordinis presentibus et futuris, quatenus nullis predictorum obedire audeant aut presumant.

Item hanc: Quod quandocumque in sabbato, in quo officium de beata virgine fieri debet, aut eciam in dominica festum trium lectionum occurrerit, non fiat de eo memoracio, neque simpliciter illo anno omittatur, sed remittatur in primam vacantem feriam subsequentem.

Item hanc: In capitulo in fine constitucionum annotato, quod incipit « quicumque in publica predicacione » ubi dicitur: minime dispensetur cum eo, addatur et dicatur sic: eandemque penam incurrat, quicumque presidens vel frater, conventus vel provincia, qui renunciaverit aliquo privilegio ordini nostro concesso absque licencia et assensu capituli generalis, sine cuius assensu omnem huiusmodi renunciacionem qualitercumque factam nullius esse volumus roboris vel momenti; in quo simili casu similem penam incurrant quicumque presidentes aut fratres sive conventus, qui sine causa legitima et urgenti litigaverint aut appellaverint contra diocesanos quoscumque.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: si vero ad tempus mittatur, omnes libri et res alie post eius obitum, deleatur hoc, quod sequitur: ad provinciam vel conventum, unde assumptus fuerit, et loco illius sic ponatur: eciamsi sic vel quomodolibet aliter esset intra vel extra suam provinciam ad tempus deputatus, ad suum conventum originalem et ad conventum, de quo assumptus fuerit, equis porcionibus pertinebunt.

Item hanc: Quod officium beate virginis in singulis conventibus nostri ordinis in choro amodo ante officium de tempore ordinarie dicatur, completorio et matutino dumtaxat exceptis, quia matutinum in dormi-

torio, completorium vero post officium de tempore more solito dici volumus et mandamus.

Item hanc: Quod deinceps capitula provincialia sint biennalia, si et in quantum provinciali et diffinitoribus in sua provincia videbitur expedire.

Et volumus et mandamus, quod he incohaciones et confirmaciones medio tempore observentur.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis ordinaciones et admoniciones capituli generalis immediate precedentis tanquam utiles, racionabiles et discretas confirmamus et roboramus, illasque volumus ab omnibus fratribus ordinis observari, ac si de ipsis in presentibus actis fuisset facta mencio specialis, precipientes prioribus et presidentibus conventualibus nostri ordinis universis, quatenus infra octo dies a noticia presencium illas cum hiis infrascriptis ordinacionibus fratribus congregatis in capitulo vel in mensa faciant distincte legi et solemniter publicari.

Item. Ne laudabilis mendicitas in turpem questum ex avaricia convertatur, precipimus et mandamus, ne alias terminarius aut limitator ad questuandum in aliquo termino deputatus vices suas alteri fratri cuicumque valeat committere, casibus gravis infirmitatis aut legitimi impedimenti exceptis, sed ipse per seipsum terminum colat et visitet; oppositum vero facientes ex nunc prout ex tunc dictis terminis privamus, volentes, ut priores conventuum, ad quos termini huiusmodi pertinebunt, de aliis terminariis, qui sint honeste conversacionis, et qui sciant competenter proponere verbum dei, opportune providere teneantur. Quod si priores predicti hec perficere neglexerint aut prefati terminarii obedire contempserint, voce et bonis omnibus ordinis eos privamus ac privatos esse ex nunc pro tunc denunciamus. Qui terminarii sub eadem pena in terminis suis non faciant residenciam preterquam in temporibus adventus domini et quadragesime et ordinarie mendicacionis, neque ecclesiam vel altare officiant extra ordinem absque magistri ordinis vel sui provincialis licencia speciali.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, presumat quascumque pecunias ad ipsius usum ex gracia ordinis pertinentes personis extra nostri ordinis obedienciam constitutis mutuare aut eas super pignore concedere vel ipsas apud huiusmodi personas quomodolibet custodiendas [vel] sibi conservandas deponere aut eciam ex ipsis redditus annuales seu personales ad vitam pro se emere. Similiter mercancias per se vel per alios exercere, vel apud mercatores aut alias quascumque personas sive eciam communitates ad sortes eas ponere; oppositum autem facientes alicuius premissorum, eo

facto omnibus talibus pecuniis et ceteris bonis sibi appropiatis sint privati, quos ex nunc prout ex tunc dictis bonis privamus et eos privatos denunciamus; huiusmodi bona pro medietate prioribus provincialibus et pro alia suo conventui nativo confiscantes presencium tenore adiudicamus. Mandantes prioribus provincialibus nostri ordinis universis sub pena suspensionis a suis officiis, quatenus super predictis excessibus in suis visitacionibus diligenter inquirant et suprascriptas penas execucioni demandent, ut prefertur; et idem quantum nostra interest, intelligi et observari volumus a sororibus ordini nostro subiectis.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus sacre theologie magister sive bacaularius, vel quicumque de gracia ordinis socium habere potest, quemcumque fratrem iuvenem non sacerdotem in socium amodo habeat, nec socium suum, quem pro tempore habuerit, a sequela chori et misse celebracione impediat. Similiter ipsi magistri notati ad tabulam pro festis duplicibus et supra pro faciendo officium aut in similibus festivitatibus ad verbum dei populo proponendi iniunctum sibi ministerium facere non recusent. Quicumque vero oppositum fecerit alicuius premissorum, socio suo penitus sit privatus, nec honores in communi victu et conventuali consueti fieri huiusmodi magistris ultra a dicto conventu quoquomodo exhibeantur, magistris senibus et emeritis et actu legentibus dumtaxat exceptis; precipientes eisdem, ne priores suos in proprio conventu quovis modo precedant, sed ut subditi ipsos subsequantur tam in choro quam in refectorio et infra conventum in processionibus et extra. Similiter iubilarios fratres, robustos viribus et iudicio sui prioris provincialis ad hoc idoneos, ad consimilem tabule annotacionem ac verbi dei proposicionem sub pena privacionis suarum graciarum volumus obligari. Adiicientes, quod omnes fratres nostri ordinis ebdomadariam ordinarie in suis conventibus facere teneantur, nisi sint magistri in theologia aut in eadem facultate bacalaurii, biblici vel magistri studencium aut lectores vel sublectores actu legentes. Similiter si fuerint priores et diffinitores et actu predicatores generales existant; quos tamen, magistris et bacaullariis exceptis, volumus ad privatas missas ordinarie in tabula annotari; oppositum autem facientes aut hanc ordinacionem servare nolentes omni exempcione privamus et privatos esse decernimus presencium per tenorem. Et specialiter de illis volumus intelligi, qui doctores vel lectores in provinciis nostri ordinis nuncupantur, quos propter studenciam Parisius vel Bononie habitam minime esse exemptos a tabula declaramus.

Item. Volumus et ordinamus, quod singuli conventuum presidentes diligenter faciant clausuram in suis conventibus observari tam de die quam de nocte, nec permittant mulieres, maxime suspectas, ad privata

fratrum commoda seu cameras introduci per fratres quoscumque. Presidentes vero, qui in hac parte negligentes extiterint, in penam a suis officiis absolvantur; et fratres, qui huiusmodi mulieres introducere presumpserint, ut prefertur, in suis cameris sive commodis, sint eo facto omni voce privati; si vero alias ad alia loca communia conventus eas introduxerint, pene gravioris culpe subiaceant per tres dies, et nichilominus voce sint privati. Adiicientes, quod nullus frater nostri ordinis, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, monasteria sororum ordini commissarum preterquam in casibus expressis in constitucionibus earundem quovis modo intrare presumat, cum intrantes absque licencia magistri ordinis vel eorum, quibus commiserit vices suas, sentenciam excommunicacionis papalis incurrant, a qua non possunt absolvi nisi a papa vel ab eodem magistro; oppositum vero facientes ultra suprascriptam penam pene gravioris culpe subiicimus.

Item. Volumus et ordinamus ad impetrandam dei clemenciam contra hereticos et scismaticos, qui propter peccata hominum ecclesie statum multipliciter persequuntur, quod in quolibet nostri ordinis conventu et monasteriis sororum in missa conventuali post Pater noster, et antequam dicatur « Pax domini », cantetur devocius antiphona « Recordare » vel « Sub tuum presidium » cum versu « Ora pro nobis » etc. et oracionibus « Protege, domine » et « Ecclesie tue » etc.

Item. Volumus et ordinamus, nichilominus in virtute obediencie et spiritus sancti precipientes, ne magister Franciscus de Reza (1) aut prior, qui pro tempore fuerit in conventu Viennensi provincie Theutonie, studentes ibidem assignatos per provinciam aut magistrum ordinis directe vel indirecte impedire audeant, ne ad scholas naturalium vel theologie extra conventum minus libere possint ire temporibus lectionum et exercicii, neque a conventu ipsos licencient; aliter dictus magister a vicariatu quocumque et regencia et prior a suo officio sint ipso facto absoluti.

Omnes autem vicariatus et autoritates extraordinarias regiminis et administracionis per magistrum ordinis cuicumque concessas revocamus et volumus nullius esse roboris vel momenti, vicariatibus societatis peregrinancium propter Christum et procuratorum ordinis in Romana curia dumtaxat exceptis.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Parisiensi provincie Francie assignamus ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro anno immediate sequenti intraneis debito fratrem Lambertum de Campo, cui substituimus fratrem

---

(1) De fr. Francisco de Retza cf. supra pag. 107.

Nicholaum de Roteria et fratrem Michaelem Catell provincie eiusdem, pro loco vero extraneis debito pro eadem forma et gradu magisterii sentenciarum assignamus fratrem Simonem de Laude, cui substituimus fratrem Thomam Ligneii (1) de provincia Anglie; pro secundo vero dictum fratrem Thomam Ligneii, cui substituimus fratrem Guillermum Edelie. Ad legendum autem bibliam pro duobus annis immediate sequentibus assignamus fratrem Iohannem Sarraceni, cui substituimus fratrem Iohannem de Valle provincie Francie conventus Bituricensis; pro annis autem aliis duobus immediate ad predictos annos sequentibus ad similem lecturam biblie assignamus fratrem Petrum Petri de conventu Ruppellensi, cui substituimus fratrem Nicholaum Iaube[r]ti de conventu Verdunensi.

Conventui Tholosano ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro anno immediate sequenti intraneis debito assignamus fratrem Bernardum de Fontino, cui substituimus fratrem Iohannem Bardini de provincia Francie, cui fratri Iohanni substituimus fratrem Guillermum Girardi; pro anno vero primo extraneis debito pro eadem forma sentenciarum assignamus fratrem Petrum de Arlayo, sui substituimus fratrem Iohannem Barre (2) ambos provincie Francie; pro secundo vero anno extraneis debito dictum fratrem Iohannem Barre assignamus, cui substituimus fratrem Ugonem Agni de Argentina, pro tercio anno fratrem Hemanuelem Hispalensem, cui substituimus fratrem Gomecium de Deo, ambos provincie Hispanie; in absencia autem predictorum officialium debitis temporibus supplementum committimus provinciali Tholosano, et de institucione biblici et magistri studencium specialiter.

Conventui Bononiensi provincie sancti Dominici damus in regentem fratrem Antonium de Bosco sacre theologie professorem. Ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii pro anno immediate sequenti assignamus fratrem Raphaelem de Ianua provincie Lombardie, cui substituimus fratrem Franciscum Donato de Veneciis provincie sancti Dominici; pro secundo vero et tercio annis dictum fratrem Franciscum pro sentenciario assignamus, cui eciam substituimus fratrem Nicholaum de Musto eiusdem provincie; ad legendum vero bibliam pro primo anno immediate sequenti ibidem assignamus fratrem Nicholaum de Musto suprascriptum, cui substituimus fratrem Georgium de Sibinico provincie Dalmacie, quem in eodem conventu pro anno immediate sequenti in magistrum studencium damus. Pro secundo vero anno biblicum depu-

---

1) Roteria] Roqueria AB. — Catell] Xatell AB. — 10) Petrum] Iohannem AB.

---

(1) Videtur esse idem ac Thomas Lime, de quo supra pag. 164.
(2) Videtur esse idem ac Ioannes de Barrio, de quo supra p. 88.

tamus fratrem Raphaelem de Ianua suprascriptum, cui substituimus fratrem Dobeslanum provincie Polonie. Pro tercio vero anno fratrem Martinum de Veneciis.

In collegio Hispanorum eiusdem universitatis Bononiensis ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo et secundo annis immediate sequentibus fratrem Ferdinandum Franco provincie Hispanie assignamus et revocamus ad sua collegia in eadem universitate fratrem Nicholaum de Sicilia et Gregorium de Gaeta.

Conventui Oxoniensi provincie Anglie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno immediate sequenti assignamus fratrem Enricum Gerborare provincie Polonie, cui substituimus fratrem Paulum de Perusio provincie Romane, pro secundo vero anno fratrem Iohannem Albaster provincie Saxonie, cui substituimus fratrem Vincencium de Fontevitreo provincie Francie.

Conventui Salamantino provincie Hispanie damus in regentem magistrum Alphonsum de sancto spiritu; provisionem vero de ceteris officialibus absque forma et gradu magisterii provinciali Hispanie committimus.

Conventui Vallisoleti eiusdem provincie Hispanie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno immediate sequenti assignamus fratrem Alvarum Helmense Portugalie, cui substituimus fratrem Ortonium (!) de Valmeto; pro secundo vero anno fratrem Iohannem Calderon ambos eiusdem provincie; ad legendum vero bibliam pro anno immediate sequenti ibidem fratrem Iohannem Calderon predictum; in magistrum vero studencium pro eodem anno fratrem Alphonsum Laverdenosa bacalarium assignamus. Pro secundo autem anno ad lecturam biblie assignamus fratrem Michaelem de Baessa; in magistrum vero studencium fratrem Alvarum supradictum; provisionem de officialibus in secundis scholis committimus priori provinciali eiusdem provincie.

Conventui Florentino provincie Romane damus in regentem fratrem Dominicum de Faginio, sacre theologie professorem, eiusdem provincie; ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno immediate sequenti assignamus fratrem Iohannem de Montenigro provincie Lombardie. Pro secundo vero et tercio annis assignamus fratrem Thomam de Castello provincie Romane, cui substituimus fratrem Iohannem de Regno provincie Regni, quem in magistrum studencium pro anno immediate sequenti ibidem deputamus et ad dictum studium revocamus, et in suo loco reponimus fratrem Petrum Paulum de Roma; de ceteris autem officialibus magister ordinis providebit.

Conventui Romane curie assignamus in regentem fratrem Paulum de Montepoliciano, domini nostri pape penitenciarium. Ad legendum

vero sentencias pro forma et gradu magisterii, pro primo anno assignamus fratrem Stephanum de Solmona. Pro secundo vero anno fratrem Paulum de Columna provincie Romane, cui substituimus fratrem Petrum de sancto Blasio provincie regni.

Studio sacri palacii et scholis pro forma et gradu magisterii ad legendum sentencias pro primo anno fratrem Iohannem Grocelli provincie Francie; pro secundo vero loco fratrem Iohannem de Borle provincie Saxonie assignamus, cui substituimus fratrem Nicholaum de Bononia.

Conventui Colonie provincie Theutonie damus in regentem fratrem Gaufridum Sulvete sacre theologie professorem. Ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno immediate sequenti ibidem assignamus fratrem Guillermum de Traiecto inferiori provincie Saxonie. Ad legendum vero bibliam ibidem pro anno primo fratrem Enricum Vaubrier, pro secundo vero anno fratrem Enricum de Sanctis eiusdem provincie, cui substituimus fratrem Mathiam Hur; in magistrum vero studencium pro primo anno immediate sequenti fratrem Dominicum Szutier.

Conventui Paduano provincie sancti Dominici damus in regentem fratrem Thomam Salonino sacre theologie professorem, ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii pro duobus annis immediate sequentibus ibidem assignamus fratrem Matheum de Verona, cui substituimus fratrem Christophorum de Santino, ambos eiusdem provincie, quem dictum fratrem Christophorum pro tercio et quarto annis assignamus ad eandem lecturam sentenciarum. Ad legendum vero bibliam pro primo anno immediate sequenti assignamus fratrem Nicholaum de Sadirino, pro secundo vero anno fratrem Antonium de Branchaciis de Florencia, in magistrum vero studencium pro primo anno dictum fratrem Christophorum assignamus.

Conventui Barchinonensi pro primo anno immediate sequenti damus in lectorem fratrem Arnaldum de Curtibus (1) sacre theologie professorem, pro secundo vero anno fratrem Berengarium Rubei (2) sacre theologie professorem, pro tercio eciam ibidem fratrem Raphaelem [de] Cardona sacre theologie magistrum; ad legendum vero sentencias pro primo anno immediate sequenti ibidem assignamus fratrem Petrum Ferrarii Valentinum, pro secundo vero anno fratrem Petrum Berguessii ambos eiusdem provincie Aragonie, pro biblico autem ad duos annos immediate sequentes fratrem Matheum Torallhes, in magistrum studencium eciam ad biennium fratrem Franciscum Mironis absque forma et gradu magisterii.

(1) De fr. Arnaldo de Curtibus cf. BO. II, 572 n. XLVI.
(2) De fr. Berengario Rubei cf. l. c. p. 593 n. LXXVII.

Conventui Erfordensi provincie Saxonie pro anno immediate sequenti assignamus in regentem fratrem Iohannem de Silvadia sacre theologie professorem, pro secundo vero anno fratrem Bernardum Raderii sacre theologie licenciatum, ad legendum vero sentencias pro primo anno immediate sequenti ibidem assignamus pro forma et gradu magisterii fratrem Geraldum Huestuzam, ad legendum autem bibliam fratrem Gigandum Pistoris omnes eiusdem provincie.

Conventui Magdeburgensi eiusdem provincie assignamus in regentem fratrem Iohannem Scoenbucix, ad legendum vero sentencias pro primo anno ibidem assignamus fratrem Albertum de Seavia. Pro secundo vero anno ad legendum sentencias fratrem Enricum Beslen, in magistrum vero studencium pro primo anno fratrem Enricum suprascriptum, pro secundo vero anno fratrem Salvetum Alsan, omnes absque forma et gradu magisterii.

Conventui Cracoviensi provincie Polonie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro duobus annis immediate sequentibus assignamus fratrem Nicholaum de Nansistre, ad legendum vero bibliam ibidem assignamus pro duobus dictis annis fratrem Nicholaum Olan, ambos eiusdem provincie; provisionem vero aliorum officialium provinciali eiusdem provincie committimus.

Conventui Neapolitano provincie regni damus in regentem fratrem Nicholaum de Messina sacre theologie professorem, provisionem autem de ceteris officialibus absque forma et gradu magisterii provinciali eiusdem provincie committimus.

Conventui Mediolano damus in lectorem pro primo immediate sequenti fratrem Thomam de Montilio sacre theologie professorem, pro secundo vero anno fratrem Stephanum de Ianua sacre theologie professorem, de ceteris autem officialibus reverendissimus magister ordinis providebit.

Assignamus lectorem in conventu Veneto magistrum Bartholomeum de Strivo.

Conventui Paviensi provincie Lombardie damus in regentem post suum magisterium fratrem Georgium de Canibus, ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii pro duobus annis sequentibus assignamus fratrem Marchum de Vicomercato, cui substituimus fratrem Philippum de Ianua, ad legendum autem bibliam ibidem assignamus pro anno immediate sequenti fratrem Philippum predictum. Pro secundo vero anno fratrem Augustinum de Novaria, in magistrum vero studencium pro primo anno fratrem Augustinum predictum, pro secundo

8) Magdeburgensi] Marie Burgiensi A. — 15) Cracoviensi] Trasonensi A. — 30) Veneto] Geneto A.

vero anno fratrem Philippum suprascriptum, cui substituimus fratrem Thomam de Urbino provincie sancti Dominici.

Conventui Cantabrigiensi pro loco intraneis debito lectorem senten-ciarum assignamus post fratrem Iohannem Zarthell fratrem Iohannem Adeli de Anglia diffinitorem presentis capituli; pro primo anno extraneis debito pro forma et gradu magisterii ad legendum sentencias assignamus fratrem Desiderium de Ianua provincie Lombardie, cui substituimus fratrem Antonium Presto provincie Aragonie et Martinum Trilles (1) eiusdem provincie. Pro secundo vero loco extraneis debito assignamus fratrem Enricum Regis provincie Theutonie, cui substituimus fratrem Iohannem Verivi provincie Francie.

Conventui Montispesulani provincie Provincie damus in regentem fratrem Raymundum Cabara sacre theologie professorem; provisionem vero de ceteris officialibus absque pro forma et gradu magisterii eidem committimus.

Conventui Aquensi eiusdem provincie damus in regentem fratrem Bertrandum Dalmacii sacre theologie professorem et magistrum Antonium de Romulis revocamus; ad legendum vero bibliam pro anno immediate sequenti pro forma et gradu magisterii assignamus fratrem Matheum Clauselli, declarantes omnes officiarios pro forma et gradu magisterii assignatos vel assignandos, si ante terminum ad magisterium transierint, excommunicacionis sentencia esse innodatos ac carceri adiudicatos, a qua sentencia preterquam a sede apostolica absolvi minime possunt.

Conventui Avinionensi damus in regentem pro primo anno fratrem Iohannem Ministralis (2) sacre theologie professorem, pro secundo vero anno magistrum Petrum de Porta.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quatenus auctoritate apostolica reverendo magistro ordinis et nobis diffinitoribus suprascriptis in hac parte concessa ac per bullam apostolicam (3) coram nobis promulgatam constat evidenter, omnes et singulos, qui ad gradum magisterii transibunt vel sentencias legerint pro forma absque assignacione capituli generalis vel magistri ordinis speciali, sentenciam excomunicacionis incurrisse et carceri esse adiudicatos, a qua sentencia absolvi nequeunt preterquam in mortis articulo nisi a sede apostolica vel a magistro ordinis. Quod si deinceps ipsi contravenerint ultra suprascri-

---

(1) De fr. Martino Trilles cf. MOPH. VII, 92, 93.
(2) De fr. Ioanne Ministralis *al.* Ministraul cf. supra pag. 146.
(3) Cf. BO. II, 569 n. XLII.

ptas penas cameris eis concessis vel cellis, similiter communi victu conventuali privamus; priores vero vel presidentes, qui hanc punicionem execucioni non demandaverint, eo facto sint absoluti in penam. Et idem intelligi volumus et mandamus de illis fratribus, qui contra dictam papalem constitucionem per bullam sive per saltum ad magisterium transierint, nisi per capitulum generale vel magistrum ordinis fuerint vel erunt magisteria approbata vel de eorum licencia sint magistrati, et hoc a quinquennio citra, magistris exceptis Hispanie et Aragonie provinciarum, qui ab unione ecclesie citra sub illa lege includuntur.

Item. Magisteria sacre theologie professorum, qui de rigore et per lecturam ad gradum magisterii secundum formam et ordinem nove constitucionis ascendunt in universitatibus approbatis, vel qui per magistrum ordinis auctoritate apostolica fuerint magistrati aut licenciati seu per generalia capitula confirmati, approbamus et approbata denunciamus per presentes. Et similiter de bacalariis vel biblicis, qui de rigore suas lectiones perfecerunt, eciam intelligi volumus, quod bacalarii vel biblici sunt, in cursu magisterii non possint in aliquo regimine occupari, ut eo liberius studio vacare possint. Et si oppositum factum fuerit, eos suis promocionibus privamus.

Item. Denunciamus et declaramus, quod per nos diffinitores conclusum est et ordinatum futuris temporibus observandum, quod, quando magister ordinis facit transitum per provincias, expense, que fiunt a conventibus, per quos transit, sint communes toti provincie et non tantum illorum conventuum, ad quos declinaverit, causa visitacionis excepta; de quibus magister ordinis ante suum discessum computum fieri faciat, et computus predictus cum testificacione dicti magistri ordinis mittatur ad sequens capitulum provinciale, ut illi vel illis conventibus, qui huiusmodi expensas fecerunt, prout provinciali et diffinitoribus videbitur, secundum quotam valeat satisfieri.

Item. Denunciamus (quod) pro vagis discursibus fratrum in Romana curia cohercendis, quod quicumque frater ad dictam curiam Romanam sine licencia reverendissimi magistri ordinis vel procuratoris ordinis accesserit, vel cum intencione illuc accedendi iter arripuerit, vel sine habitu ordinis incesserit per eandem, vel ultra terminum sibi assignatum in illa steterit, vel sine socio ordinis ipsam curiam intraverit, seu per illam discurrerit, vel per se vel per alium aliquod negocium ordinem nostrum, provinciam, conventum vel monasterium aut fratrem aut sororem concernens tractaverit, vel eciam a curia sine litera testimoniali et licencia procuratoris ordinis recesserit, cuiuscumque status aut condicionis existat, penam carceris incurrat ipso facto, et ex nunc prout ex tunc omnem talem fratrem carceri sentencialiter adiudicamus per presentes; quas pe-

nas presidentes provinciarum, nacionum vel conventuum fratribus delinquentibus in aliquo premissorum, postquam illis eosdem ad loca sibi subiecta culpabiliter, ut prefertur, rediisse constiterit, infra octo dierum spacium sub pena precepti infligant realiter et cum effectu. Concedimus tamen singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus provinciarum, quatenus ad dictam curiam pro negociis ordinis, quocienscumque fuerit oportunum, possint ire et eciam mittere duos fratres; illi vero provinciali, in cuius provincia Romana curia residet vel pro tempore residebit, et eius generali vicario concedimus, quod ad dictam curiam fratres mittere possit sue provincie prout paci et honestati ordinis iudicaverit expedire; quilibet autem presidens nostri ordinis priori provinciali aut eius vicario inferior, qui huiusmodi licenciam dederit, ipso facto a suo presidencie officio sit absolutus; procuratori vero ordinis generali ad Romanam curiam fratres undecumque vocandi, et ut veniant licenciandi, et inde quoscumque licenciatos expellendi, penitenciandi ac eciam incarcerandi, quocienscumque expediens iudicaverit, liberam concedimus facultatem; cui eciam procuratori ordinis solitam contribucionem sex florenorum de Florencia omni anno ante festum nativitatis quilibet provincialis indefectibiliter ad Romanam curiam mittere teneatur.

Item. Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod de concilio omnium nostrorum suprascriptorum diffinitorum conclusum est, quod pro expensis factis, de quibus reverendissimus magister ordinis diligentem computum reddiderit coram nobis, et eciam pro expensis ordini nostro communibus et solvendis debitis, in quibus ordo sibi remanet obligatus et specialiter pro expensis, in sequenti concilio generali fiendis, quilibet provincialis annuatim tot ducatos in subsidium predictarum expensarum sibi solvat et solvere teneatur, quot habet conventus in sua provincia usque ad sequens generale capitulum. Et qui de preterito dictam contribucionem in actis generalis capituli precedentis expressam non solverint, satisfacere et solvere cum diligencia predicto magistro ordinis reverendissimo teneantur. Et id fieri volumus et mandamus de contribucione generali procuratori ordinis debita a quolibet provinciali, quam sollicite et cum effectu sibi ante festum nativitatis domini mittere teneantur.

Item. Quod quicumque frater post tres dies a noticia presencium pro termino admonicionis datos directe vel indirecte, per se vel interpositam personam, ordinem diffamaverit aut fratres ipsius, vel ipsis detraxerit apud personas extra ordinis obedienciam constitutas, vel ordinacionem de se vel de alio factam, seu obedienciam sibi vel alteri fratri iniunctam, seu officium vel gradum habere procuraverit vel eximi per personas predictas, ut in fine capituli de itinerantibus expresse ponitur, sentencias excommunicacionis incurrit ipso facto; quam magister ordinis

iuridice tulit in diffinitorio coram nobis de omnium nostrum concilio et assensu; absolucionem a dicta sentencia sibi et provincialibus solum reservans. Et nichilominus volumus et ordinamus, quod tales tanquam nostri ordinis destructores carceri mancipentur, declarantes, quod per literas generales confitendi aut absolvendi cuicumque concessas aut concedendas non potest alias absolvi a sentencia predicta, vel ab aliis a quocumque presidente latis vel ferendis, nisi de illis expresse fiat mencio specialis.

Item. Denunciamus, quod propter honorem, quem quilibet frater nostri ordinis verus filius exibere tenetur glorioso patri suo beato Dominico, matura deliberacione conclusum est, quod sepulcrum et area dicti patris ac capella decenti ornamento decoretur; unde fratres omnes ordinis devocius hortamur in domino, quatenus per se aut per procuracionem elemosinarum a devotis personis velint conferre subsidium secundum propriam facultatem et manus porrigere adiutrices ad hoc tam pium et sanctum opus, ac dominos et principes, dominas et principissas ad hoc suis hortamentis inducere; pecuniam quancumque exinde receptam vel ab eis pro se dari deliberatam prioribus provincialibus sue provincie fideliter consignent; provinciales vero receptam pecuniam ad bancum Iohannis de Medicis Venecias vel Florenciam provincialibus sancti Dominici et Romano consignandam, aut in generali capitulo sequenti magistro ordinis mittere studeant cum effectu.

Item. Denunciamus et declaramus, quod omnes magistri in sacra pagina auctoritate apostolica magistrati per capitulum generale aut magistrum ordinis approbati eisdem honoribus et privilegiis in conciliis provinciarum et capitulorum ac ceteris gaudere debent, sicut illi, qui fuerunt vel erunt Parisius magistrati; similiter et bacalarii assignati in secundis scolis Parisius per magistrum ordinis auctoritate apostolica specialiter sibi in hac parte commissa, quos ceteris assignatis in maioribus scolis bacalariis quoad loca et honores, secundum quod in ipsis primis scolis legentibus observatur, decernimus esse equales.

Item. Declaramus et denunciamus, quod frater Iohannes de Monte (1), magister in theologia, non ad sui instanciam, sed ad procuracionem magnifici principis archiepiscopi Treverensis promotus est in episcopum; quam tamen promocionem ad dicti archiepiscopi preces acceptare noluit, nisi intervenisset reverendissimi magistri ordinis preceptum in forma sibi literatoria transmissa. Idcirco ipsum fratrem Iohannem de Monte omnium suffragiorum et beneficiorum nostri ordinis declaramus esse participem. Mandantes prioribus et presidentibus universis, quatenus ipsum honorifice

---

(1) De fr. Ioanne de Monte cf. SSOP. I, XXV et *Röm. Quartalschrift* l. c. pagg. 301, 305, 315, 326.

recipiant et tanquam ceteros sacre theologie magistros pertractent, constitucionibus in oppositum editis non obstantibus quibuscumque.

Item. Denunciamus, quod pro nostri ordinis reformacione et informacione fratrum in regularibus observanciis determinatum inter nos et conclusum est, quod quilibet provincialis in sua provincia faciat vel construat ad minus unum conventum fratrum secundum regulam et constituciones nostras regulariter vivencium, ad quem conventum novicios in moribus ordinis informandos provecte etatis mittere poterunt, prout eorum discrecioni videbitur expedire; et hoc infra annum a noticia presencium.

Acceptamus conventum sancti Mathei de Mantua, et locum Marienhayde in terminis conventus Coloniensis, quem fratri Henrico Hagman (1), diffinitori presentis capituli, committimus quoad singula, et conventum sive monasterium sororum [de] Gabano (2) provincie Dacie.

Item. Unionem et reintegracionem provincie Polonie acceptamus, confirmamus et stabilimus et volumus eam perpetuis temporibus in suo robore permanere (3).

Iste sunt commissiones.

In primis committimus et concedimus reverendissimo magistro ordinis instituciones priorum provincialium Terre sancte et Grecie absque dictarum provinciarum electione quacumque, quocienscumque et quandocumque dicti provincialatus vacaverint, et quod per se vel per alium in studiis generalibus lectores et bacalarios ac alios officiales ponere et amovere valeat, eciam assignatos per capitulum generale, et quod priores provinciales et conventuales quarumcumque provinciarum et quorumcumque conventuum, inquisitores, vicarios et quoscumque alios presidentes in quacumque nostri ordinis parte absque citacione vel monicione previa absolvere ac suspendere valeat, quandocumque sibi videbitur expedire.

Item. Pro vitanda in presentibus prolixitate et ex aliis racionabilibus causis nonnulla alia eidem reverendissimo magistro ordinis commisimus et conclusimus atque expedienter fecimus, decernimus, statuimus, que in scriptis redegimus cum subscripcionibus nostris; que volumus ita valere, ac si in presentibus actis fuissent publicata.

Absolvimus priorem provincialem provincie Trinaclie, cuius provincie curam committimus fratri Benedicto de Sicilia.

Absolvimus hos priores conventuales provincie Francie: Remensem, Trecensem, Pruvinensem, Lugdunensem, Bisuntinensem, Insulensem, Am-

---

(1) Supra pag. 164. Human nominatur.

(2) De quo monasterio cf. BO. II, 454 n. 232, et Wedel-Iarlsberg l. c. pag. 74 sq.

(3) Qua de re cf. supra pag. 153 l. 19 sqq.

bianensem, Burgensem, Argentomensem, Turonensem, Angolismensem, Divionensem. Et declaramus fratrem Richardum Tistallarii et Iohannem Blarvi non esse priores, sed illos, qui post absolucionem ipsorum fuerint electi et auctoritate magistri ordinis confirmati.

Absolvimus hos priores conventuales provincie Theutonie: Gamundiensem, Mergenthemensem, Viennensem, et omnes priores nacionis Austrie eiusdem provincie (1).

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino domino Martino divina providencia papa quinto, et pro bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro sacro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro reverendissimo domino cardinali de Bancraciis (2), nostri ordinis singularissimo protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo domino domino cardinali sancti Eustachii (3), legato Bononiensi, nostri ordinis benefactore precipuo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis et diffinitoribus presentis capituli et procuratore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo rege Romanorum et inclita consorte sua, et liberis eorumdem, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro illustrissimis et serenissimis regibus Francie, Hispanie, Anglie, Aragonie, regni Sicilie, Portugallie, et eorum consortibus et filiis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo domino rege Polonie et fratre suo domino Alexandro duce Littavanie, et eorum consortibus et filiis, nostri ordinis benefactoribus precipuis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo domino duce Burgundie et eius consorte, qui bonam eleemosinam miserunt capitulo, ac pro domina comitissa Violanda, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino duce Lotaringie et eius consorte una cum domino duce Barensi, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo domino episcopo Metensi et primicerio ac decano eiusdem ecclesie quilibet sacerdos unam missam.

---

1 Argentomensem] Argrucineusem A.

---

(1) De divisione provinciae Teutoniae in quatuor nationes earumque finibus cf. MOPH. VII, indicem.

(2) De Raynaldo de Bancratiis cf. supra p. 109.

(3) Iacobo Insulano, de quo cf. Eubel *Hierarchia* XXXIV, 17.

Item. Pro domino episcopo Atrebatensi (1), qui bonam eleemosinam fecit capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis abbatibus sancti Arnulphi, sancte Glodesindis, sancte Marie, et aliorum monasteriorum civitatis Metensis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro magistro scabinorum et aliis dominis civitatis Metensis, qui eleemosinam dederunt bonam capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Philippo de Roveriaco, et eius consorte domina Catharina, qui (2) mater, et secundo pinguem pictanciam propinarunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro priorissa et aliis sororibus nostri ordinis civitatis Metensis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina Laureta Badas, et domina Iacobeta Langressa, ac fratribus magistro Simone, Petro Gregorii, Iacobo de Aquis, procuratoribus presentis capituli, et aliis fratribus, qui laboraverunt pro capitulo, et qui suum iubileum fecerunt cum solemni pictancia, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Inprimis pro anima pie memorie domini fratris Mathei de Ursinis (3) cardinalis nostri ordinis, qui perpetuam eleemosinam dimisit generali capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus reverendissimorum dominorum cardinalium de Florencia (4), sancti Georgii (5), Montis Aragonum (6) et Hispanie (7), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima serenissimi regis Sicilie et Ierusalem, quondam domini Ludovici de Francia, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima illustris principis Iohannis, quondam ducis Burgundie, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus generose domine de Aressis, Isabel Ladas, Iohannis Naron et magistri Nicholai de Borbogno (!), et pro ceteris patribus emeritis conventus Metensis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri a precedenti generali capitulo defunctorum et illorum, qui habuerunt litteras beneficiorum seu confraternitatis, quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) Martino Poiré O. Praed., cf. l. c. pag. 118.

(2) Forte legendum est: eius matre et filio qui pinguem...

(3) De quo cf. supra pag. 110.

(4) Francisco Zabarella † 26 sept. 1427; cf. Eubel l. c. XXXIV, 15.

(5) Carolo de Urries † Romae 8 oct. 1420; cf. l. c. XXXI, 13.

(6) Ioanne Martini de Murillo † Romae m. nov. 1420; cf. l. c. XXXI, 12.

(7) De quo supra pag. 78.

Pro qualibet vero missa superius annotata clerici non sacerdotes septem psalmos penitenciales, conversi vero quadraginta Pater noster et totidem ave Maria dicant.

Sequens immediate capitulum generale assignamus in conventu Coloniensi provincie Theutonie pro festo pentecostes ad duos annos celebrandum. Et damus licenciam omnibus fratribus nostri ordinis venire volentibus, ut per tres dies ante locum capituli mittere (!) possint propter plenariam indulgenciam, que in dicto capitulo est concessa.

Expliciunt acta capituli generalis die et anno, quibus supra, celebrati. Locus ✠ sigilli.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
APUD PAPIAM PROVINCIE LOMBARDIE
IN FESTO PENTECOSTES CELEBRATI
DIE ·XXX^a^· MENSIS MAII ANNO DOMINI ·M^o^·CCCC^o^·XXIII°·

Sub reverendissimo patre sacre theologie professore fratre Leonardo Stacii de Florencia, ordinis predicatorum generali magistro.

Iste sunt confirmaciones.

Inprimis confirmamus hanc: quod de apparicione sancti Michaelis archangeli fiat sub nomine angelorum totum duplex die octava maii, et fiat officium, quemadmodum de festo dedicacionis eiusdem, ut est in breviario annotatum.

Item. De sancto Laurencio et Martino, quorum quilibet habet solemnes octavas, fiat festum duplex.

Item. De festo omnium Sanctorum fiant octave cum antiphona ad Benedictus et Magnificat de festo, et leciones de communi sanctorum, similiter responsoria et versus de festo, more aliarum octavarum, die commemoracionis defunctorum duntaxat excepto. Festum vero quatuor coronatorum, quod in octavis die festi occurrit, ad vigiliam sancti Martini transferatur.

Item. De festo X. millium martyrum fiat festum novem lectionum de communi plurimorum martyrum in vigilia vigilie beati Ioannis Baptiste.

Item. De sancta Barbara virgine fiat festum trium lectionum die quarta decembris.

Item. Quod in litaniis post clausulam: « a damnacione perpetua » dicatur sub alia peticione: « a subitanea et improvisa morte, libera nos, domine ».

Item. In missa conventuali, dum dicitur in prefacione: gracias agamus domino deo nostro, similiter ad versum: o crux, ave spes unica,

fratres in choro caput reverenter inclinent, sicut fieri debet, quando nomen Iesu vel Marie, matris eius nominatur.

Item. In capitulo de itinerantibus, ubi dicitur: ad huiusmodi suffragia restitui mereatur, addatur et dicatur sic: fratres vero nostri, cum fuerint ad aliquam ecclesiam vel dignitatem extra ordinem ad sui instanciam per sedem apostolicam pronunciati, sint ipso facto ab omni presidencia et officio, infra nostrum ordinem sibi commissis, absoluti; a quibus eosdem tenore presencium absolutos denunciamus. Alii vero, qui sine sui instancia per sedem apostolicam similiter pronunciati sunt, nisi infra quatuor dies a noticia dicte pronunciacionis sibi facte ipsi promocioni et pronunciacioni publice renunciaverint, eciam per publicum instrumentum, simili modo, ut prefertur, absoluti existant. Precipientes omnibus et singulis presidentibus, et universis fratribus presentibus et futuris, quatenus nulli predictorum obedire audeant vel presumant.

Item. In capitulo in fine constitucionum annotato, quod incipit: quicunque in publica etc., ubi dicitur: minime dispensetur cum eo, addatur et dicatur sic: eandem penam incurrat quicunque presidens vel conventus, frater vel provincia renunciaverit alicui privilegio nostro ordini concesso, absque licencia et assensu capituli generalis, sine cuius assensu omnem huiusmodi renunciacionem, qualitercunque factam, nullius volumus esse roboris vel momenti. In quo similiter casu similem penam incurrant quicunque presidentes aut fratres seu conventus, qui sine causa legitima et urgente litigaverint aut appellaverint contra diocesanos quoscunque.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: si vero ad tempus mittitur, omnes libri et res alie post eius obitum, deleatur hoc, quod sequitur: ad provinciam vel conventum, unde assumptus fuerit, et loco illius sic apponatur: eciamsi sic, vel quomodolibet aliter esset intra vel extra provinciam suam ad tempus deputatus, ad suum conventum originalem et conventum, a quo assumptus fuerit, equis porcionibus pertinebunt.

Item hanc: Quod officium beatissime virginis in singulis conventibus nostri ordinis in choro amodo ante officium de tempore ordinarie dicatur, completorio et matutino duntaxat exceptis, quia matutinum in dormitorio, completorium vero post officium de tempore more solito dici volumus et mandamus.

Item. Quod deinceps capitula provincialia fiant biennalia, si et in quantum provinciali et diffinitoribus in sua provincia videbitur expedire.

Et he confirmaciones pro constitucionibus sint habende, quoniam tria capitula generalia habuerunt (1).

---

(1) Reliqua huius capituli desunt.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BONONIAM IN FESTO PENTECOSTES CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· XXVI°·

Sub reverendo in Christo patre fratre Ludovico de Valleoleti sacre pagine professore (1) ac diffinitore provincie Hispanie, necnon vicario generali presentis capituli concorditer assumpto iuxta nostrarum tenorem constitucionum in absencia reverendissimi magistri ordinis (2), diffinientibus infrascriptis reverendis prioribus provincialibus ac diffinitoribus, (fratre) videlicet:

fratre Iohanne Villalion sacre pagine professore ac provinciali Hispanie,
fratre Iohanne Dignati (3) s. pagine professore ac provinciali Tholosano,
fratre Petro Barre (4) sacre pagine professore et provinciali Francie,
fratre Nicolao de Veneciis (5) s. pag. professore et provinciali s. Dominici,
fratre Christoforo de Florencia (6) bacalario et provinciali Romano,
fratre Antonio de Betonto s. pagine professore ac provinciali regni Sicilie,
fratre Nicholao Notel (7) provinciali Theutonie,
fratre Mathia de Equaho lectore et provinciali Ungarie,
fratre Nicholao de Pucuvio provinciali Polonie,
fratre Ieronimo de Florencia (8) s. pagine magistro et provinciali Grecie,
fratre Nicholao de Çenoyma provinciali Bohemie,
fratre Iuliano Tallada (9) sacre pagine professore et provinciali Aragonie,
fratre Deodato Falguerii provinciali provincie Provincie,
fratre Thoma de Montilio (10) s. pagine professore et provinciali Lombardie,
fratre Roberto Oggerii (11) sacre pagine professore et provinciali Saxonie,
fratre Leoncio de Sibinicho s. pagine professore et provinciali Dalmacie,

17) Notel] Noter A.

(1) De fr. Ludovico de Valleoleti cf. supra pag. 163.
(2) Fratris scilicet Leonardi Statii, de quo supra pag. 163, 180.
(3) De fr. Ioanne Dignati cf. ibid. pag. 163.
(4) De fr. Petro Barre cf. ibid.
(5) De fr. Nicolao de Venetiis cf. ibid.
(6) De fr. Christophoro de Christophoris cf. Masetti l. c. pag. 420 sq.
(7) De fr. Nicolao Notel cf. MOPH. VII, 40 et indicem.
(8) De fr. Hieronymo de Florentia cf. SSOP. I, 812.
(9) De fr. Iuliano Tallada cf. supra pag. 164.
(10) De fr. Thoma de Montilio cf. supra pag. 172.
(11) De fr. Roberto Oggerii (Augerii) cf. supra pag. 164.

fratre Helia Bodandi (1) sacre pagine professore et diffinitore Tholosano,
fratre Iohanne de Mantua s. pag. prof. et diffinit. provincie s. Dominici,
fratre Alexio de Strozzis (2) s. pag. professore et diffinitore prov. Romane,
fratre Iacobo de Regno (3) s. pagine professore et diffinitore regni Sicilie,
fratre Henrico de Monte Dei diffinitore provincie Theutonie,
fratre Matheo de Pisis sacre pagine professore et diffinitore prov. Anglie,
fratre Petro de Stehil priore de Cassa et diffinitore provincie Ungarie,
fratre Iohanne Advocati diffinitore provincie Polonie,
fratre Iohanne Albo diffinitore provincie Grecie,
fratre Iohanne Garcie (4), s. pag. professore et diffinitore prov. Aragonie,
fratre Iohanne Coliarsis s. pagine professore et diffinitore prov. Provincie,
fratre Dominico de Sole de Saviliano diffinitore provincie Lombardie,
fratre Herasmo priore de Bruna diffinitore provincie Bohemie,
fratre Iohanne Wulfinchusensi s. pag. profes. et diffinitore prov. Saxonie,
fratre Nicholao de Iadria (5) diffinitore Dalmatie,
fratre Nicholao de Sole rubeo diffinitore provincie Dacie,
fratre Antonio de Scarsella diffinitore provincie Trinaclie,
fratre Gonsalvo Menereti s. pagine licenciato et diffinitore prov. Portugallie.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: ea vero, que acquisiverunt tempore provincialatus, ad provincias, quarum erant priores, spectabunt, addatur sic: et idem dicimus de bonis magistri ordinis decedentis post eius obitum relictis, quod ea, que acquisivit in magisterio, ad commune ordinis bonum pertineant. Quod quidem medio tempore observetur.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis et ante omnia a divino cultu exordium assumentes, omnes et singulos nostri ordinis presidentes ammonemus, ut divinum officium in suis provinciis et conventibus melius solito frequentari faciant et dici (et) secundum nostrarum tenorem constitucionum, super quo consciencias oneramus eorum. Adiicientes, quod fratres iubilarii in nostro ordine existentes in festis duplicibus et supra ad divina officia possint et debeant in tabula notari, invalidis duntaxat exceptis, nolentes, ut aliquis iubileum facere possit, nisi quinquaginta annis ab ingressu ordinis perseveraverit

---

7) Cassa] Garra A. — 11) Coliarsis] Coliacdis A.

---

(1) De fr. Helia Bodandi cf. BO. II, 666; III, 52.
(2) De fr. Alexio de Strozzis cf. supra pag. 147.
(3) De fr. Iacobo de Regno cf. Masetti l. c. p. 470.
(4) De fr. Ioanne Garsia cf. supra pag. 65.
(5) De fr. Nicolao de Iadria cf. supra pag. 164.

in eodem; nichilominus declarantes, quod racione dicti iubilei nonnisi ab ebdomadaria, servicio et lectura mense, ac aliis exterioribus oneribus ordinis intelliguntur exempti, nichilominus omnes contra tenorem huius nostre constitucionis hactenus factos revocantes.

Item. Studium pro viribus cupientes promovere, monemus presidentes nostri ordinis universos, ut officiales studii ac studentes studio diligencius intendentes nullatenus aliis occupacionibus impedire presumant. Adiicientes, quod nullus se bacalarium nominare audeat aut locum bacalarii tenere, nisi alicui universitati debito modo fuerit incorporatus, sub pena privacionis cuiuslibet alterius promocionis ulterioris. Nichilominus declarantes, quod promoti ad magisterium vel bacalariatum in nostro ordine a quinque annis citra pro non magistris vel bacalariis habeantur, nisi autentice doceant de suis promocionibus apud provinciales sue provincie, illis duntaxat exceptis, qui in approbatis universitatibus fuerint promoti, quorum lecturas per presentes approbamus, et specialiter, quod omnes promoti in provincia Hispanie pro doctoribus a tempore celebracionis capituli Hispalensis usque ad presens, qui cursum sui studii in artibus more solito non fecerunt, pro non doctoribus specialiter habeantur, idem volentes in futurum perpetuum observari, quod temporibus guerrarum Gallie studentes de provincia Hispanie et Portugallie ad universitatem Vallisoletane loco Parisius ad studium mitti possint, et eisdem graciis et privilegiis gaudere, ac si Parisius fuissent, et quod bacalarii legentes extra conventum, ipsi conventui pro se et socio duodecim ducatos annuatim solvere teneantur, et hoc precipue in partibus Italie et Hispanie. Adiicientes, quod fratres de Ybernia in nullo conventu provincie Anglie de cetero recipi valeant, sed ad suam redire provinciam compellantur, nisi sponte voluerint in dicta provincia Anglie in expensis communibus et oneribus concurrere, et specialiter quod in conventibus Cantabrigie et Oxonie, preterquam duo racione studii de cetero nullatenus acceptentur sub pena gravioris culpe, quam presidentes huiusmodi detinentes contra tenorem premissorum incurrant ipso facto.

Item. Paci ac concordie provinciarum et conventuum providere volentes, prohibemus omnibus et singulis fratribus nostri ordinis, ne in alienis provinciis vel aliorum conventuum terminis ordinarie mendicare et predicare aut questum facere presumant, sine presidentis illius, de cuius iurisdictione dicti termini extiterint, beneplacito et consensu, sub pena privacionis vocis, quam quilibet contraveniens incurrat ipso facto. Revocantes omnes terminarios per quemcumque in certo termino ad tempus sue vite institutos. Adiicientes, quod nullus frater sine litera testimoniali sui provincialis vadat de provincia ad provinciam sub pena gravioris culpe. Presidentes autem a sue presidencie officiis sint suspensi,

si aliquem talem ultra tres dies secum retinere presumpserint, provincialibus alienarum provinciarum cum suis sociis duntaxat exceptis. Quos provinciales cum declinare ad alienas provincias contigerit, locum immediate post provincialem dicte provincie, ad quam declinant, preterquam in capitulo et refectorio, volumus sine contradictione tenere non solum super priores, sed et super vicarios et presidentes quoscumque nacionum; idem de hiis, qui priores provinciales in aliquibus provinciis extiterint, intelligentes quoad ceteros fratres extra presidenciam existentes, dummodo ex hoc magistri non magistris minime postponantur, quodque singuli fratres scandalose vagantes, aut erronea dogmata propria temeritate, et nonnisi per suos presidentes populo predicantes, aut sectas novas adinvenientes per presidentes ordinis, in quorum terminis reperti fuerint, carcerali custodie mancipentur, unde nec eripi valeant sine licencia magistri ordinis aut capituli generalis. Presidentes autem, qui in hac parte negligentes extiterint, a suis officiis absolvantur in penam.

Item. Devocionem fratrum et sororum nostri ordinis ac honestatem adaugere satagentes, imponimus provincialibus universis, ut vitas sanctorum fratrum ac sororum, qui a tempore edicionis libri, qui vitas fratrum dicitur (1), in suis provinciis usque ad presens decesserunt et aliquibus miraculis claruerunt ad immediate sequens capitulum generale secum deferant, ut prefato libro ad perpetuam rei memoriam valeant annotari; et idem volumus fieri de nominibus magistrorum et lectorum, qui libros aliquos et tractatus nobiles conscripserunt. Adiicientes, quod iidem provinciales simili modo secum deferre teneantur registra omnium privilegiorum tam de indulgenciis quam de aliis graciis apostolicis, que autentice cum bulla plumbea in suis habentur provinciis et conventibus, ut, cum opus fuerit pro ordine in communi vel pro conventibus in speciali, inde sciri possit, ubi huiusmodi privilegia valeant inveniri (2).

Item. Nonnullorum temerarie presumpcioni obviare nostrasque constituciones in sua libertate servare cupientes, volumus et ordinamus, quod quicumque frater nostri ordinis quamcumque presidenciam infra nostrum ordinem per se vel per alium, directe vel indirecte, procurare vel impetrare presumpserit, preter et contra formam et tenorem nostrarum constitucionum, sit ipso facto ad huiusmodi presidenciam per decennium inhabilis, et nichilominus tamquam destructor nostri ordinis omnibus graciis ordinis ac voce preterquam in sua accusacione penitus sit privatus, quem similiter officio et honore taliter impetrato ex nunc pro tunc pri-

(1) Qua de re cf. MOPH. I, 5 nota.

(2) Ordinationes saepius repetitae, sed fratrum negligentia minime ad effectum adductae.

vatum fore denunciamus. Adiicientes, ut a conventibus nostri ordinis ab ordine exempti sine consensu duarum parcium conventus de cetero recipi minime valeant aut retineri.

Item. Laudabilem antiquorum patrum nostri ordinis humilitatem imitari satagentes, humiliter supplicamus reverendissimo magistro ordinis suamque paternitatem hortamur in domino, quatenus non sumptuoso, sed modesto cum apparatu per conventus ordinis et provincias incedat, et exactiones ac contribuciones per nonnullos noviter introductas tollat de medio et deponat, ac omnia et singula privilegia contra libertatem nostri ordinis et formam nostrarum constitucionum a sede apostolica impetrata per suos antecessores, et specialiter de supplecione vocum et diffinitorum capituli generalis, et de absolucione necnon et institucione priorum provincialium sine previa electione canonica, quamtocius revocari procuret cum effectu, aut si magis videatur, autentice et publice resignet eisdem. Adiicientes, ut predictorum more patrum antiquorum in sumptibus et expensis sibi et eius comitive de visitacionibus ordinariis teneatur providere.

Item. Observanciam regularem pro viribus reformare cupientes seriose, imponimus prioribus provincialibus et conventualibus ceterisque nostri ordinis presidentibus universis, ut per se efficaciter iuvare studeant secundum tenorem regule patris nostri Augustini nostrarumque seriem constitucionum, et ad idem singulos suos subditos diligencius inducant non solum salubribus monitis et persuabilibus, sed in operibus et exemplis, volentes, quod in singulis conventibus nostri ordinis ad minus semel in septima capitulum de culpis teneatur, et fratres non sacerdotes saltem semel in qualibet septimana alicui maturo fratri specialiter ad hoc deputato confiteri cogantur, ipsaque regula beati Augustini semel in septimana, ordinaciones vero capitulorum generalis et provincialis quolibet mense semel, et constituciones bis in anno fratribus in mensa vel in capitulo pariter congregatis integraliter, distincte et sine defectu legantur. Adiicientes, quod ad consilia et raciocinia conventuum magistri regentes conventuum ac baccalarii debeant indefectibiliter vocari in singulis nostri ordinis conventibus et locis.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Parisiensi provincie Francie ad legendum sentencias pro primo anno extraneis debito, scilicet pro anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto, assignamus pro forma et gradu magisterii fratrem Aymonem Magnini de conventu Gebennensi, cui substituimus fratrem Iohannem de Ponte de conventu Metensi. Pro secundo vero anno intraneis debito, scilicet pro anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo, assignamus ibidem ad legendum sentencias fratrem

Martinum Pignei de conventu Senonensi, cui substituimus fratrem Thomam Gebelli de conventu Belvacensi. Pro tercio anno extraneis debito, assignamus ibidem fratrem Theodericum Meneis provincie Saxonie, cui substituimus fratrem Iohannem Ruffi de conventu Metensi. In secundis vero scolis ibidem ad legendum sentencias pro primo anno assignamus fratrem Petrum Parvi de conventu Matisconensi. Pro secundo anno ibidem fratrem Petrum Morelli de conventu Compendiensi. Pro tercio anno fratrem Antonium Kien de conventu Brugensi. Ad legendum biblias Parisius pro duobus annis immediate sequentibus assignamus fratrem Nicholaum Suni de conventu Dinanensi, cui substituimus unum, quem provincialis Francie duxerit eligendum. Abilitamus ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii in studio Parisiensi fratrem Petrum Petri (1) de conventu Rupellensi, fratrem Stephanum Symoneti de conventu Trecenensi, fratrem Alardum Barre, fratrem Nicholaum Loysorre de conventu Metensi, omnes eiusdem provincie. De officialibus autem studii in universitate nova Dolensi prior provincialis providebit. De lectoratu vero principali conventus Metensis per duos annos immediate sequentes providebit magister Simon Triclini eiusdem provincie.

Conventui Tholosano ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro anno presenti extraneis debito assignamus fratrem Petrum Aereis provincie Portugallie, cui substituimus fratrem Petrum Raymundi Guasconis, quem habilitamus ad legendum sentencias ibidem. Pro secundo anno intraneis debito fratrem Petrum Gauterii eiusdem provincie, cui substituimus fratrem Iohannem Porte, quem similiter habilitamus ad legendum sentencias ibidem. In magistrum vero studencium pro primo anno intraneis debito fratrem Petrum Gauterii. Pro secundo anno fratrem Iohannem Barre (2) provincie Francie, cui substituimus fratrem Iohannem Porte provincie Tholosane. Ad legendum bibliam ibidem assignamus pro duobus annis fratrem Dominicum de Theleto, cui substituimus fratrem Herandum de Nogeto, cui substituimus fratrem Ioannem de Ardena. Ad legendum vero bibliam extraordinarie assignamus ibidem fratrem Petrum Alphonsi eiusdem provincie, cui substituimus fratrem Albertum de Regio provincie sancti Dominici. Abilitamus ad legendum sentencias Tholose fratrem Guilelmum Ghirardi (3) de conventu Pictavensi, fratrem Petrum Scicardi de conventu sancti Flori, fratrem Petrum Vitale eiusdem con-

2) Belvacensi] Bernanensi A. — 6) Matisconensi] Martisnensi A. — 8) Kien] Elieri A. — 10) Dinanensi] Duvonensi A. — 15) Metensi] Monensi A. — 16) Dolensi] Voillenensi AB.

(1) De fr. Petro Petri cf. supra pag. 169.

(2) De fr. Ioanne Barre cf. supra pag. 187.

(3) De fr. Guilelmo Girardi cf. l. c.

ventus, omnes de eadem provincia. Item ad legendum sentencias Tholose pro forma abilitamus sex fratres eiusdem provincie, quos prior provincialis dicte provincie duxerit nominandos. Approbamus lecturam sentenciarum factam in universitate Tholosana per fratres Bernardum de Garifisido, Guillelmum de Castagnano et Raymundum de Manasio.

Conventui Bononensi provincie sancti Dominici damus in regentem fratrem Iacobum a Regno sacre pagine professorem, cuius lecturam approbamus. Ad legendum sentencias pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Leonardum de Utino (1), cui substituimus fratrem Baptistam de Fabriano (2). Ad legendum vero bibliam pro primo anno et consequenter sentencias pro tercio fratrem Baptistam predictum, cui substituimus fratrem Iacobum de Ferraria (3). Pro secundo vero anno fratrem Iacobum de sancta Sophia, cui substituimus fratrem Georgium de Yadra. Pro tercio vero anno ad legendum bibliam fratrem Andream de Sicilia, cui substituimus fratrem Martinum de Parma. In magistrum vero studencium pro primo anno fratrem Marcum de Laude, cui substituimus fratrem Ioannem de Padua. Pro secundo anno fratrem Georgium de Yadra predictum, cui substituimus fratrem Martinum Teldi de Venecia. Pro tercio vero anno fratrem Martinum Teldi suprascriptum. In collegio sancti Proculi assignamus pro primo anno immediate sequenti ad legendum sentencias fratrem Nicholaum de Bononia (4), cuius precedentem lecturam et sentenciarum et biblie approbamus. Ad legendum vero bibliam pro primo anno ibidem assignamus fratrem Petrum Antonii de Viterbio, quem ad legendum sentencias ibidem pro secundo et tercio anno deputamus. In collegio Celestinorum ibidem ad legendum bibliam et consequenter sentencias assignamus fratrem Dominicum Iohannis de Senis. Approbamus lecturam sentenciarum fratris Alphonsi de Yspania factam Bononie in collegio Yspanorum, ac fratris Maximi de Vinea factam in conventu et studio Bononiensi.

Item. In conventu Bononiensi pro studente honoris assignamus fratrem Iacobum de Serania. Pro studente vero Parisiensi fratrem Petrum Tirnensem.

Conventui Oxoniensi provincie Anglie ad legendum sentencias pro primo loco extraneis debito assignamus fratrem Iacobum Buti de Senis, cui substituimus fratrem Marcum de Laude.

Conventui Cantabrigie provincie Anglie ad legendum sentencias pro

(1) De fr. Leonardo de Utino cf. SSOP. I, 845.
(2) De fr. Baptista de Fabriano cf. ibid. 847.
(3) De fr. Iacobo de Ferraria cf. l. c. 844.
(4) De fr. Nicolao de Bononia cf. supra pag. 171.

loco extraneis debito assignamus fratrem Franciscum de Urbino provincie sancti Dominici.

Conventui Vallis Oletanensis provincie Hispanie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii in primo anno immediate sequenti assignamus fratrem Martinum de sancta Maria Brugensem, cui substituimus fratrem Ceslaum de Salvatiera. Pro secundo anno extraneis debito fratrem Iohannem de Fretis provincie Portugalie, cui substituimus fratrem Petrum de Famuscho provincie Hispanie. Ad legendum bibliam pro anno immediate sequenti fratrem Iohannem Fretis, cui substituimus fratrem Iohannem Palentinum. Ad legendum bibliam pro secundo anno immediate sequenti fratrem Matiam Regalis, cui substituimus fratrem Alphonsum de Ponticulis. In secundis scolis eiusdem pro primo anno fratrem Alphonsum de sancto Martino Toletanum, cui substituimus fratrem Iohannem de Villarota. Pro secundo anno fratrem Ioannem de Laureto provincie Portugalie, cui substituimus fratrem Iohannem Portuensem eiusdem provincie. Habilitamus ad legendum sentencias in dicta universitate fratres Iohannem de Transmira, Iohannem Harlos, Rodericum Ruffum provincie Hispanie, Gomecium Martini Santarenensem, Velascum de Lacu, Martinum Velacii, Petrum de Campagnano et Petrum de Barbuda provincie Portugalie. Confirmamus autem et approbamus lecturas factas in dicta universitate per fratrem Fernandum Deglianos provincie Hispanie, et Iohannem Manso ac Egidium Olisponensem provincie Portugallie.

Ordinacionem vero studii Salamantini committimus provinciali Hispanie.

Conventui Florentino provincie Romane damus in regentem fratrem Thomam de Castello (1) sacre pagine professorem. Ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii primo et secundo anno immediate sequentibus assignamus fratrem Bartholomeam Lappacci (2) de Florencia, cui substituimus fratrem Antonium de Sicilia. Ad legendum vero bibliam pro primo anno fratrem Antonium predictum. Ad legendum vero bibliam pro secundo anno fratrem Thomam de Nuceria. In magistrum vero studencium pro primo anno fratrem Thomam predictum, et pro secundo fratrem Symonem Blundi de Sicilia, cui substituimus fratrem Matheum de Caramanico provincie Regni.

Conventui Romano ad legendum sentencias pro primo et secundo anno immediate sequentibus, et sequenter bibliam pro forma et gradu magisterii assignamus fratrem Iulianum de Laude.

---

(1) De fr. Thoma de Castello cf. supra pag. 170.

(2) De fr. Bartholomaeo Lappacci cf. Masetti l. c. p. 420, SSOP. I, 834.

Conventui Coloniensi provincie Theutonie damus in regentem fratrem Enricum Wobrer (1) sacre pagine magistrum. Ad legendum vero sentencias fratrem Iohannem Ministrat eiusdem provincie, cuius precedentem lecturam approbamus. Ad legendum bibliam ibidem pro primo anno fratrem Enricum de Ligno eiusdem provincie. In magistrum studencium fratrem Nicholaum de Diest. Lecturam sentenciarum in eodem studio factam per fratrem Enricum Kaltisen (2) approbamus.

Conventui Viennensi eiusdem provincie damus in regentem magistrum Enricum Rostoch. Lecturam fratris Iohannis Nider (3) in eodem studio factam approbamus.

Conventui Argentinensi eiusdem provincie damus in regentem fratrem Ugonem (4) sacre theologie professorem. De ceteris vero studii prefati officialibus prior provincialis dicte provincie providebit.

Conventui Paduano provincie sancti Dominici damus in regentem fratrem Iohannem de Mantua sacre theologie magistrum, cuius lecturam sentenciarum approbamus. Ad legendum vero sentencias pro anno immediate sequenti fratrem Antonium de Camarino, cuius lecturam approbamus, instituentes ipsum pro secundo anno, cum fuerit magistratus, ibidem in regentem. Pro secundo vero et tercio annis fratrem Stephanum de Venecia, cui substituimus fratrem Thomam de Anchona. Pro tercio vero loco fratrem Guilielmum de Tridino. Ad legendum pro primo anno bibliam ibidem fratrem Ludovicum de Padua, cui substituimus fratrem Paulum de Padua. Pro secundo anno fratrem Thomam de Anchona, cui substituimus fratrem Dominicum de Durachio. Pro tercio anno fratrem Paulum de Padua predictum. In magistrum studencium pro primo anno assignamus fratrem Paulum de Padua. Pro secundo fratrem Dominicum de Durachio.

Item. In conventu Paduano pro studente honoris assignamus fratrem Martinum de Parma et fratrem Dominicum de Trano.

Item. In ecclesia katedrali ad legendum bibliam ibidem assignamus pro secundo anno fratrem Nicholaum Venturella, quem pro primo anno facimus studentem honoris.

Conventui Barchinonensi provincie Aragonie pro lectore presentis anni damus fratrem Amandum de Valle, cui substituimus fratrem Petrum Mansoni. Pro sublectore fratrem Iacobum Egidii. Pro magistro vero

---

(1) De fr. Henrico Wobrer (Vaubrier) cf. supra pag. 171.

(2) De fr. Henrico Kaltisen (Kalteisen) cf. SSOP. I, 828; Wedel-Iarlsberg l. c. pag. 208.

(3) De fr. Ioanne Nider cf. SSOP. I, 792; Schieler *Iohannes Nider* Mainz 1885.

(4) Videtur esse Hugo Agni, de quo supra pag. 169.

studencium fratrem Franciscum de Podio Valentinum. Pro biblico fratrem Gabrielem Peram. Pro anno vero sequenti de officialibus dicti studii prior provincialis eiusdem provincie providebit.

Conventui Herfordiensi provincie Saxonie damus in regentem fratrem Conradum Westhusensem sacre theologie magistrum. Ad legendum vero bibliam pro forma et gradu magisterii pro secundo anno fratrem Mathiam Dux provincie Theutonie. Ad legendum sentencias pro anno primo fratrem Sanderum Celsen. Pro secundo anno ad legendum bibliam fratrem Ernestum Beleum, quibus substituimus fratres Mathiam Banpenalga, et Hermannum Bornequil, omnes provincie Saxonie.

Conventui Magdeburgensi eiusdem provincie damus in lectorem fratrem Hermannum Chorner (1). Ad legendum vero sentencias fratrem Henricum Hornaborch. In magistrum studencium fratrem Petrum Roberschoit, omnes provincie Saxonie.

Conventui Cracoviensi provincie Polonie assignamus ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Michaelem Gimbulbut dicte provincie. Provisionem vero de ceteris officialibus in dicto studio committimus provinciali dicte provincie.

Conventui Neapolitano regni Sicilie damus in regentem fratrem Nicholaum de Nuceria sacre theologie professorem. Pro primo anno absque forma atque gradu magisterii damus in bacchalarium fratrem Franciscum de Novaria. Pro secundo vero anno fratrem Matheum de Caramanico. Ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Nicholaum de Aymo. Pro secundo fratrem Nicholaum de Galvanico. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Stephanum de Neapoli. Si vero aliquis de predictis officialibus et studentibus ibidem assignatis deficere contigerit, de aliis prior provincialis eiusdem provincie providebit.

Conventui Mediolanensi provincie Lombardie damus in regentem pro primo anno fratrem Stephanum de Terdona, cuius lecturam et magisterium approbamus. Pro secundo anno fratrem Marcum de Vicomercato (2) sacre pagine professorem. In cursorem pro primo anno damus fratrem Ludovicum de Lura. Pro secundo fratrem Petrum de Marinis. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Petrum predictum. Pro secundo vero fratrem Ludovicum predictum. In casu autem, quod officiales (alii) superius assignati non veniant aut defectum faciant, prior provincialis eiusdem provincie de aliis providebit.

---

16) Gimbulbut] Gilbumbut B.

---

(1) De fr. Hermanno Chorner (Korner) cf. SSOP. I, 783; POTTHAST *Wegweiser* etc. 2 I, 355 sq.

(2) De fr. Marco de Vicomercato cf. supra pag. 172.

Conventui Ianuensi damus in lectorem fratrem Raphaelem de Ianua (1) sacre pagine professorem, cui substituimus fratrem Philippum de Ianua (2) sacre theologie magistrum, quem pro anno sequenti ibidem assignamus in regentem, eius lecturam et magisterium approbantes.

Conventui Veneto damus in lectorem pro primo anno immediate sequenti fratrem Nicholaum de Musto (3) sacre pagine professorem, cuius lecturam approbamus.

Conventui Papiensi provincie Lombardie damus in regentem pro primo anno fratrem Petrum de Lacruce sacre theologie magistrum. Pro secundo magistrum Georgium de Canibus (4). Ad legendum sentencias ibidem pro forma primo et secundo annis assignamus fratrem Baldonem de Ast, cui substituimus fratrem Andream de Saveliano. Ad legendum vero bibliam pro primo anno ibidem fratrem Andream predictum, cui substituimus fratrem Ioachimum de Venecia. Habilitamus in eodem studio fratrem Silvestrum de Ycarascho. Concedimus autem licenciam fratri Beltramo de Novaria, quod possit ad magisterium magistri ascendere, postquam omnes suos actus compleverit secundum consuetudinem universitatis Papiensis.

Conventui Taurinensi eiusdem provincie damus in regentem pro primo anno fratrem Iohannem Flamma sacre theologie professorem. Pro secundo vero post magisterium suum fratrem Laurencium Scapular, cuius lecturam approbamus. Ad legendum vero sentencias pro forma assignamus fratrem Desiderium de Ianua pro primo anno. Pro secundo vero fratrem Thomam de Vercellis. Ad legendum bibliam ibidem pro primo anno fratrem Franciscum Thiserii de Vicia. Pro secundo anno fratrem Desiderium predictum. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Thomam predictum. Pro secundo vero fratrem Andream de Lapastina de Sicilia.

Conventui Montis Pessulani provincie Provincie damus in regentem pro primo et secundo annis fratrem Marium Fidelem sacre pagine professorem. Ad legendum vero sentencias pro primo anno fratrem Iacobum Buti de Senis (5). Pro secundo fratrem Guilielmum Guberti de eadem provincia. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Guilielmum predictum, pro secundo anno fratrem Duveridum Campifortis, quem ibidem assignamus pro anno presenti ad legendum bibliam, pro secundo anno ad legendum bibliam ibidem fratrem Iohannem Martini.

---

(1) De fr. Raphaele de Ianua cf. supra pag. 170.
(2) De fr. Philippo de Ianua cf. supra pag. 173.
(3) De fr. Nicolao de Musto cf. supra pag. 169.
(4) De fr. Georgio de Canibus cf. supra pag. 172.
(5) De fr. Iacobo Buti cf. SSOP. I, 808 et supra pag. 188.

Item. Ad requisicionem domini episcopi Magalonensis et consulum dicte ville ibidem assignamus fratrem Iohannem de Rino eiusdem provincie, magistrum in theologia.

Conventui Aquensi eiusdem provincie ad legendum sentencias pro forma assignamus fratrem Beltrandum Ginaberti pro primo anno, pro secundo vero fratrem Anthonium Fiacii eiusdem provincie. In magistrum studencium ibidem fratrem Anthonium predictum, pro secundo vero anno fratrem Stephanum Samulieri, quem ibidem ad legendum bibliam pro anno presenti assignamus. Pro secundo anno fratrem Poncium de Gentilis. In scolis sedis Aquensis ad legendum sentencias pro consimili forma assignamus fratrem Iacobum Ramuneli eiusdem provincie.

Conventui Avinionensi provincie Provincie damus in regentem pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Petrum Rochim (1) sacre pagine magistrum. De bacchalario vero pro sentenciis prior provincialis eiusdem provincie providebit. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Iacobum Picardi, pro secundo vero anno fratrem Petrum Geneti eiusdem provincie, quem ad legendum sentencias primo habilitamus ibidem.

Conventui Perusino provincie Romane damus in regentem fratrem Paulum de Perusio (2) sacre pagine professorem, cuius lecturam approbamus. Ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno fratrem Leonardum de Chio (3). Pro secundo vero fratrem Paulum de Urbeveteri, cui substituimus fratrem Bartholomeum Iohannis de Senis (4). Ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Bartholomeum de Betonto, cui substituimus fratrem Benvenutum de Regno. Pro secundo anno fratrem Petrum de Eugubio, cui substituimus fratrem Nicholaum de Troya; in magistrum studencium pro primo anno fratrem Petrum predictum, cui substituimus fratrem Ioannem de Nutrina, pro secundo anno fratrem Ieronimum de Calabria provincie Regni, cui substituimus fratrem Stephanum de Neapoli.

Conventui Ulisiponensi provincie Portugalie, ubi est generale studium, assignamus in regentem fratrem Petrum de Cruce sacre theologie professorem. Ad legendum vero sentencias in eodem conventu assignamus fratrem Alphonsum Coimbriensem. Item in universitate fratrem Gomecium Martini (5) eiusdem provincie.

Conventui vero regni Portugalie damus in regentem post suum ma-

(1) De fr. Petro Rochim SSOP. I, 807.
(2) De fr. Paulo de Perusio cf. supra pag. 170.
(3) De fr. Leonardo de Chio cf. SSOP. I, 816.
(4) De fr. Bartholomaeo de Senis cf. ibid. pag. 809.
(5) De fr. Gometio Martini cf. supra pag. 189.

gisterium fratrem Gonsalvum Me:endi licenciatum in theologia, fratrem Petrum Sigerii licenciatum ibidem assignantes.

Iste sunt denunciaciones.

In primis omnibus et singulis fratribus ac sororibus nostri ordinis denunciamus, quatenus in presenti capitulo generali, in vigilia pentecostes unanimiter et concorditer, nemine discrepante, in magistrum generalem ordinis nostri rite et canonice electus fuit reverendissimus in Christo pater frater Bartholomeus Texerii (1) sacre pagine professor de provincia Provincie, quapropter universis nostro ordini subiectis precipimus et mandamus, ut dicto magistro ordinis obedienciam debitam, tamquam vero et legitimo nostri ordinis magistro generali exhibere ac impendere studeant cum effectu. Supplicantes humiliter eidem reverendissimo magistro, ut suprascriptum magisterii onus humiliter et devote suscipere dignetur ad dei laudem et tocius ordinis nostri incrementum.

Item. Denunciamus omnibus et singulis fratribus ac conventibus nostri ordinis, quatenus reverendis in Christo patribus, fratri Angelo de Camarino (2), fratri Thome de Utino (3), et fratri Iacobo de Clavaro (4) sacre pagine professoribus plenam et liberam·potestatem, authoritatem et facultatem concessimus et commisimus super bonis et rebus tam mobilibus quam immobilibus, relictis post mortem per reverendum patrem magistrum Leonardum de Florencia (5), olim generalem nostri ordinis, apud quascumque personas intra et extra ordinem existentes inquirendi, investigandi, exigendi, iudicandi, servandi, sentenciandi, finiendi seu quittandi et determinandi, prout eorum discrecionibus videbitur expedire, ita tamen ut de dictis bonis primo satisfaciant conventibus, fratribus, sociis aliisque creditoribus legitime et secundum determinacionem presentis capituli recipere debentibus, et expense solvantur, que circa dictorum bonorum inquisicionem et exactionem occurrerint; de residuo vero unam partem conventui Florentino, unde traxit originem, alteram provinciali sancti Dominici, priori ac inquisitori Bononiensi pro tempore existentibus, vel eorum loca tenentibus pro ornamento seu pictura capelle beatissimi patris nostri Dominici (6); terciam vero partem reverendissimo magistro noviter electo pro sumptibus et expensis pro ordine faciendis applicare teneantur et debeant cum effectu, committentes eis, aut maiori parti, ut pro execucione dicte inquisicionis tam in Romana provincia, quam in aliis ple-

(1) De fr. Bartholomaeo Texerii cf. supra pag. 76.
(2) De fr. Angelo de Camarino cf. SSOP. I, 757.
(3) De fr. Thoma de Utino cf. supra pag. 130.
(4) De fr. Iacobo de Clavaro cf. SSOP. I, 773.
(5) De fr. Leonardo de Florentia cf. supra pag. 180.
(6) Cf. supra pag. 176 l. 9 sqq.

nam et liberam habeant potestatem, fratres, sorores, ac alias quascumque personas citandi, arcendi, examinandi, carcerandi, excommunicandi, detinendi, puniendi, a suis presidenciis suspendendi, deponendi, absolvendi, ac omnia et singula faciendi, que circa predicta presens generale capitulum facere posset. Approbantes, ratificantes et confirmantes quidquid per eosdem concorditer aut maiorem partem eorum circa predicta ordinatum fuerit aut determinatum; in casu autem, quod unum eorum impediri contigerit a prosequucione dicte inquisicionis, tunc alii duo plenam et liberam, ut supra dictum est, in predictis habeant facultatem; si vero duos ex ipsis impediri contigerit, tunc in dicto casu eamdem facultatem, potestatem et authoritatem habeant prior Ferrariensis et Paduanus pro tempore existentes cum tercio remanente, et predictis se ingerere volente quoad singula eorum puncta. Ne autem prefate nostre determinacioni temerarie quisquam audeat quomodolibet contraire, tenore presencium omnes et singulos dictis commissariis aut eorum alicui contradicere presumentes per se vel per alium, aut eorumdem preceptis, sentenciis vel inquisicionibus contravenire, privacionem omnium graciarum ordinis et bonorum sibi ab ordine concessorum, ac penam carceris incurrisse ipso facto declaramus, pronunciamus et sentenciamus. Volentes, si presidentes existant, ut a suis officiis intelligantur ipso iure absoluti, quos ex nunc pro tunc absolutos esse denunciamus, proponentes, mandantes fratribus in electione talium vocem habentibus, quatenus deum pre oculis habentes ad electionem aliorum presidencium indilate procedant ipso facto.

Item. Denunciamus fratribus universis provincie Aragonie, quod frater Iohannes Garsias (1) sacre pagine professor ac presentis capituli diffinitor ad conventum pertinet Cesaraugustensem antedicte provincie, ipsumque esse filium nativum et originalem prefati conventus declaramus.

Item. Denunciamus fratribus nostri ordinis universis, qualiter pro defensione orthodoxe fidei per sanctissimum dominum nostrum Martinum papam quintum concessum est serenissimo regi Cipri pro residencia danda soldano Babilonie, Sarracenorum principi, bulla quedam, in qua cavetur, ut omnes astricti voto, aut ex iniuncta penitencia ad visitandum sanctum sepulcrum domini, dando tantumdem precii, quantum eundo et redeundo expenderint, nunciis dicti regis, qui sunt reverendi provinciales ordinis nostri in suis provinciis et aliis, quos de suis subditis ad hoc eligendos duxerint, possint confessorem eligere, qui eos a tali obligacione plene absolvere [possit] et eamdem consequantur indulgenciam, quam habuissent, si personaliter ad ipsum sanctum sepulcrum accessissent, et

(1) De fr. Ioanne Garsia Fernandi cf. supra pag. 65 et 183.

quia res ista pia est, hortamur omnes predicatores nostri ordinis, ut hanc ipsam causam, quantum possunt, in suorum peccatorum remissionem promovere velint.

Item. Denunciamus, qualiter ad supplicacionem conventus sancti Geruncii et fratris Sanctii de Navarra et Vitalis de Mesplesio provincie Tholosane transtulimus dictos fratres de conventibus sancti Gaudencii et Horthesii ad conventum sancti Geruncii, omnes conventuales dicti conventus sancti Geruncii facientes presencium tenore.

Item. Denunciamus fratrem Iohannem Chenelle sacre pagine professorem pertinere ad conventum Cantabrigie tanquam fratrem nativum eiusdem. Fratrem vero Peregrinum Malleti transferimus a conventu Tholosano ad conventum Marciaci, de cuius terris est oriundus, fratrem quoque Iohannem Maurini de conventu sancti Iuniani ad conventum Lemovicensem consimiliter transferentes.

Item. Denunciamus provinciis nostri ordinis universis, qualiter prioribus et diffinitoribus presentis capituli visum est ordini nostro expedire, ut capitulum generalissimum celebretur pro bono statu et reformacione eiusdem; quare intimamus omnibus, ut ad sequens capitulum generale suarum provinciarum intencionem circa hoc deferre teneantur iuxta nostrarum tenore constitucionum, ut, si expediat, assignetur in eodem.

Item. Quia sentencia dudum lata contra venerabilem patrem fratrem Stephanum de Sanctarena sacre pagine professorem in capitulo provinciali provincie Portugallie anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto celebrato in conventu Portuensi dicte provincie, prout ex relacione iudicum ad hoc specialiter deputatorum in presenti capitulo nobis sufficienter constat, fuit omnino iniusta pariter et iniqua, nulliusque roboris aut momenti, fuitque dictus venerabilis pater ex dicta sentencia plurimum ac enormiter lesus in sua fama et honore, volentes, ut decet, oppressos relevare pro viribus, tenore presencium denunciamus dictam sentenciam iniustam, erroneam ac nullius roboris vel momenti extitisse, dictum venerabilem virum in eisdem terminis, in quibus antequam dicta sentencia contra eum promulgaretur, extiterat, quoad singula reponentes et nichilominus iudicantes de expensis eidem satisfaciendum fore, prout iudices ad hoc specialiter deputati decreverunt et mandaverunt.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Dacie, Portugallie.

Curam provincie Dacie committimus fratri Nicholao de Sole Rubeo priori Roschildensi ac diffinitori presentis capituli.

Curam provincie Portugallie committimus fratri Gonsalvo in sacra

5) Geruncii] Gervasii A. — 8) Geruncii] Gervasii A. — 9) Geruncii] Gervasii A.

pagina licenciato ac diffinitori presentis capituli, donec priores provinciales in eisdem provinciis electi fuerint et confirmati.

Absolvimus hos priores conventuales in provincia sancti Dominici: Anchonitanum, Esculanum, Camerinensem, Fanensem, Pesauriensem, Urbinatem et Cesenatem, ubi de presidentibus prior provincialis providebit.

In provincia Romana absolvimus priorem Florentinum, cuius conventus curam committimus fratri Laurencio Dominici sacre pagine professori, donec prior in eodem electus fuerit et confirmatus.

Item. Provincie Anglie absolvimus priorem Langlee regis, quem conventum declaramus pertinere ad visitatorem Cantabrigie, instituentes in visitatorem dicti conventus fratrem Guilielmum de Edlisborgis sacre pagine professorem cum plenaria potestate assignandi fratres et removendi ac insuper constringendi magistrum Philippum ad raciocinia reddenda, et omnia et singula faciendi, que magister ordinis in dicto conventu facere posset, si presens existeret. In vicarium vero eiusdem conventus instituimus fratrem Iohannem Helne sacre theologie magistrum de conventu Line (1) eiusdem provincie, precipientes eidem fratri Philippo in virtute spiritus sancti et sancte obediencie ac sub pena carceris, quam contraveniendo incurrat ipso facto, quatenus infra mensem a noticia presencium se ad conventum Salopie transferat, quem suum fore conventum nativum declaramus per presentes, a quo sine licencia magistri ordinis recedere non valeat.

In vicarium generalem provincie Lombardie damus fratrem Iacobum de Clavaro (2) sacre pagine professorem in capitibus et in membris cum plenaria potestate visitandi, inquirendi, iudicandi, sentenciandi, priorem provincialem dicte provincie et priores conventuales eiusdem suspendendi, deponendi et absolvendi, ac omnia et singula alia faciendi, que magister ordinis in dicta provincia facere posset, si presens foret in eadem, imponentes eidem, ut quam cicius poterit, ad dicti vicariatus execucionem se debeat transferre.

Iste sunt commissiones.

Committimus cuilibet provinciali et diffinitori presentis capituli, quod quilibet eorum possit recipere duos apostatas ad ordinem, secundum quod in capitulo de apostatis continetur, et quatuor fratres, quos duxerint eligendos, ad gracias ordinis restituere. Idem de iudicibus ad causas datis in presenti capitulo quoad quatuor fratres consimiliter ad gracias restituendos intelligentes.

---

(1) Line = Lennensis.

(2) De fr. Iacobo de Clavaro cf. supra pag. 194.

Item. Committimus reverendis provincialibus, studia generalia in suis provinciis habentibus, ut si quos de assignatis in presentibus actis a prosecucione sui officii mori vel impediri contigerit, de his loco eorum valeat nostra authoritate providere.

Item. Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut in studio Montispessulani possit fratres ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii assignare, prout sue discrecioni videbitur expedire.

Item. Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut de procuratore ordinis in Romana curia provideat, prout sue discrecioni videbitur expedire, sicut hactenus eius ceteri predecessores fecerunt. Presentamus tandem eidem reverendissimo magistro ad idem officium reverendum patrem magistrum Lupum de Fonte Petrino, electorem provincie Hyspanie, velut utilem et idoneum ad idem officium prosequendum, prout in nostris litteris eidem destinatis plenius continetur.

Item. Omnes vicariatus, exempciones, gracias hactenus per reverendum magistrum ordinis quondam bone memorie, ac reverendum vicarium quondam ordinis nostri cuique concessas preter vicarium societatis peregrinancium et privilegia studencium in studiis generalibus revocamus, cassamus et annullamus, ac nullius volumus esse roboris vel momenti. Omnes autem gracias, exempciones, litteras, instituciones, destituciones, commissiones, et declaraciones dubiorum in provinciis et conventibus, durante authoritate diffinitorum presentis capituli cuicumque concessas per reverendum patrem fratrem Ludovicum de Valleoleti (1) diffinitorem presentis capituli ac vicarium prefatum, sub quacumque forma verborum factas approbamus, confirmamus et ratificamus presencium per tenorem. Volentes eas in suo robore permanere quoad singula eorum puncta.

Item. Acceptamus locum in provincia Hyspanie prope locum de Cisneros in oratorio sancte Katerine de miraculis, ubi de priore conventuali dicte provincie providebitur.

Item. Acceptamus in dicta prov. conventum in civitate Abulensi (2).

Item. Conventum in civitate Bacensi, omnes de eadem provincia.

In provincia sancti Dominici acceptamus locum Porti(!) sub titulo sancte Marie de graciis.

In provincia Aragonie acceptamus locum de Lusen (3) in terminis conventus Jativensis.

---

(1) De fr. Ludovico de Valleoleti cf. supra pag. 182.
(2) Secundum quae corrigas *Analecta* I, 57.
(3) Luchente

In provincia Dalmacie prope civitatem Yadriensem in insula, que vocatur Ugual (1), acceptamus locum sub titulo sancti Petri martiris.

Item. In terra Haldusten (2) conventum sub titulo sancti spiritus.

Item. In civitate Arbensi acceptamus locum sub titulo sancte Marie provincie Dalmacie.

In provincia Trinacrie acceptamus locum in terra Leontini sub titulo sancti spiritus.

Item. In terra Pollicii conventum sub titulo sancti Iuliani.

In provincia Portugallie acceptamus conventum de Aveiro, quem dominus Petrus, filius illustrissimi regis Portugallie, edificavit.

Item. Conventum Villeregalis in eadem provincia Portugallie, cuius provincie locum assignamus immediate post provincialem in provincia Dalmacie.

In provincia Lombardie acceptamus conventum de Soncino.

In provincia Dacie acceptamus locum in Elceciuch (3) sub titulo sancti Nicholai.

In provincia Regni conventum Materani de novo receptum (4). Damus licenciam provinciali dicte provincie, ut quoscumque voluerit, recipere libere possit.

Item. Incorporamus conventui Tholetano provincie Yspanie tanquam filium eiusdem conventus fratrem Iohannem de Curali sacre pagine magistrum, fratrem vero Garciam de Campeo bacchalarium, et Iohannem Harlos (5) conventui Civitatis Regalis eiusdem provincie consimiliter applicamus.

Sentencias iudicum approbamus, et eas quoad singula volumus infra mensem a noticia presencium suum sortiri effectum. Intimantes fratribus et conventui Malivicini provincie Tholosane, quatenus ad sequens generale capitulum per suum sindicum compareant ad medendum super nonnulla, que conventus Tholosanus intendit contra dictum conventum movere.

Iste sunt penitencie.

In primis quia frater Petrus de Gengenbach de provincia Theutonie, multa scandalosa et enormia in monasterio de sub tiliis (6) [et] ad la-

---

3) Haldusten] Halatumset AB.

---

(1) Uglian

(2) De quo conventu cf. BO. III, 296, n. LXXV.

(3) Legendum est « Helsingor » cf. Wedel-Iarlsberg l. c. pag. 47.

(4) Secundum quae suppleas *Anal.* III, 56.

(5) De fr. Ioanne Harlos cf. supra pag. 189.

(6) « Sub tiliis » monasterium Columbariense.

pides (1) commisit, prout in diffinitorio informati fuimus, volentes secum pro ista vice misericorditer agere, declaramus esse et fuisse absolutum a vicariatu predictorum monasteriorum, et per presentes a prefato vicariatu absolvimus, mandantes eidem sub pena carceris et culpe gravioris, quam ipso facto incurrat opposicionem faciendo, quod de cetero non accedat ad illa duo monasteria, nec de eis se intromittat, aut ad unam dietam appropinquet civitatibus Basiliensi et Columbariensi. Sed ob contemplacionem domini ducis Ludovici per sex annos ipsum assignamus conventui Vormaciensi.

Item. Quia frater Petrus Strabech multa nefanda in conventu Bulzanensi commisit contra priorem et honestatem ordinis, ipsum consimiliter carceri adiudicamus, mandantes presidentibus universis, in quorum terminis dictum fratrem Petrum reperiri contigerit, ut eumdem carcerali custodie mancipare teneantur, nec eum sine licencia reverendissimi magistri ullatenus inde valeant liberare.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo in Christo patre et domino domino Martino divina providencia papa quinto, et pro bono statu sancte ecclesie, quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro sacro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino protectore ordinis nostri benefactore precipuo, cardinali de Banchraciis (2), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino Ludovico dei gracia archiepiscopo Arelatensi, ac gubernatore, qui amplissimas fecit eleemosinas in presenti capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis ac provincialibus et diffinitoribus presentis capituli, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino Nicholao episcopo Bononiensi, qui multas eleemosinas contulit nostro capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro magnifico domino Mantuano, qui eciam pinguem presenti capitulo fecit pictanciam, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo rege Romanorum, ac eius consorte ac liberis eorumdem, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimis dominis principibus et serenissimis regibus

---

(1) « Ad lapides » monasterium Basileense.

(2) De quo supra pag. 200.

Francie, Hispanie, Anglie, Aragonie, Portugallie, regni Sicilie, et eorum consortibus et filiis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo rege Polonie, et fratre suo illustrissimo magno duce Lituanie, videlicet Vitoldo, cum consortibus et filiis, nostri ordinis benefactoribus, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo patre et domino domino Iohanne episcopo Elnensi (1) nostri ordinis benefactore, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro congregacione beati Dominici, ac societate macellatorum Bononiensi, qui capitulo multas eleemosinas fecerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro quibusdam spectabilibus civibus, militibus et burgensibus, qui presenti capitulo amplas contulerunt eleemosinas, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendo provinciali huius provincie, priore Bononiensi fratre Iacobo de Peradello, ac aliis fratribus, qui precipue presentis capituli maximos labores pertulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendo vicario presentis capituli quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro omnibus aliis, qui presenti capitulo eleemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu nobilium de Hesalanis, et de Canetulo, et de Scapis, de Nucellis, de Mansoriis, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi magistri Leonardi (2) olim generalis nostri ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima pie memorie domini fratris Matthei de Ursinis (3) cardinalis nostri ordinis, qui perpetuam eleemosinam dimisit generali capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum et sororum nostri ordinis a precedente capitulo generali defunctorum, et eciam eorum, qui litteras beneficiorum habuerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima domini cardinalis Vivariensis (4), nuper defuncti, benefactoris ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

---

7) Elnensi] Heelmensi *cod. ms.*

---

(1) Ioanne scilicet de Casanova Ord. Praed., de quo SSOP. I, 791; Eubel l. c. 248 et XXXV, 15.

(2) Qui obiit Florentiae 1425 cf. MOPH. VII, 31.

(3) De quo supra pag. 179.

(4) Ioanne de Broniaco † 1426 febr. 16; Eubel l. c. XXX, 24.

Item. Pro qualibet missa superius notata clerici non sacerdotes septem psalmos, conversi vero quadraginta Pater noster et totidem Ave Maria.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Vallisoletanensi provincie Hyspanie in festo pentecostes ad duos annos celebrandum, et damus licenciam omnibus et singulis fratribus nostri ordinis venire volentibus, ut per tres dies ante locum capituli intrare possint propter indulgenciam, que in dicto capitulo est concessa. Precipimus autem et mandamus, ut singuli diffinitores presentis capituli acta bene correcta et sigillo signata reverendissimi vicarii presentis capituli ad suas provincias deferant, ac in eisdem, prout moris est, publicari faciant et annunciari.

Expliciunt acta capituli generalis Bononie celebrati anno, die, mense, quibus supra.

Locus ✠ Sigilli.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD COLONIAM PROVINCIE THEUTONIE CELEBRATI IN FESTO PENTECOSTES DIE ·XXIII°· MENSIS MAII ANNO DOMINI ·M°·CCCC°·XXVIII°·

Sub reverendissimo patre sacre theologie professore fratre Bartholomeo Texerii de Draghignano (1) provincie Provencie, tocius ordinis predicatore generali magistro; diffinientibus reverendis prioribus provincialibus provinciarum.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis a divino cultu exordium sumentes, volumus et ordinamus, ut totum divinum officium diurnum pariter et nocturnum, tam de tempore quam de beatissima virgine in conventibus singulis nostri ordinis distincte, cum pausa in medio versus, breviter et succincte dicatur et in nota ordinis, sicut in nostris constitucionibus est notatum.

Statuentes, ut ab officio beatissime virginis, quod in nocte dicitur in dormitorio, nullus remaneat nisi magna urgente necessitate, volentes nihilominus divinum officium in domibus nostris, ubi ad hoc sufficiens fratrum numerus inveniatur, de die et in nocte cantari a fratribus omnibus festo simplici et supra; a choro neminem excipi volumus, nisi causa corporalis infirmitatis vel predicacionis vel scholasticorum actuum de licencia presidentis. Mandantes prioribus et presidentibus conventuum universis, quatenus negligentes pariter puniant et quod eos faciant hanc

(1) De fr. Bartholomaeo Texerii cf. supra pag. 194.

ordinacionem inviolabiliter observare; et si qui horas dicere omittentes reperti fuerint, illos ad terram sedendo in prandio sequenti recitari compellant.

Volumus insuper et declaramus, quod nullus, eo quod fuerit studens Parisiensis, prior seu lector in aliquo conventu, ab hebdomadaria seu divino officio sit exemptus, nisi in dictis conventibus vigeat studium generale. Decernentes et declarantes, fratres omnes ad sacros ordines ante tempus a iure taxatum et statutum promotos fore suspensos; et nihilominus stricte inhibentes, ut de cetero, nisi de moribus, sciencia ac etate plenius constet, super quibus diligencius examinandis presidencium consciencias oneramus, fratres ad sacros ordines suscipiendos aliqualiter admittantur.

Item. Regularem vitam in nostro ordine reducere et cassatam nostram religionem reformare cupientes, presidentibus imponimus universis, ut, quemadmodum in precedenti capitulo generali extitit ordinatum, secundum nostrarum seriem constitucionum fratres singulos in victu et vestitu, silencio et ceteris omnibus, sermone, opere ac exemplo, seriosius sine simulacione ad vivendum inducant pariter et adstringant, rebelles et contumaces ac contradictorios durius secundum eorum demerita puniendo. Super quibus indefectibiliter exequendis presidentes per seipsos vel visitatores vel vicarios in singulis suarum provinciarum conventibus sollicite ordinent et inquirant, si fratres in pace continui, in studio assidui, in predicacione ferventes, que de eis fama, qui fructus, si in victu et vestitu et in aliis secundum nostrarum seriem constitucionum ordo servatur; exhortantes reverendissimum magistrum et quemlibet provincialem, quatenus in unaquaque provincia conventus aliquos presertim reformare taliter studeant pariter et intendant, quod in eisdem regule et constituciones nostre plene serventur.

Item. Ordinacionibus multorum conventuum nostri ordinis obviare volentes, nolumus, quod de cetero fratres in cameris extra dormitorium de nocte dormiant, aut in eisdem per se vel cum secularibus comedere presumant, causa infirmitatis excepta et de licencia presidentis; oppositum vero facientes sint suis cameris privati, quas in usum communitatis simpliciter deputamus.

Adiicientes, ut semel in anno fratres nostri omnia bona eis ad usum concessa in scriptis dare teneantur cum effectu presidentibus suis, quibus nihilominus districte mandamus, ut circa iuvenes et novicios recipiendos ac in moribus et sciencia educandos curam adhibeant diligentem.

Item. Quia nonnulli sue salutis immemores per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas presidencium correctiones et ordi-

---

2) sequenti recitare] sedere *cod. ms.* — 22) predicacione] edificacione *cod. ms.*

naciones impedire et fugere non verentur, omnes et singuli taliter delinquentes penam carceris ipso facto incurrant. Idem intelligentes de iis, qui apud personas seculares fratres vel ordinem notabiliter ex proposito, iudicio prelatorum, diffamare presumpserint, vel adversus prelatos conspiracionem faciunt, qui secundum nostrarum seriem constitucionum penam culpe gravioris incurrunt, et de cetero in omni vita sua extremum locum sui ordinis tenere debent. Districte mandantes prioribus universis, quatenus huiusmodi transgressoribus, postquam eis constiterit legitime, predictam penam infligant sine defectu, alioquin a suis prioratibus per provinciales suos absolvantur in penam.

Item. Cum in nostris constitucionibus inhibeatur fratribus nostris, ne ponendo os in celum detrahant clericis aut religiosis aliis, mandamus presidentibus nostri ordinis universis, quatenus contravenientes acriter puniant, taliter quod se emendent; et si pertinaces fuerint, ipsos ex nunc officio predicacionis, audiencia confessionum et omnibus graciis ordinis privamus, donec iudicio sui presidentis plene correcti fuerint et emendati.

Adiicientes, quod idem intelligatur de detrahentibus in predicacionibus suis prelatis et principibus locorum atque terrarum.

Item. Ne fratres nostri, qui paupertatem voluntariam devoverunt, in dedecus ordinis et suarum animarum detrimentum in lucris sive mercanciis quomodolibet occupentur, et dum prelati impunitos relinquunt, subditi damnacionem acquirant, sub pena absolucionis a suis officiis mandamus presidentibus nostri ordinis quibuscumque, quatenus, si quos fratres mercimoniis et rebus vendendis vel emendis aut consimilibus repererint implicari, illos quamcicius bonis talibus quibuscumque privare, et conventibus eorum pro necessariis sacristie vel librarie illa bona vendendo, pecunias deputare et consignare teneantur; si autem presidens vel prior fuerit, per prelatum superiorem ad penam consimilem arceatur et nichilominus a suo officio absolvatur. Si quis autem quod deus avertat, in usuris vel aliis illicitis contractibus quovis modo corruisse scienter deprehensus fuerit, talis, cuiuscumque gradus, status vel condicionis existat, preter privacionem omnium, que detinet, de quibus facta restitucione debita, sacristie vel librarie de residuo provideatur, carcerali custodie inviolabiliter mancipetur; unde nec liberari possit sine reverendissimi magistri ordinis vel provincialis sui licencia speciali.

Item. Quorumdam temeritatem deum pre oculis non habencium compescere et delere cupientes, qui fratribus recollectis regulam et constituciones servare intentis detrahere non metuant, quos debent affectuose diligere et charitative fovere, exhorrentes miseri sanctum regularis observancie nomen tam in scriptura quam in nostris constitucionibus honoratum, et titulo magistro ordinis in salutacionibus debito et reverenter

assumpto, omnes et singulos tali verbo, opere, seu quocumque alio modo fratribus sic regulariter viventibus et vivere affectantibus impedimentum, molestias, subsannaciones ex hoc quomodolibet inferentes, tamquam religionis inimicos et nostri ordinis destructores voce privamus et privatos esse denunciamus.

Mandantes insuper presidentibus, in quorum conventibus tales, ut predictum est, delinquere contigerit, quatenus eos, cuiuscumque status et condicionis existant, penam gravioris culpe per dies octo inviolabiliter facere compellant. Ipsi autem diligenter caveant, ne ceteros fratres infament extra ordinem; nec dicant eos esse fratres de proprietate aut non esse in statu salutis; alioquin pena consimili puniantur.

Item. Vagos fratrum discursus in curia Romana compescere volentes (et) singulis fratribus nostri ordinis sub pena carceris prohibemus, ne aliquis ad Romanam curiam accedat, nisi licenciam a reverendissimo magistro vel a suo priore provinciali in scriptis ac cappam ordinis habeat, et expressam causam sui accessus in littera deferat. Quam, cum curiam primo intraverit, infra diem naturalem procuratori ordinis ostendere et seipsum presentare teneatur. Nec causam aliquam valeat incipere, prosequi vel tractare nisi de procuratoris prefati consilio et assensu; eidem procuratori mandantes, ut si quem huic ordinacioni in aliquo premissorum quomodolibet contravenire repererit, ipsum carceribus mancipet indilate.

Auctoritatem nichilominus eidem patri procuratori concedentes, ut omnem procuratorem cuiusvis conventus, loci, sive persone aut conventuum, locorum, sive personarum ordini subiectarum, ad curiam accedencium vel in curia existencium, ne in causa aliqua procedat, interdicere et de sua procuracione possit simpliciter revocare, quandocumque eidem pro utilitate ordinis seu eiusdem fratris videbitur expedire; ipsosque et omnes alios fratres, quando ei visum fuerit, valeat licenciare et expellere, et nolentes recedere, postquam iusserit, incarcerare ac eos, quamdiu sibi videbitur, retinere.

Adiicientes, quod nullus frater de provincia ad provinciam sine littera testimoniali reverendissimi magistri ordinis vel sui provincialis aut vicarii provincialis accedere quovis modo presumat.

Contravenientes vero in alienis provinciis non recipiantur, sed presidentes, ad quorum terminos venerint, ad suas provincias ipsos redire compellant; alioquin donec ipsos expulerint de suis conventibus, a suo presidencie officio sint suspensi. Adiicientes, quod si qui in alienis terminis sine licencia presidentis, ad quem spectant termini illi, questum facere presumpserint, ab eodem presidente carceri mancipentur.

Item. Quia patres nostri ad edificacionem proximorum de vestitu

seriosius solliciti extiterunt ad pompas et fastus a nostro ordine submovendos, volumus et ordinamus, ut nullus cappas tunicas excedentes audeat de cetero portare, sed eas exemplariter et religiose deferat tunicis breviores; si quis autem a noticia presencium infra quindecim dies contravenerit, sit ipsa tali cappa privatus; quam presidens suus in utilitatem communitatis sive noviciorum convertere teneatur, super quo presidencium consciencias oneramus.

Item. Ne bona conventuum leviter distrahantur, volumus et ordinamus, quod nullus presidens aut vicarius conventus aut nacionis, vel eciam frater, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, libros, calices, paramenta, possessiones, redditus seu alia bona conventus vendere, distrahere aut alienare presumat, nec nova edificia sumptuosa erigere sine speciali licencia expressa reverendissimi magistri ordinis aut sui provincialis; contravenientes vero penam carceris et privacionem omnium bonorum ad usum concessorum incurrant ipso facto.

Iste sunt denunciaciones.

Inprimis denunciamus, quod per reverendos provinciales, nemine discrepante, ordinatum fuit in capitulo precedenti (1), quod pro expensis necessariis reverendissimi magistri ordinis et eius familie fiat hoc modo provisio: videlicet, quod reverendissimo magistro ordinis et eius familie, dum transit de conventu ad conventum, ipsi conventus per terminos suos in via, et quilibet conventus, in quo moram traxerit non visitando, solum per tres dies, visitando vero per octo expensas necessarias facere teneatur; toto autem reliquo tempore totus ordo dictas expensas faciat per hunc modum, quod videlicet provincialis provincie, in qua contigerit prefatum reverendissimum moram facere, expensas predictas eidem ministret de bonis provincie, de quibus in capitulo generali immediate sequenti fiat fidelis computacio per provinciales ac diffinitores aut socios earumdem provinciarum, omnesque reliqui provinciales seu diffinitores et socii aliarum provinciarum teneantur pro rata sua predictis provincialibus, diffinitoribus aut sociis provinciarum, que expensas predictas fecerint, in eodem capitulo plene satisfacere.

Adiicientes, quod pro visitacione tantum detur reverendissimo magistro ordinis a conventibus, quos visitabit, quantum idem conventus suis provincialibus in visitacione dare consuevit, et ultra illud unum florenum de camera tantum.

Iste sunt declaraciones.

Inprimis hanc in capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: quod diffinitores capituli generalis aut ele-

---

(1) Cf. supra pag. 174 l. 20 sqq.

ctores magistri ordinis solum de suis provinciis assumantur, dicimus, quod alicuius fratris provincia dicitur, pro qua professus est, aut ad quam per generale capitulum vel reverendissimum magistrum ordinis non solum assignatus, sed simpliciter est translatus.

Iste sunt assignaciones.

Inprimis conventui Bononiensi provincie sancti Dominici in regentem fratrem Leonardum de Utino (1) sacre theologie professorem, cuius lecturam approbamus. Ad legendum tercium et quartum sentenciarum pro forma et gradu magisterii pro primo anno assignamus fratrem Andream de Iodisco de Sicilia, cuius lecturam approbamus, cui substituimus fratrem Marcum de Laude (2) eiusdem provincie. Ad legendum vero bibliam pro primo anno fratrem Ludovicum Tori de Pisis Romane provincie, cui substituimus fratrem Nicholaum de Benevento provincie Regni. Pro secundo fratrem Andream de Pontecurono, cui substituimus fratrem Iacobum de Theremo. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Andream predictum, cui substituimus fratrem Antonium de Vercellis, pro secundo vero anno fratrem Antonium predictum.

Iste sunt commissiones.

In primis committimus reverendis provincialibus studia generalia in suis provinciis habentibus, ut si quos de assignatis in presentibus actis mori aut alias impediri contigerit, loco eorum valeant alios ponere et assignare.

Item. Committimus cuilibet reverendorum provincialium in hoc capitulo presencialiter existencium, quatenus possint quatuor fratres ad gracias ordinis restituere.

Item. Ad vitandam prolixitatem aliquas commissiones fecimus reverendissimo magistro ordinis, et volumus, quod simplici verbo seu litteris eius, in quibus dixerit sibi per presens diffinitorium aliqua (sibi) fuisse commissa, plena fides habeatur; et quod in ipsis litteris contenta eamdem habeant efficaciam et idem robur ac eamdem auctoritatem, ac si presentibus de verbo ad verbum essent inserta.

Iste sunt revocaciones.

In primis omnes vicariatus, exempciones, gracias et litteras hactenus per reverendissimum magistrum ordinis, seu per immediate precedens capitulum generale, aut per magistrum Ludovicum de Valeoleti (3) in eodem capitulo, seu per provincialem Hispanie in sua provincia cuicumque sub quacumque forma verborum concessas revocamus et sim-

---

(1) De fr. Leonardo de Utino cf. supra pag. 188.
(2) De fr. Marco de Laude ibid.
(3) De fr. Ludovico de Valleoliti cf. supra pag. 198.

pliciter annullamus, vicariatum peregrinancium et privilegia studencium in studiis generalibus dumtaxat excipientes.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Lugdunensi provincie Francie ad terminum [duorum annorum] in festo penthecostes celebrandum. Mandantes fratribus universis ordinis nostri, quatenus nullus, qui non fuerit de corpore capituli, ad ipsum accedat nisi de reverendissimi magistri ordinis aut prioris provincialis dicte provincie licencia speciali. Et nullus, exceptis diffinitoribus et sociis, intret locum capituli ante diem octavarum ascensionis domini.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD LUGDUNUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· XXXI°·

Sub reverendissimo sacre theologie professore fratre Bartolomeo Texerii (1) ordinis predicatorum generali magistro, existentibus diffinitoribus reverendis patribus

fratre Iohanne de Turre Cremata (2) magistro diffinitore Hispanie
fratre Iohanne de Alabaustro bacchalario diffinitore Tolosano
fratre Guillelmo Merriti diffinitore provincie Francie
fratre Angelo de Bononia magistro diffinitore provincie sancti Dominici
fratre Paulo Thoma de Urbeveteri (3) diffinitori provincie Romane
fratre Iacobo de Regno (4) magistro diffinitore regni Cicilie
fratre Henrico Banbrech (5) magistro diffinitore provincie Theutonie
fratre Petro Cochinter magistro diffinitore provincie Polonie
fratre Gregorio lectore Stoccilomenz (!) diffinitore provincie Dacie
fratre Andrea Ros (6) magistro diffinitore provincie Aragonie
fratre Carolo priore Brodensi diffinitore Bohemie
fratre Raymundo Iuliani magistro et diffinitore provincie Provincie
fratre Hubertino inquisitore Cumarum diffinitore provincie Lombardie

28) Brodensi] Baderz A.

(1) De fr. Bartholomaeo Texerii cf. supra pag. 202.

(2) De fr. Ioanne de Turrecremata cf. SSOP. I, 873 sqq. et Funk *Kath. Kirchenlexicon* Freiburg 1899 *sub* Torquemada.

(3) De fr. Paulo Urbeveteri cf. supra pag. 193.

(4) De fr. Iacobo de Regno cf. l. c. pag. 188.

(5) Forte « de Bamberch ».

(6) De fr. Andrea Ros cf. supra pag. 164.

fratre Conrado Westhusensi (1) magistro diffinitore provincie Saxonie
fratre Simone iuniore de Sibinico diffinitore Dalmacie
fratre Francisco Pipi magistro diffinitore Trinacrie
fratre Ioanne de Anta diffinitore Portugallie.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: ea vero, que acquisierunt tempore provincialatus, ad provincias, quarum erant priores, spectabunt, addatur: relicta autem per reverendissimum magistrum ordinis, que acquisivit in magisterio, pro medietate sint conventus sui originalis; alia vero medietas ad commune ordinis bonum pertineat; que eciam medio tempore observetur; et hec habet duo capitula.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis a divinis exordium assumentes universos fratres ordinis astringimus et monemus, ut officium diurnum pariter et nocturnum in singulis domibus nostris devote dicatur, distincte, breviter et succinte in nota ordinis, aliter non cantantes, quam legerint esse cantandum; inclinantes profunde usque ad genua, aliasque in choro cerimonias uniformiter observantes, sicut est in nostris constitucionibus prenotatum. Sed et silencium locis et temporibus interdictum maxime in primo claustro et dormitorio presidentes faciant indefectibiliter observari delinquentesque puniant ad condignum; si quis autem in sacris constitutus officium plene non dixerit, a susceptis ordinibus sit ipso facto suspensus, nec valeat ulterius promoveri, donec iudicio sui prioris evidenter emendatus agnoscatur et bene dispositus in futurum. Adiicientes, ut omnes sacriste conventuum pro tempore deputati circa reverenciam sanctissimi corporis domini nostri, et luminaria ante altare tenenda ac mundiciam mapparum, paramentorum et aliorum, que ad cultum spectant divinum, curam et sollicitudinem cum omni honore adhibeant diligenter; super quibus priores provinciales seu visitatores vigilanter inquirant et delinquentes puniant ad condignum. Similiter ab execucione susceptorum ordinum suspendant quoscumque ante tempus a iure statutum promotos, quibus in sua provincia provincialis dumtaxat per se vel vicarium licenciam dare possit; super quibus omnibus eorum consciencias oneramus.

Item. Quia, ubi maius imminet periculum, ibi caucius est agendum, volumus et sic mandamus firmiter observari, quatenus nullus ad predicandum extraneis, seu confessiones audiendum admittatur, nisi prius

4) Anta] Sincia AB.

(1) De fr. Conrado Westhusensi cf. supra pag. 191.

per priorem provincialem vel aliquem religiosum et seniorem fratrem, cui hoc per prelatum provincie vel reverendissimum magistrum ordinis commissum fuerit, sit diligenter examinatus de vite honestate, sufficiencia litterarum, et qui discernere sciat inter lepram et lepram, et casuum reservatorum et non reservatorum distinctionem agnoscat, et aliis circumstanciis debitis sit imbutus. Oppositum autem facere non verentes graciis ordinis sint privati, et nihilominus per dies quindecim sustineant penam culpe debitam graviori. Audiencia autem confessionum fratrum nonnisi maturis et discretis fratribus concedatur.

Item. Quorumdam magistrorum et fratrum privilegiatorum, per quorum exempla fratres alii et praesertim iuvenes ab acquirendo virtutibus retrahuntur, nequiciis obviare cupientes, presenti statuto mandamus inviolabiliter observandum, quatenus magistri, licenciati, bacchalarii, doctores, lectores aut alias in nostro ordine exempti, qui in lectionibus seu predicacionibus, consiliis, vel confessionum audiencie, vel studio seu libris et tractatibus componendis non vacaverint, aut aliis honestis et meritoriis exerciciis nisi essent pro utilitate conventuum ad disponenda temporalia instituti, ab annotacione missarum in tabula, sequela chori et aliis officiis infra conventum nullatenus excusentur, sed suis privilegiis inviolabiliter tandiu sint privati, quousque iudicio presidencium emendam fecerint sufficientem. Volentes nihilominus fratres, qui verbum dei sufficienter proponere nesciunt, pro non predicatoribus generalibus haberi et quod eciam ii, qui sufficientes fuerint ad seriem ad minimum conventuum, ut cavetur in constitucionibus, per provinciale capitulum reducantur, omnesque ad legendum pro forma assignati et assignandi cursum ad minus quatuor annorum compleant, sicut in precedenti capitulo extitit ordinatum, et magistralem licenciam recipere non possint, nisi sint ad minus annorum triginta, nec extra conventus nostros de cetero aliquis promoveatur aut in quocumque loco collegiato aut alias legere valeat, illis dumtaxat exceptis, qui sentencias in collegiis actualiter inceperunt et ente presens capitulum principiaverunt. Sed et de cetero promovendi testimonium habeant sue provincie et capituli provincialis. Rogantes reverendissimum magistrum ordinis et sibi, quantum possumus, manus claudentes, ne huic ordinacioni quoquomodo contra veniat eamque in sequentibus capitulis authoritate apostolica faciat confirmari, presertim cum sanctissimus papa noster ad hoc videatur efficaciter inclinatus. Oppositum facientes et huic statuto in quavis predictarum clausularum contravenientes gradu magisterii perpetuo privamus.

Item. Paupertatem voluntariam in nostro ordine observare volentes, statuimus, ut anno quolibet circa festum omnium sanctorum fratres pecunias, libros et quecumque bona habuerint non solam scripto, sed ef-

fectualiter priori conventus presentare teneantur, cuius arbitrio de presenti sint consilio disponenda, ita videlicet, ut de mutuis et debitis in expensis unum florenum de camera excedentibus prelato constet, et eo conscio in rebus licitis et necessariis fiant expense, ut fratres, qui notabiliter usu rerum excellunt, teneantur ad conventus sui utilitatem, ut presidenti videbitur, partem consignare; nec vasibus argenteis fratres nostri de cetero abutantur; alioquin sint ipsis bonis privati, que ex nunc utilitati sacristie et librarie simpliciter applicamus.

Item. Cum per nonnullorum ambicionem temerariam, qui ad pontificalem cathedram anhelant, ordo noster in Romana curia est multipliciter diffamatus, et per quosdam, qui assumpti sunt, bonis temporalibus expoliatus, precipimus in virtute sancte obediencie presidentibus nostri ordinis universis, ut cum primo de alicuius fratris huiusmodi previsa imaginacione, qui scilicet promoveri aut alias extra obedienciam ordinis vivere seu conversari procurat, mox bona illi ad usum concessa pro viribus auferant seu auferri faciant, quorum medietatem in relevacionem sacristie conventus nativi, aliam vero medietatem pro expensis ordinis et provincie simpliciter deputamus. Et insuper fratrem talem, cuiuscumque gradus et condicionis existat, per sex menses carceribus faciant mancipari, et si provinciales fuerint, per reverendissimum magistrum ordinis similiter puniantur.

Item. Reformacionem nostri ordinis procurare intendentes, presertim et mundi pericula et mala, que currunt, tempora nos invitant, ymmo ad ipsius novitatem compellunt, prioribus, provincialibus et vicariis societatis peregrinancium, et maxime iis, qui negligentes aut tepidi hactenus extiterunt, districte mandamus presencium per tenorem, ut secundum regulam et constituciones nostras et ipsi vivere studeant, et subditos gravibus monitis et exemplis ad vivendum inducant atque, ut id apcius et commodius fiat, conventus aliquos de sibi subiectis ad canonice religionis observancias reparent et exaltent ac bonas fratrum voluntates non desinant confovere, ut et merito et numero eorum series et propositum augeatur. Adiicientes, ut diffinitores capitulorum provincialium et visitatores instituendi tales eligantur, qui religionem diligant et zelum ordinis habeant et ostendant verbo pariter et exemplo; nec provincialis, dum magister reverendissimus visitat, nec visitatores, dum provinciales visitaverint, visitare teneantur aut debeant.

Item. Cum ordo noster specialiter ob predicacionem et animarum salutem noscatur institutus fuisse, ad quod studium et devocio immediacius ordinantur, multeque provincie in utrisque notabiliter deficere videantur, prioribus provincialibus iniungimus universis, quatenus in singulis suarum provinciarum conventibus fratrem vel secularem teneri fa-

ciant, a quo iuniores in grammaticalibus instruantur, et in qualibet nacione ad minus duo vel unus conventus deputentur, in quibus theologiam et artes fratres idonei illico assignandi audire possint et efficaciter informari, et ex consequenti retrahi ab excessibus, ad quos per ocium dilabuntur.

Item. Inhibemus fratribus nostris, ne in predicacione audeant detrahere religiosis vel prelatis, nec se quoquomodo de facto guerrarum intromittant, sed pro pace populorum et principum christianorum concordia deprecentur, honorando prelatos et religiosos, potissimum fratres minores caritatis affectu prosequendo; contrarium facientes pene carceris condemnamus. Mandantes, ut carceres fiant in nostri ordinis conventibus universis ad compescendam insolenciam perversorum, quodque priores et presidentes in locis communibus cum fratribus exacta diligencia studeant inveniri.

Item. Ordinaciones precedentis capituli tanquam utiles et racionabiles volumus in suo robore permanere, et presertim illam, que obviat discursibus fratrum ad Romanam curiam, que incipit: Item vagos fratrum discursus etc.; volentes nichilominus, ut promoti aut promovendi nonnisi per reverendissimum magistrum ordinis ad insignia magistralia licenciari possint.

Iste sunt assignaciones.

Item. Conventui Parisiensi provincie Francie ad legendum sentencias in magnis scholis pro anno primo assignamus pro forma et gradu magisterii fratrem Petrum Viveti provincie Francie, cui substituimus fratrem Ioannem Ade eiusdem provincie; pro secundo anno extraneis debito fratrem Leonardum de Ianua provincie Lombardie, cui substituimus fratrem Ioannem de Ponte (1) conventus Metensis provincie Francie. In parvis scholis pro primo anno fratrem Guilielmum Scutiferi conventus Redonensis eiusdem provincie, pro secundo vero anno in eisdem scholis fratrem Ivonem Nurbui (!) prefate provincie, cui substituimus fratrem Nicholaum Iacirii (2). Ad legendum vero bibliam pro duobus annis sequentibus fratrem Petrum Turluri (3), cui substituimus fratrem Guilielmum Marquerii, ambos provincie Francie, et ibidem fratrem Ioannem Givois conventus Claromontensis pro studente honoris.

Item. Conventui Tholosano provincie Tholosane ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Arnaldum de Argelosa, cui substituimus

24) Petrum] Ioannem AB.

(1) De fr. Ioanne de Ponte cf. supra pag. 186.

(2) «Iacirii» forte «Suni», de quo supra pag. 187.

(3) De fr. Petro Turluri cf. Denifle l. c. pag. 409 not.

fratrem Iacobum Carpentarii. Pro secundo anno fratrem Stephanum Chauzelmi; in magistrum studencium pro primo anno immediate sequenti extraneis debito fratrem Petrum Andree provincie Francie, cui substituimus fratrem Arnaldum supradictum; pro secundo anno fratrem Arnaldum predictum; ad legendum sentencias pro primo anno immediate sequenti intraneis debito pro forma et gradu fratrem Ioannem de Alabaustro (1) diffinitorem presentis capituli, cui licenciam damus perfecta lectura insignia magistralia suscipiendi. Pro secundo anno extraneis debito fratrem Petrum Andree supradictum; cui substituimus fratrem Arnaldum predictum; pro tercio anno extraneis debito assignamus in magistrum studencium fratrem Thomam de Nongento provincie Francie; ad legendum sentencias fratrem Arnaldum de Argelosa, et quia prefatus Thomas de Nongento legit bibliam in universitate Dolensi, ipsum Tholose per duos annos immediate sequentes studentem honoris deputamus. Item pro anno immediate sequenti ibidem assignamus pro studente honoris fratrem Benedictum Valentini provincie Francie.

Item. Conventui Bononiensi provincie sancti Dominici damus in regentem fratrem Leonardum de Utino (2) sacre theologie magistrum; ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno fratrem Marcum de Laude (3) provincie Lombardie, cui substituimus fratrem Dominicum de Dyrrachio (4) provincie Dalmacie. Pro lectura biblie assignamus pro primo anno fratrem Dominicum dictum de Catalonia (5). Pro secundo fratrem Iacobum de Theramo provincie Regni, cui substituimus fratrem Petrum de Neapoli; in magistrum studencium pro primo anno fratrem Conradum de Ast (6), cui substituimus fratrem Ioannem de Calabria; pro secundo anno fratrem Bartholomeum de Mediolano, cui substituimus fratrem Thomam de Neapoli; pro tercio anno fratrem Thomam predictum; lecturam fratris Andree de Iodisco de Sicilia (7) approbamus.

Item. Conventui Oxoniensi provincie Anglie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno fratrem Berengarium de Portulis provincie Aragonie, cui substituimus fratrem Simonem de Sicilia

---

13) Dolensi] Dolana AB. — 28) Iodisco] Iudisa AB.

---

(1) De fr. Ioanne Alabaustro cf. supra pag. 208.
(2) De fr. Leonardo de Utino cf. supra pag. 207.
(3) De fr. Marco de Laude cf. ibid.
(4) De fr. Dominico de Durachio cf. supra pag. 190.
(5) De fr. Dominico de Catalonia cf. SSOP. I, 808.
(6) De fr. Conrado de Ast cf. l. c. pag. 821.
(7) De fr. Andrea de Sicilia cf. supra pag. 188, 207.

et fratrem Petrum de Eremia, ambos provincie Trinacrie; pro secundo anno assignamus fratrem Laurencium de Algarbio provincie Portugallie, cui substituimus fratrem Franciscum de Monopolo provincie regni Sicilie. Ad legendum bibliam pro primo anno extraneis debito fratrem Nicholaum de Duvelandia provincie Saxonie, cui substituimus fratrem Antonium de Licio provincie regni Sicilie. Assignamus ibidem pro studente theologie fratrem Arnaldum Azneti conventus Burdegalensis.

Item. Conventui Cantabrigie provincie Anglie ad legendum bibliam pro forma et gradu magisterii fratrem Simonem de Peis, cui substituimus fratrem Bernardum Vinseniensem provincie Saxonie; ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Matheum de Caramanico (1) provincie Regni, cui substituimus fratrem Iacominum de Maiorica provincie Aragonie; pro secundo anno ad legendum bibliam ibidem fratrem Ioannem Guardi conventus Maioricensis provincie Aragonie, cui substituimus fratrem Franciscum de Rubeo provincie Trinacrie.

Item. Conventui Florentino provincie Romane damus in regentem magistrum Raymundum de Florencia, qui, postquam frater Thomas de Nuceria (2) licenciatus fuerit et magistratus, cuius lecturam et licenciam approbamus, in eius absencia regens existat. Ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Dominicum de Monterapoli, cui substituimus fratrem Thomam de Quaterssetanis ambos; ad legendum bibliam fratrem Thomam predictum, cui substituimus fratrem Nicholaum de Quintavalle provincie Regni; pro secundo fratrem Nicholaum predictum; in magistrum studencium fratrem Bartholomeum de Rusico provincie Trinacrie, cui substituimus fratrem Thomam de Eugubio; pro secundo fratrem Thomam predictum, cui substituimus fratrem Dominicum de Urbeveteri.

Item. In sacro palacio assignamus ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Blasium de sancta Engracia provincie Aragonie, cui substituimus fratrem Berengarium de Portulis eiusdem provincie.

Item. Conventui Coloniensi provincie Theutonie damus in regentem magistrum Iohannem Viningen (3); ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Conradum Hersfant provincie Theutonie, cui substituimus fratrem Issebrandum Hien provincie Saxonie; pro secundo anno fratrem Issebran-

21) *post* ambos *desunt duo verba, forte* provincie Romane — 27) Urbeveteri] Urbinensem B.

(1) De fr. Matthaeo de Caramanico cf. supra pag. 189, 191.
(2) De fr. Thoma de Nuceria cf. supra pag. 187.
(3) De fr. Ioanne Winingen cf. SSOP. I, 807.

dum predictum, cui substituimus fratrem Guillelmum Frisensem. In magistrum studencium assignamus fratrem Iohannem de Sicilia bacalarium formatum, cuius lecturam sentenciarum approbamus.

Item. Conventui Argentinensi dicte provincie damus in regentem magistrum Hugonem de Henen (1) eiusdem conventus.

Item. Conventui Viennensi eiusdem provincie damus in regentem magistrum Henricum Rostoch (2); ad legendum bibliam fratrem Iohannem Scielec eiusdem provincie; ad legendum sentencias ibidem pro forma et gradu magisterii fratrem Benvenutum de Calvarico provinciale regni Sicilie.

Item. Conventui Paduano provincie sancti Dominici damus in regentem magistrum Baptistam de Fabriano (3) cuius lecturam approbamus; ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Paulum de Padua (4), cui substituimus fratrem Martinum de Parma, quem post ad legendum sentencias deputamus; ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Thomam de Ancona (5) cursorie; pro secundo fatrem Honofrium de Sumo, cui substituimus fratrem Ioachinum de Veneciis (6). In magistrum studencium fratrem Ioannem Andree de Verona; pro secundo fratrem Paulum de Bononia, quibus substituimus fratrem Baptistam de Firmo et Lucam de Aymerio.

Item. Conventui Barchinonensi provincie Aragonie damus in lectorem pro primo anno magistrum Andream Coralles (7); pro secundo magistrum Franciscum de Podio (8); ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Nicholaum Fortes, omnes eiusdem provincie.

Item. Conventui Erfordiensi provincie Saxonie damus in regentem magistrum Conradum Westusensem (9), diffinitorem presentis capituli; ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii pro duobus annis immediate sequentibus fratres Sanderum Heclesse (10) et Ioannem de Vessa, quorum lecturam biblie approbamus. Ad legendum vero bibliam pro eadem forma pro primo anno fratrem Hermannum Corner (11),

16) Honofrium] Iohannem B. — 30) Hermannum] Germanum AB. — Corner] Carner AB.

(1) De fr. Hugone (Agni) cf. supra pag. 190.
(2) De fr. Henrico Rostoch cf. ibid.
(3) De fr. Baptista de Fabriano cf. supra pag. 188.
(4) De fr. Paulo de Padua cf. supra pag. 190.
(5) De fr. Thoma de Ancona cf. l. c.
(6) De fr. Ioachimo de Venetiis cf. supra pag. 192.
(7) De fr. Andrea Coralles cf. BO. II, 693 n. 239.
(8) De fr. Francisco de Podio cf. supra pag. 191.
(9) De fr. Conrado Westhusen. cf. l. c. et 209.
(10) De fr. Sandero Heclesse (Celsen) cf. supra pag. 191.
(11) De fr. Hermanno Corner cf. l. c.

cui substituimus fratrem Hermannum Proteguer; pro secundo anno fratrem Bartholomeum Gotrenerii, cui substituimus fratres Andream Brudeganen. Henricum Hornaborch (1) et Fredericum Molitotis, omnes provincie Saxonie.

Item. Conventui Magdeburgensi provincie Saxonie pro primo anno damus in lectorem fratrem Nicholaum de Zelandia; pro secundo vero anno fratrem Petrum Grevestensem, sacre pagine magistrum; ad legendum sentencias cursorie pro primo anno fratrem Ulricum Vildeshusensem; pro secundo vero anno fratrem Hermannum Utruguensem; in magistrum studencium pro primo anno fratrem Hermannum predictum; pro secundo fratrem Nicholaum Quinguehin, omnes provincie Saxonie.

Item. Conventui Cracoviensi provincie Polonie damus in regentem fratrem Hermannum Bustronerii sacre theologie professorem, quem a prioratu Slupestadensi et vicariatu contrate Cassubie absolvimus per presentes. Ad legendum vero sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Michaelem Turgabert, pro secundo anno fratrem Andream Venatoris. Ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Andream Venatoris; pro secundo fratrem Andream Sossensem lectorem Stolpensem, quem pro primo anno ibidem in magistrum studencium assignamus; pro secundo anno in magistrum studencium assignamus fratrem Antonium Tralet eiusdem provincie; lecturam fratris Nicholai Faloabert approbamus.

Item. Conventui Neapolitano provincie Regni damus in regentem pro primo anno fratrem Thomam de Miseria in theologia licenciatum; pro secundo fratrem Nicholaum de Calvanico examinatum. Ad legendum sentencias pro primo anno fratrem Andream de Ponte curvo; pro secundo fratrem Franciscum de Monopolo, quem ibi pro anno presenti predicatorem assignamus. Ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Ioannem de Misteria; pro secundo fratrem Dominicum de Trano (2), omnes eiusdem provincie.

Item. Conventui Mediolanensi provincie Lombardie damus in regentem magistrum Raphaelem de Ianua (3); ad legendum sentencias cursorie fratrem Philippum de Brixia.

Item. Conventui Papiensi eiusdem provincie damus in regentem pro primo anno magistrum Baldonem de Ast (4); in magistrum studencium pro primo anno fratrem Ludovicum de Lura (5); ad legendum bibliam

---

13) contrate] conventus B. — 19) Tralet] Halet B. — 31) Brixia] Buxia B. — 33) Baldonem *om.* B.

---

(1) De fr. Henrico Hornaborch cf. supra pag. 191.
(2) De fr. Dominico de Trano cf. supra pag. 190.
(3) De fr. Raphaele de Ianua cf. supra pag. 192.
(4) De fr. Baldone de Ast cf. l. c.
(5) De fr. Ludovico de Lura cf. supra pag. 191.

pro primo anno fratrem Matheum de Modoecia; pro secundo fratrem Andream de Lapastina (1) provincie Trinacrie; ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Angelum de Mediolano.

Item. In conventu Montispessulani provincie Provincie damus in regentem magistrum Petrum Rufini eiusdem provincie. Ad legendam bibliam cursorie ad duos annos fratrem Ioannem de Bellovidere. In magistrum studencium fratrem Ioannem Gerardi Maioricensem provincie Aragonie; pro secundo fratrem Ioannem Avinentensem; ad legendum sentencias cursorie fratrem Ioannem Martini (2) provincie Provincie.

Item. Conventui Aquensi provincie Provincie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Andream Ugueti provincie Aragonie, cui substituimus fratrem Christophorum de Merlo provincie Lombardie.

Item. Conventui Avinionensi eiusdem provincie damus in regentem magistrum Ioannem de Goliarsis (3).

Item. Conventui Vallisoletano provincie Yspanie ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Ferdinandum de sancto Dominico Cordubensem assignamus, cui substituimus fratrem Gondisalvum de Oriuela; pro secundo anno fratrem Andream della Nava; ad legendum sentencias pro primo anno fratrem Ioannem Pautinum doctorem, cui substituimus fratrem Garciam de Cusanca; pro secundo anno fratrem Petrum de Boada, cui substituimus fratrem Egidium de Rupe fideli; in secundis scholis ad legendum sentencias assignamus fratrem Ioannem Tecani; pro secundo anno fratrem Ioannem de Anta provincie Portugallie, diffinitorem presentis capituli.

Item. Conventui Salamantino eiusdem provincie ad legendum bibliam pro duobus annis immediate sequentibus assignamus fratrem Alfonsum de Avia Xinzellensem, cui substituimus fratrem Petrum Silogismi; ad legendum sentencias pro duobus annis sequentibus fratrem Ferdinandum de Alba; in magistrum studencium fratrem Ioannem Lupi (4).

Item. Conventui et studio Perusino damus in regentem magistrum Gregorium de Gaeta (5) provincie Regni, quousque frater Nicholaus de Calvanico (6) provincie Regni fuerit magistratus, quem ex tunc regentem de-

11) Aquensi] Athensi AB. — 16) Goliarsis] Egoliarsis B. — 33) Gaeta] Sazeta A.

(1) De fr. Andrea de Lapastina cf. supra pag. 192.
(2) De fr. Ioanne Martini cf. l. c.
(3) De fr. Ioanne Goliarsis cf. l. c. pag. 183.
(4) De fr. Ioanne Lupi cf. SSOP. I, 826.
(5) De fr. Gregorio de Gaeta cf. supra pag. 170.
(6) De fr. Nicolao de Calvanico cf. supra pag. 216.

putamus, cuius lecturam approbamus; ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Leonardum de Sulmona, cui substituimus fratrem Venancium de Perusio et fratrem Ioannem de Prato; ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Ioannem predictum, cui substituimus fratrem Dominicum de Bitunto; pro secundo fratrem Angelum de Ficona, cui substituimus fratrem Leonem de Roma; in magistrum studencium pro primo anno fratrem Emmanuelem de Pera; pro secundo anno fratrem Lucam de Perusio, cui substituimus fratrem Ioannem de Castello.

Item. Conventui Lisbonensi provincie Portugallie damus in regentem pro primo anno fratrem Petrum de Cruce (1) magistrum, pro secundo anno magistrum Emmanuelem (2).

Iste sunt approbaciones.

Approbamus magisterium magistri Guidonis Flamocheti (3) in presenti capitulo magistrati, magistri Francisci de Podio (4) in Avinione, magistri Amandi de Valle (5), magistri Iacobi Egidii (6) in Montepessulano. Approbamus lecturam fratris Martini de sancta Maria et fratris Garcie de sancta Maria. In universitate Vallisoletana provincie Yspanie magistri Ioannis Scutiferi formularie factam in curia Romana, magistri Ioannis de Castro sancti Petri de Padua, Francisci Pipi (7) diffinitoris presentis capituli in Montepessulano, magistri Anthonii Belazai in Florencia, fratris Petri de Lupo de Sicilia in universitate Paduana, fratris Ioannis Rodria in universitate Tolosana, ac eidem concedimus, quod possit insignia magistralia authoritate apostolica recipere.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus et volumus, quod reverendissimus in Christo pater et dominus dominus cardinalis sancti Xisti Elnensis (8) propensus dilector nostri ordinis, assumptus ex ordine, et reverendissimi domini archiepiscopus Aquensis (9), episcopi Leonensis (10), Gratensis (11), Regensis (12),

6) Bitunto] Potento A. — Angelum] Archangelum B.

(1) De fr. Petro de Cruce cf. supra pag. 193.
(2) Forte idem est ac fr. Emmanuel Hispalensis, de quo supra pag. 160.
(3) De fr. Guidone Flammochetti cf. SSOP. I, 808.
(4) De fr. Francisco de Podio cf. supra pag. 215.
(5) De fr. Amando de Valle cf. supra pag. 190.
(6) De fr. Iacobo Egidii cf. l. c.
(7) De fr. Francisco Pipi cf. supra pag. 209.
(8) Ioannes scilicet de Casanova, de quo supra pag. 201 not. 1.
(9) Avinio, de quo cf. Eubel l. c. p. 97.
(10) Ioannes de s. Leone cf. l. c. pag. 315.
(11) Antonius de Romulis cf. l. c. pag. 278 et supra pag. 141.
(12) Michael de Boutiers cf. Eubel l. c. pag. 438.

Galipolensis (1), Magnus Troianus (2), omnes assumpti ab ordine, qui multum afficiuntur et student ordini pro posse, participes sint omnium suffragiorum ordinis et ubique cum debita reverencia suscipiantur.

Item. Fratres nostri capucia consuant, et honeste vestitus deferant, ut est in constitucionibus adnotatum.

Item. Denunciamus, quod statutum magistrandorum in theologia Padue circa regenciam servetur in nostro conventu, sicut in aliis religiosorum eiusdem universitatis conventibus debet observari.

Item. Denunciamus et observari districte mandamus, studentes intraneos Parisius assignatos pro bejaunio et omnibus quibuscumque expensis nonnisi in duabus coronis in posterum obligari, ne dissoluciones de cetero in bejauniis faciant; et qui oppositum facere attemptaverit, studio simpliciter sit privatus, strictius inhibentes, ne in provincia Francie fratres racione officiorum sive graduum, sermonum, disputacionum ac consimilium, ad que noviter assumuntur, pecuniam vel vinum aut alia iis solvant. Et ii, qui aliquem cogerint, sint ipso facto voce privati.

Item. Denunciamus fratribus nostri ordinis ex precepto reverendissimi domini legati apostolici in Alamannia, contra Hussitas ad hec plenam commissionem et authoritatem habentis, ordinatum esse, qualibet ebdomada unam missam pro reductione hereticorum boemorum, aut si converti noluerint, pro victoria exercitus fidelium ubique in nostris conventibus solemniter debere cantari, et ex parte eiusdem domini cardinalis legati singulis fratribus nostri ordinis, qui dixerint singulis diebus septem psalmos penitenciales cum letaniis et una oracione hereticorum, et alia pro victoria exercitus genibus flexis, aut si sacerdotes fuerint et maluerint missam cum dictis oracionibus celebrare, sexaginta dies indulgenciarum esse concessos; conversis et oblatis nostris utriusque sexus laicis, quibus hec predicata per nos fuerint, si dixerint viginti quinque pater noster et totidem ave Maria, easdem indulgencias fore indultas, propter quod cantandam missam iniungimus « salus populi », et eciam ad lucrandas dictas indulgencias omnes fratres ordinis exhortamur.

Item. Propter nonnullas incommoditates reverendissimo magistro et provincialibus ex modo profectionis et expensarum magistri ordinis et familie in precedenti capitulo factarum consequenter denunciamus, quod per

1) Magnus] Monmanus AB.

(1) Loco « Galipolensis » legendum esse arbitror « Caprulensis »; nam tunc temporis ecclesiae Galipolensi praefuit Donatus de Brundusi O. Min., Caprulensi vero Antonius de Cartusio O. Praed. EUBEL l. c. pag. 299 et pag. 160.

(2) Pontius Lauterii ep. Tioiae magnae in Asia min.; de quo l. c. pag. 528 et SSOP. I, pag. XXIV.

reverendissimos diffinitores una cum consilio provincialium in presenti capitulo, nemine discrepante, ordinatum est, quod pro dictis expensis ordinariis nostri reverendissimi magistri et tocius familie eius quilibet conventus ordinis a presenti capitulo deinceps medium ducatum de camera annuatim solvat, quam pecuniam provinciales pro rata suarum provinciarum semper circa festum nativitatis domini mittere teneantur.

Item. Denunciamus, quod si celebrabitur concilium generale, cum reverendissimus magister cum pluribus magistris et patribus pro bono statu et defensione privilegiorum et libertatum ordinis ibidem habeat interesse, ubi plurime et varie expense occurrent, nec dicta provisio sufficiet, ideo volumus, quod, durante concilio, quilibet conventus ordinis alium dimidium ducatum camere solvere teneatur annuatim, mandantes singulis provincialibus, quatenus fratres particulares, quos ad hoc abiles iudicaverint, inducant, ut de bonis eis ad usum concessis pro memoratis expensis concilii contribuant, cum prefata provisio unius ducati plene non sufficiat.

Iste sunt commissiones.

Item. Committimus magistro Ioanni Nider (1), priori Basiliensi provincie Theutonie, et magistro Guidoni Flamocheti priori Cambriaci provincie Francie, quod super diversitate rubricarum et constitucionum usque ad sequens capitulum videant, dissonancias concordent, et teneantur presentare diffinitoribus capituli generalis.

Item. Ad vitandam prolixitatem aliquas commissiones fecimus reverendissimo magistro ordinis, et volumus, quod simplici verbo seu litteris eius, in quibus dixerit, sibi per presens diffinitorium aliqua fuisse commissa, plena fides adhibeatur, et quod in ipsis litteris contenta eamdem habeant efficaciam et idem robur ac eamdem auctoritatem, ac si presentibus de verbo ad verbum essent incerta.

Item. Committimus reverendis diffinitoribus presentis capituli, quod quilibet valeat quatuor apostatas, cuiuscumque provincie sint, ad ordinem recipere vel quatuor fratres privatos ad gracias ordinis restituere.

Iste sunt declaraciones.

Item. Declaramus, quod in electione prioris provincialis, quando in congregacione occurrerit celebranda, debent predicatores generales admitti.

Item. Declaramus fratres conventuum ad illam provinciam pertinere, cuius fuerint ante divisionem provinciarum.

Iste sunt penitencie.

Item. Quia frater Elias Bodandi (2), magister conventus Lemovicensis

37) item — mancipari *om.* B.

(1) De fr. Ioanne Nider cf. supra pag. 190.

(2) De fr. Elia Bodandi cf. supra pag. 183; BO. II, 666 n. 197.

provincie Tholosane multa et enormia commisit, de quibus presenti diffinitorio manifeste constat per eius propriam confessionem, ipsum graciis magistralibus privamus et carceri perpetuo condemnamus et adiudicamus, precipientes provincialibus et ordinis nostri presidentibus universis, quatenus ubicumque in eorum provinciis, conventibus seu terminis poterit haberi, ipsum indilate sub firmo carceri nullatenus relaxandum faciant mancipari.

Item. Cnm frater Rodulphus Solbacensis provincie Theutonie enorme et gravissimum scandalum perpetraverit, ut toti diffinitorio plene costat, eum carceri perpetuo condemnamus.

Item. Iubemus fratribus nostris, ne aliquis predicacionem pro questibus racione cuiuscumque assumat, nisi per priorem provincialem in qualibet provincia, et per reverendissimum magistrum in toto ordine diligenti examinacione ad hoc licenciatus fuerit; oppositum facientes per provincialem, in cuius provincia predicaciones huiusmodi aut questus fecerint, carceribus mancipentur.

Item. Cum frater Didacus del Barco provincie Yspanie contra expressam inhibicionem reverendissimi magistri ordinis gradum magistralis assumpserit dignitatis, volumus eum pro non magistro in toto ordine reputari.

Item. Quia frater Didacus Toletanus eiusdem provincie fecit per seculares capi fratrem Gondisalvum de Oriuella (1) priorem Uetensem, et in capite atrociter vulneravit litteras provincialis et vicarii deferentem, per tres annos carceri, privando eum graciis ordinis, condemnamus.

Item. Quia frater Guillelmus Dulas magister conventus Valencenensis provincie Francie gravia commisit, ipsum graciis ordinis privamus, quousque se reverendissimo magistro ordinis personaliter representet.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Polonie, Dalmacie.

Absolvimus hos priores conventuales provincie Francie: Parisiensem, Aurelianensem, Nanciensem, Carnotensem, Remensem, Virdunensem, Bisutinensem, Claromontanensem, Lingoniensem, Lausannensem, Poliniacensem, Gracionopolitanensem, Montismiliani, sancti Flori, Insulensem, sancti Quintini, Atrebatensem, Blesensem, Pruvinensem, Pontensem, sancti Ioannis, Fontiniacensem, Xantonensem, Lexoviensem et Dinanensem.

Item. Denunciamus fratrem Ioannem de Alay non esse priorem conventus Vallisoletani provincie Yspanie, et ad cautelam absolvimus per presentes.

---

8) Item — condemnamus *om.* B. — 17) item — representet *om.* B. — 33) Pruvinensem] Pontiniacensem A.

---

(1) De fr. Gundisalvo de Oriuella cf. supra pag. 217.

Item. Absolvimus magistrum Martinum de Vico Armorum priorem Yspalensem.

Item. Absolvimus magistrum Guillelmum Torres priorem Barchinonensem provincie Aragonie.

Item. Priorem Urbevetanum provincie Romane.

Damus in vicarium provincie Polonie fratrem Ioannem Franquestensem (!) eiusdem provincie; in provincia Dalmacie fratrem Nicholaum Luce [de] Vegadia eiusdem provincie.

Acceptamus in provincia Provincie conventum Gapincensem (1) sub titulo beati Dominici, in provincia Trinacrie: serietice Corici (2), Caletanicepte (3), Leontinum (4), Tauromenii (5), acceptamus conventum Caviensem (6), qui utrum ad provinciam sancti Dominici aut Romanam pertineat, magister reverendissimus de commissione nostra in posterum determinabit.

Item. Acceptamus conventum martirii sancti Petri martiris provincie Lombardie.

Omnes autem sentencias iudicum et declaraciones per eos factas approbamus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro domino Eugenio papa quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino nostro protectore ordinis et benefactore ordinis precipuo, domino cardinali Placentino (7), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis dominis nostri ordinis benefactoribus singularibus dominis cardinalibus sancte Crucis (8), sancti Angeli (9), legatis apostolicis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino archiepiscopo Lugdunensi, et illustribus canonicis sancti Ioannis et aliis collegiis civitatis, quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) De fr. Ioanne Frankensteinio cf. SSOP. I, 803.

(2) « serietite Corici » forte corruptum pro « in terra Policii » cf. supra pag. 199.

(3) Calatanisettensis (Caltanisetta).

(4) Cf. supra pag. 199.

(5) Tauromenii (Taormina).

(6) Legendum esse arbitror « Tabiensem » de quo conventu cf. BO. III, 470 n. 41.

(7) Branda de Castillione, de quo cf. EUBEL l. c. XXXIV, 8.

(8) Nicolao de Albergatis, l. c. XXXV, 8.

(9) Iuliano de Caesarinis, l. c. XXXV, 14.

Item. Pro serenissimo domino rege Francorum, qui concessit notabilem eleemosinam capitulo, et tota domo eius, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro illustrissimis principibus dominis Burgundie, Britannie, Borbonii, Sabaudie, qui benefecerunt capitulo, uxoribus et liberis eorumdem, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimis dominabus dominabus connestabularia et marescalla, et aliis nobilibus dominabus, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro magnifico domino balivo huius notabilis civitatis Lugdunensis, uxore et liberis eius, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro honorabilibus civibus et civitis huius nobilis civitatis, et liberis eorumdem, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro collegiis et civibus civitatis Leodiensis, qui fecerunt notabilem eleemosinam capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis de parlamento, et ceteris habitatoribus ville Pictavensis, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro collegio et civibus civitatis Lausanensis, et pro villa de Vadio, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro civibus et habitatoribus ville Friburgi, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Ioanne Merito Colineto Anglici, et ceteris habitatoribus ville Rupellensis, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro honorabili viro Petro Enandi cive civitatis Lugdunensis, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro Rafaele [de] Cardona (1), qui pro magna parte recepit capitulum, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis et diffinitoribus capituli quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro magistro Ugone procuratore presentis capituli, et fratribus presentis conventus Lugdunensis, et aliis benefactoribus, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Primo pro anima felicis recordacionis pape Martini quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) De fr. Raphaele de Cardona cf. supra pag. 171.

Item. Pro anima domini Mathei de Ursinis (1), qui perpetuam eleemosinam dimisit capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima domini archiepiscopi Bisuntini, qui benefecit capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima pie memorie magistri Iacobi de Clavaro (2), procuratoris ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus omnium fratrum, sororum et benefactorum ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus benefactorum presentis capituli quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus domicelli Dominici Stephaneti Fabri, viri domicelle Martinensis, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro qualibet missa superius adnotata clerici non sacerdotes septem psalmos, conversi quadraginta pater noster et totidem ave Maria dicant.

Sequens capitulum generale assignamus in festo penthecostes celebrandum ad duos annos in conventu Tolosano provincie Tolosane, et ordinamus, quod nullus, exceptis diffinitoribus et sociis ipsorum locum capituli intret ante diem octavarum ascensionis domini.

Expliciunt acta capituli generalis Lugduni celebrati in festo penthecostes anno domini · m°. cccc°. xxxi°.

Correcta sunt hec acta per nos fratres Ioannem Facoti et Guidonem Flamocheti (3) magistros.

Frater Guido Flamocheti.

Frater Ioannes Facoti.

Vidit frater Petrus Comitis.

Locus ✠ sigilli.

---

(1) De quo supra pag. 201.

(2) De fr. Iacobo de Clavaro cf. supra pag. 197.

(3) De fr. Guidone Flammochetti cf. l. c. 218, 220.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Fr. Bartholomaeus Texerii fratres hortatur ad observandas ordinationes in capitulo Columbariae celebrato factas de disciplina regulari, cuius ruinam deplorat. [Columbariae 1434].

Universis et singulis fratribus ordinis predicatorum frater Bartholomeus Texerii eiusdem ordinis humilis magister et servus, salutem in domino Iesu et spiritualem consolacionem.

Multis in hac mihi commissa cura regiminis sepe agitantibus et conturbantibus mentem, illud precipue scilicet gravis ruina et flebilis nostre religionis occasus, quo privatim ac publice omnia pene extincta patrum nostrorum statuta videntur ac deleta, directori me dolore sollicitat atque infestat, quod non solum decus et ornamentum excidit sanctarum institucionum nostrarum, sed ipsa bone fame opinio, que et sacrosancte ecclesie et principum olim ad nos corda perduxerat, ita soluta est et in nigredinem versa, ut qui candidi Nazarei, et incliti ordinis velut stelle in firmamento pridem illuxerant, nunc veritatis pro dolor, semitas abnegantes et devotum populum et secularium eciam imbecillitatem sua perversitate commaculant; que res et ex diversarum provinciarum probatur scandalis, et ex hiis, que ad me perducuntur cotidie ac in sacro concilio adversus totum ordinem oriuntur; in quibus quem nostris peccatis offensum fecimus nec placamus Deum, religiosi patres ordinis zelatores vehemencius condolent et obstupescunt.

Verum opportuna sunt tandem remedia, fratres dilectissimi, transgressionibus nostris salubriter adhibenda, ut intimo cordis fervore renovemur spiritu mentis nostre, et peccatis mortui iusticie vivamus; refloreat igitur illa unica spes patrum nostrorum in domino, nullaque aut terrene cupiditatis aut ambiciose iactancie sive putride voluptatis nos tempestas obruat. Estote germani imitatores patris Dominici, et sanctimoniam cum sobrietate scrutantes secretarum oracionum in primis arma, et sacrorum voluminum exercicia capiatis. Qui viri evangelici estis, quos pre ceteris deus tam egregia vocacione ditavit, nulla vobis cum adversario, nulla debet esse sors cum inferno; abiectis itaque operibus tenebrarum, constitucionum nitorem et regule virtutem accipite. Ad elidendas et demonum et mundane obscenitatis pericula nihil est hac destinacione prestancius. Ego enim cum patribus quedam in hoc capitulo cunctis salubria insti-

9) conturbantibus] contrariantibus A. — scilicet] stilum A. — 16) nunc veritatis *om.* A. — 32) itaque] inquam A. — 33) nitorem] tenorem A.

tuta pro debito, quo tenemur pro temporis opportunitate sancivimus, que ad singulos dirigimus, quatenus vos, dilecti filii, alacri mente ita servetis, crescentes in eo, qui est bonorum omnium retributor, domino Iesu Christo.

HEC SUNT CAPITULI GENERALIS ACTA APUD COLUMBARIAM IN FESTO PENTHECOSTES ANNO · M · CCCC · XXX · IV°· CELEBRATI

Sub reverendissimo sacre theologie professore fratre Bartholomeo Texerii (1) ordinis predicatorum generali magistro, existentibus diffinitoribus reverendis patribus

fratre Antonio Mercham in theologia magistro provincie Yspanie,
fratre Ioanne Vassoris magistro provincie Tholosane,
fratre Aymone (2) magistro provincie Francie,
fratre Martino de Vinea bacchalario formato Bononiensi prov. s. Dominici,
fratre Ioanne de Prato (3) bacchalario provincie Romane,
fratre Iacobo de Regno (4) magistro procuratore ord. provincie regni Cicilie,
fratre Enrico Matis priore Augustensi provincie Theutonie,
fratre Andrea priore Cassovie provincie Ungarie,
fratre Giliberto Bruni magistro provincie Anglie,
fratre Andrea Venatoris (5) bacchalario provincie Polonie,
fratre Enrico Monic lectore provincie Dacie,
fratre Ferdinando Montini magistro provincie Aragonie,
fratre Nicholao Grex lectore provincie Bohemie,
fratre Iacobo Piccardi (6) magistro provincie Provincie.
fratre Marco de Vicomercato (7) mag. inquisit. Mediolani prov. Lombardie,
fratre Hermanno Carcabech magistro provincie Saxonie,
fratre Iacobo de Pisis provincie Dalmacie,
fratre Bartholomeo Maritani bacchalario provincie Trinacrie et
fratre Ioanne de Fretis (8) magistro provincie Portugallie.

---

1) opportunitate sancivimus] intercitate (?) concessimus A. — 2) alacri mente *om.* B. — 12) Vassoris] Varferrei P. — 18) Cassovie] Saxonie A; Taxonie B.

---

(1) De fr. Bartholomaeo Texerii cf. supra pag. 208, 225.
(2) De fr. Aymone cf. l. c. pag. 186.
(3) De fr. Ioanne de Prato cf. l. c. pag. 218.
(4) De fr. Iacobo de Regno cf. l. c. pag. 208.
(5) De fr. Andrea Venatoris cf. l. c. pag. 216.
(6) De fr. Iacobo Picardi cf. l. c. pag. 193.
(7) De fr. Marco de Vicomercato cf. l. c. pag. 191.
(8) De fr. Ioanne de Fretis cf. l. c. pag. 189.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: ea vero, que acquisierunt tempore provincialatus ad provincias, quarum erant priores, addatur: relicta autem per magistrum ordinis, que acquisivit in magisterio, pro medietate sint sui conventus originalis; alia vero medietas ad commune ordinis bonum pertineat; et hec cum habeat tria continua capitula et per consequens [vim] unius constitucionis, mandamus presidentibus conventuum nostri ordinis universis, quatenus in suarum domorum constitucionibus de verbo ad verbum faciant indefectibiliter annotari.

Iste sunt ordinaciones.

In primis a divino cultu exordium assumentes, strictius ordinamus, ut statuto signo festinacione matura ad chorum sollicite veniant fratres nostri, horasque omnes in ecclesia breviter et succincte, in medio versus metrum cum pausa servando taliter simul dicant, ne fratres devocionem amittant et eorum studium impediatur; similiter matutinas de beata virgine pro tempore in dormitorio, et reliquas horas in ecclesia studeant et corde domino presentare; si quis autem non legitime impeditus ad gloriam primi psalmi non affuerit, vel legendo, aut cantando, sive debite non inclinando, aut aliter offendendo defecerit, nisi humiliatus veniam fecerit, pena debita puniatur.

Item. Ordinamus ad quedam ex divino officio minus decencia removenda, quod festum trium lectionum cum sabbato vel dominica venerit, de cetero non transferatur, sed illis diebus de festo memoria habeatur, si autem tercia feria occurrerit, memoria beati Dominici tantum fiat, preterquam in conventu Bononiensi, ubi propter sacri corporis reverenciam, memoria de festo et de ipso beato patre nostro Dominico officium est agendum.

Item. Quia ex nostrarum serie constitucionum uniformes iubemur in canonice religionis observanciis inveniri, et unitatem, que interius est servanda in cordibus, foveat et representet in mentibus uniformitas exterius observata, ad uniformem et regularem observanciam in nostro ordine, quam deflemus non parum collapsam, salubriter reducendam, presidentibus omnibus et singulis districte imponimus et mandamus, ut fratres subditos in victu, vestitu, silencio, et ceteris omnibus cerimoniis verbo, opere, et exercicio seriosius sine dissimulacione ad vivendum secundum tenorem constitucionum inducant pariter et astringant; rebelles autem, contumaces, aut contradicentes durius secundum eorum demerita puniendo; super quibus indefectibiliter exequendis provinciales per sei-

---

6) cum] tamen AB. — 15) taliter simul] talem similem AB. — 16) impediatur] eciam AB.

psos, per visitatores et vicarios in singulis suarum provinciarum conventibus sollicite ordinent et inquirant; sed fratres, si in pace continui, studio assidui, in predicacione ferventes, que de eis fama, quis fructus, si in victu et in aliis secundum seriem nostrarum constitucionum ordo servetur, presertim sicut pascuntur fratres ex uno cellario, sic induantur ex bono vestitu. Et ut premissa efficacius procurentur, monemus et attente reverendissimum magistrum ordinis exhortamur, [ut], si quem provincialem in premissis notabiliter negligentem invenerit, quam cicius commode poterit, a sui provincialatus officio absolvat in penam; sed insuper patrum diffinitorum generalium futurorum capitulorum consciencias oneramus, quatenus de reverendissimo magistro ordinis, si, quod absit, ex culpa sua vel totali negligencia ceteri presidentes predicta servare pretermiserint, secundum tenorem constitucionum inpretermisse disponant.

Item. Proprietatis vicium et occasionem a fratribus nostris excludere satagentes, sub pena privacionis omnium graciarum ordinis simpliciter inhibemus, ne frater aliquis in proprio vel particulari, cuiuscumque condicionis existat, domum, vineam, ac predium quodcumque, seu redditus ex nunc in antea quovis modo valeat possidere; si quis autem, quod deus avertat, a noticia presencium ultra mensem in his culpabilis inventus fuerit et predictis se non exuerit, volumus bonis talibus, exequente magistro provincie (!), vel cui commiserint, venditis, de precio tres partes fieri, quarum unam conventui originali dicti fratris, aliam expensis communibus sue provincie, terciam vero ad communem usum tocius ordinis applicamus tenore presencium et deputamus. Et quia secundum regulam patris nostri Augustini omnia nobis debent esse communia, statuimus in toto ordine firmiter observandum, quatenus bona fratrum defunctorum, vestes vel quecumque alia mobilia, omnesque obvenciones questue, frumenti, bladi, vini, quorumcumque ex terminis fratribus qualitercumque collatorum et conferendorum, deductis fideliter expensis, conventui et officialibus ad hoc deputandis integraliter assignentur; si qua vero fratribus ad usum secundum formam nostri ordinis concessa fuerint, illa talia iuxta tenorem constitucionum in capitulo de noviciis eis solummodo tenere licebit, ubi dicitur: omnes fratres singulis annis semel omnia sibi commissa prioribus suis exponant pariter et exhibeant, eorum disposicioni relinquendo; quicumque vero frater pecuniam, vel alia quecumque receperit, vel habuerit, vel expenderit, vel dispensaverit, vel dispensari fecerit, reddet singulis annis suis maioribus racionem semel vel pluries, si fuerit requisitus, videlicet magister ordinis diffinitoribus capituli generalis; prior provincialis diffinitoribus capituli provincialis; prior conventualis priori provinciali, vel visitatori; ceteri fratres priori conventuali. Super quibus omnibus reverendissimus magister or-

dinis, priores provinciales et conventuales, ceterique presidentes exacta diligencia invigilent, et cuncta plene faciant observari; quibus imponimus et mandamus, ut de bonis alias preterquam constitucio patitur per fratres retentis tres partes faciant, et bona deputent, ut superius est expressum.

Item. Cupientes magistrorum precipue immeritorum, unde et ordo dissolvitur, et mores ac sciencia pereunt, multiplicacioni fratrum ignorancium, magistralem appetencium dignitatem, perniciose ambicioni obsistere et pro viribus obviare, statuimus, neminem posse de cetero pro forma et gradu magisterii ad legendum assignari, abilitari, vel promoveri preterquam per generale capitulum, sufficienti testimonio vel examinacione premissa, nisi forte in conventibus et studiis Parisiensi, Bononiensi, Tolosano, Coloniensi, Viennensi et Oxoniensi iam assignatos medio tempore mori contigerit, vel alias impediri, quo casu dumtaxat reverendissimo magistro ordinis committimus, ut supradictis studiis et fratribus ydoneis valeat providere; volentes nihilominus, sicut in precedentibus generalibus capitulis extitit ordinatum, nullum fratrem magisterii gradum posse recipere, nisi cursum quatuor annorum, a principio sue lecture peregerit, et ad minus annos triginta habuerit et a reverendissimo magistro ordinis licenciam specialem, nullusque de cetero, nisi in actis presentibus Bononie assignatus ex causa extra scholas nostras in loco collegiato alias legere possit. Insuper eciam in posterum promovendi testimonium habeant sui provincialis capituli de vita, sciencia, et si cursus inferiores perfecerint. Et ut predicta inviolabiliter observentur, statuimus, quod oppositum facientes, et huic statuto in quovis predictarum clausularum contravenientes, ipso facto eorum lectura nulla sit, et gradu magisterii perpetuo sint privati; magistro ordinis, in quantum possumus, manus claudentes, ne huic ordinacioni contraveniat quovis modo; doctores autem in provincia Hispanie, qui vel annum quadragesimum non attigerunt vel cursus debitos secundum provincie consuetudinem non perfecerunt, volumus pro non doctoribus haberi nec gaudere graciis consuetis, super quo provincialium conscienciam oneramus; ipsi autem doctores vel fratres alii non magistri rotunda birreta ferre aut cum eisdem predicare sub pena privacionis vocis et graciarum ordinis, quam incurrant ipso facto, nullo modo presumant.

Item. Cum per instituta nostra ad predicandum verbum dei et confessionum audienciam nullus assumi debeat, nisi sit sciencia, ydoneitate et moribus approbatus, statuimus observandum perpetua firmitate, nullum fratrem de cetero ad predicandum et secularium confessiones audiendum posse assumi, nisi prius per examinatores, in provincialibus capitulis a provinciali et diffinitoribus, vel extra capitulum a magistro reverendissimo et provincialibus deputandos, diligenter examinatus fuerit

et sufficiens inventus iudicio predictorum; super his enim eorum consciencias districtius oneramus, omnes et singulos insufficientes ad predicacionis officium et confessionum audienciam quavis auctoritate promotos simpliciter privando et ab ipso officio absolvendo; insufficientes autem dicimus, quos magister et provincialis, vel quibus commiserint, inhabiles iudicabunt de consilio discretorum, in quibus dicti priores provinciales sub pena suspensionis ab eorum officiis curam adhibeant diligentem; ceterum si quis frater inventus fuerit personam aliquam absolvisse a peccatis vel sentenciis, dominis prelatis et superioribus reservatis, ulterius vigorem canonum penam graviori culpe debitam per presidentem suum subire indispensabiliter compellatur; si quis vero in scandalum ordinis contra ordinis inhibicionem predicare vel confessiones audire presumpserit, vi statuti presentis sit ipso facto excommunicatus nec absolvi possit nisi a magistro ordinis vel per capitulum generale.

Item. Ut plene singuli caveant iuxta nostrorum patrum decreta ponere os in celum, inhibemus fratribus ordinis universis, ne in suis predicacionibus aut locis communibus dominis prelatis, principibus, plebanis aut religiosis detrahere quoquomodo presumant. Oppositum autem facientes per tres menses ad penam carceris condemnamus, et nichilominus predicacionis officio simpliciter sint privati. Mandantes in omnibus conventibus non habentibus carceres, fieri ad compescendum insolenciam perversorum; ipsis autem prioribus provincialibus sub pena absolucionis tenore presencium districte imponimus et mandamus, quatenus talibus detrahentibus penam cum effectu adiiciant supradictam.

Item. Ad compescendum fratrum vagos discursus ordinamus, ut nullus frater sub pena gravioris culpe absque littera testimoniali terminos sue provincie exeat vel bullas pro questu predicet; quam penam per tres dies presidens sue provincie vel conventus, ad quos declinaverint, fratrem sic discurrentem subire compellat, et quantum in eo fuerit, ad suam provinciam faciat remeare sub pena absolucionis ab officio, quousque satisfaciat. Adiicientes et prioribus conventuum imponentes, quatenus fratrem in suorum conventuum terminis absque eorum licencia questum facientem, aut irreligiose discurrentem, vel decentem habitum nostri ordinis non ferentem, non obstante cuiuscumque prelati licencia seu littera, carceri usque ad condignum mancipari faciant, invocando ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis. De intrantibus autem Romanam curiam ordinacionem capitulorum precedencium volumus in suo robore permanere.

Item. Temeritatem quorumdam malignancium censura ecclesiastica a nostro ordine delere cupientes sub pena excommunicacionis, quam presenti statuto ferimus, inhibemus fratribus universis, ne ad seculares per-

sonas contra ea, que religionis sunt, aut contra prelatos vel fratres ordinis recursum habeant, vel scienter in scandalum ordinis favorem implorent, aut fratres in iudicium extra ordinis obedienciam trahant; et nihilominus huiusmodi ordinis destructores graciis et bonis, si que ad usum habuerint, sint privati; omnes autem, qui vel ad taxillos lusisse reperti fuerint, vel percussores extiterint, aut, quod deus avertat, in lapsum carnis corruerint, vel arma invasiva infra septum monasterii portaverint, carceri mancipentur; similem quoque penam incurrant, quicumque vanitati alquimice artis invenientur intendere, aut circa similia occupari. Declarantes, quod presidentes in iusticiis exercendis possint implorare auxilium brachii secularis.

Item. Damnabilem quorumdam audaciam, qui ordinis aucthoritatem et magistri ordinis reverendissimi plenariam iurisdictionem in fomentum inobediencie et contumacie eorum quibusdam machinacionibus et figmentis ausu temerario demoliri conantur, cupientes reprimere, presencium tenore declaramus, quod sicut eidem reverendissimo magistro immediate professionem facimus, sic omnes tam fratres quam sorores, provincie, conventus, monasteria sue immediate subiiciuntur iurisdictioni, non obstante iurisdictione inferiorum presidencium; quare omnem fratrem, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, qui iurisdictionem reverendissimi magistri quomodocumque sive per principes seculares sive per ecclesiasticas personas impedierint, aut procuraverint impedire, excommunicacionis sentencie volumus subiacere.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Parisiensi provincie Francie ad legendum sentencias in magnis scolis pro forma et gradu magisterii assignamus pro primo anno extraneis debito fratrem Lucam de Perusio (1) provincie Romane, cui substituimus fratrem Iohannem Bergerandi provincie Francie; pro secundo anno in eisdem scolis intraneis debito fratrem Iohannem Bergerandi, cui substituimus fratrem Henricum de Monte de conventu Duacensi; in parvis scolis pro anno immediate sequenti fratrem Guillermum de Valle de conventu Rotomagensi; cui substituimus fratrem Iohannem Boucle de conventu Brugensi; pro secundo anno in eisdem scolis fratrem Buancium (!) Iobim de conventu Leodiensi, cui substituimus fratrem Antonium Bernardi de conventu Gebennensi. Provisionem autem de biblico committimus provinciali Francie; et volumus, quod fratres provincie Francie in universitate aliqua assignati, eciam si incorporati fuerint, si infra annos quatuor non legerint tercio (!) incorporacionis careant et graciis promocionis.

34) Leodiensi] Iodensi A. — 37) incorporati] deceperati A. — 38) promocionis] promotores A.

(1) De fr. Luca de Perusio cf. supra pag. 218.

Conventui Tholosano provincie Tholosane ad legendum sentencias pro forma et gradu pro anno immediate sequenti intraneis debito fratrem Iosephum Iacellini provincie Tholosane; pro secundo anno extraneis debito fratrem Blasium de sancta Engracia (1) provincie Aragonie, cui substituimus fratrem Iacobum Carpentarii (2) provincie Tholosane. Ad legendum bibliam pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Vitalem Learoli, cui substituimus fratrem Iohannem Bossige omnes eiusdem provincie; in magistrum vero studencium pro primo anno fratrem Iacobum Carpentarii predictum, pro secundo [fratrem] Dominicum de Pireto (3); approbamus lecturam fratris Iohannis de Bellonde.

Conventui Bononiensi provincie sancti Dominici ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Conradum de Ast (4) pro duobus annis immediate sequentiaus, cui substituimus fratrem Antonium de Alexandria; ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Blasium de Ragusio (5), pro secundo anno fratrem Petrum Comitis (6) provincie Aragonie, cui substituimus fratrem Benedictum de Bononia. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Petrum Comitis provincie Aragonie, cui substituimus fratrem Petrum Queralti de Barchynona; pro secundo anno fratrem Petrum predictum, cui substituimus fratrem Hieronymum de Ianua et fratrem Alexandrinum de Bononia (7).

Assignamus ad legendum sentencias in collegio sancti Pauli fratrem Conradum Biscopestolis provincie Aragonie; lecturam sentenciarum et biblie fratris Dominici de Cathalonia (8) approbamus.

Conventui Oxoniensi provincie Anglie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno fratrem Victorem Clementis provincie Francie, pro secundo fratrem Iohannem de Feriayra provincie Portugalie, cui substituimus fratrem Petrum de Tridento provincie Romane.

Conventui Cantabrigie provincie Anglie (9):

Conventui Florentino provincie Romane ad legendum seneencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno fratrem Bartholomeum de Sicilia, diffinitorem presentis capituli, pro secundo et tercio fratrem Tho-

(1) De fr. Blasio de s. Engracia cf. l. c. pag. 214.
(2) De fr. Iacobo Carpentarii cf. l. c. pag. 213.
(3) Forte idem est ac Dominicus de Theleto, de quo l. c. pag. 187.
(4) De fr. Conrado de Ast cf. l. c. pag. 213.
(5) De fr. Blasio de Ragusio cf. SSOP. I, 853.
(6) De fr. Petro Comitis cf. supra pag. 224.
(7) Forte idem ac Alexander de Bononia, de quo SSOP. I, 856.
(8) De fr. Dominico de Catalonia cf. supra pag. 213.
(9) Nomina assignatorum desunt.

mam de Eugubio (1), substituimus fratrem Nicolaum de Alexandria (2) provincie Lombardie; ad legendum bibliam fratrem Nicolaum de Quintavalle (3) provincie Regni, cui substituimus fratrem Dominicum de Urbeveteri (4); pro secundo fratrem Hieronymum de Calabria (5); in magistrum studencium pro primo anno fratrem Thomam de Neapoli (6), pro secundo fratrem Dominicum de Florencia; approbamus lecturam et licenciam fratris Dominici Iohannis de Florencia.

In sacro palacio ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Thomam de Quarancias (!) (7) provincie Romane, cui substituimus fratrem Matheum de Caramanico (8) provincie Regni; de aliis legentibus, et si assignatos contigerit impediri, committimus procuratori ordinis.

Conventui Coloniensi provincie Theutonie damus in regentem magistrum Iohannem Ammestarc provincie eiusdem. Ad legendum sentencias pro primo anno pro forma et gradu magisterii fratrem Marcialem Auribelli (9) de provincia Provincie. Ad legendum vero bibliam fratrem Nicolaum de Duvellandia (10), cui substituimus fratrem Hermannum Borniquel (11) et Iohannem de Essendia (12), omnes provincie Saxonie; in magistrum studencium fratrem Marcialem supradictum; approbamus lecturam sentenciarum fratris Conradi Herbst (13).

Conventui Argentinensi dicte provincie damus in regentem magistrum Hugonem de Argentina (14).

Conventui Viennensi eiusdem provincie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Iohannem Nider (15), cuius lecturam biblie approbamus et in regentem damus magistrum Rostoch (16).

25] Rostoch] Rotekstoch B.

(1) De fr. Thoma de Eugubio cf. supra pag. 214.
(2) De fr. Nicolao de Alexandria cf. SSOP. I, 782.
(3) De fr. Nicolao de Quintavalle cf. supra pag. 214.
(4) De fr. Dominico de Urbeveteri cf. l. c.
(5) De fr. Hieronymo de Calabria cf. l. c. pag. 193.
(6) De fr. Thoma de Neapoli cf. l. c. pag. 213.
(7) Videtur esse idem ac Thomas de Quatersetanis, de quo l. c. pag. 214.
(8) De fr. Matthaeo de Caramanico cf. l. c.
(9) De fr. Martiali Auribelli cf. SSOP. I, 811.
(10) De fr. Nicolao de Duvelandia cf. supra pag. 214.
(11) De fr. Hermanno Borniquel *al.* Bornequil cf. l. c. pag. 191.
(12) De fr. Ioanne de Essendia cf. SSOP. I, 791.
(13) Supra pag. 214 « Hersfant ».
(14) De fr. Hugone de Argentina cf. supra pag. 215.
(15) De fr. Ioanne Nider cf. l. c. pag. 220.
(16) De fr. Henrico Rostoch cf. l. c. pag. 215.

Conventui Paduano provincie sancti Dominici damus in regentem magistrum Baptistam de Fabriano (1), usquequo frater Paulus (2) fuerit ingraduatus (!). Ad legendum vero sentencias pro forma et gradu assignamus pro primo anno immediate sequenti fratrem Martinum de Parma (3), pro secundo et tercio fratrem Dominicum de Durachio (4), provincie Dalmacie, cui substituimus fratrem Iacobum de Ferraria (5); ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Baptistam de Firmo (6), cui substituimus fratrem Lucam de Arimino (7); pro secundo fratrem Lucam predictum, cui substituimus fratrem Vincencium de Ancona; in magistrum studencium fratrem Paulum de Bononia (8) pro primo anno, pro secundo anno fratrem Vincencium de Ancona, omnes provincie sancti Dominici; approbamus lecturam et magisterium magistri Lazari de Camarino.

Conventui Barchinonensi provincie Aragonie damus in lectorem magistrum Iacobum Egidii (9) pro primo anno; in sublectorem vero fratrem Nicolaum Fortes (10); in biblicum fratrem Martinum de sancto Angelo, quem in magistrum studencium pro secundo anno assignamus; pro secundo anno in lectorem magistrum Iohannem Gerardi (11) eiusdem provincie; de aliis provincialis provincie providebit.

Conventui Erfordensi provincie Saxonie damus in regentem magistrum Conradum Westusensem (12); ad legendum bibliam fratrem Andream Brudeganensem (13), cui substituimus fratrem Henricum Horneborch (14); ad legendum vero sentencias pro forma et gradu fratrem Fredericum Molitoris (15), cuius lecturam biblie approbamus; in magi-

---

7) Firmo] Furno B.

---

(1) De fr. Baptista de Fabriano cf. l. c. pag. 215.
(2) De fr. Paulo de Padua cf. l. c.
(3) De fr. Martino de Parma cf. l. c.
(4) De fr. Dominico de Durachio cf. l. c.
(5) De fr. Iacobo de Ferraria cf. l. c. pag. 188.
(6) De fr. Baptista de Firmo cf. l. c. pag. 215.
(7) Supra l. c. de « Aymerio ».
(8) De fr. Paulo de Bononia cf. l. c.
(9) De fr. Iacobo Egidii cf. l. c. pag. 218.
(10) De fr. Nicolao Fortes cf. l. c. pag. 215.
(11) De fr. Ioanne Gerardi cf. l. c. pag. 218 et infra pag. 237.
(12) De fr. Conrado Westhusen. cf. l. c. pag. 215.
(13) De fr. Andrea Brudeganen. cf. l. c. pag. 216.
(14) De fr. Henrico Horneborch cf. l. c.
(15) De fr. Friderico Molitoris cf. l. c.

strum studencium fratrem Hermannum Corner (1), cuius lecturam biblie et sentenciarum approbamus.

Conventui Magdeburgensi eiusdem provincie damus in regentem fratrem Sanderistkensem (2), sacre pagine magistrum; de aliis autem officialibus non pro forma et gradu provincialis eiusdem provincie providebit.

Conventui Cracoviensi provincie Polonie ad legendum bibliam pro forma et gradu fratrem Leonardum Ausclini, cui substituimus fratrem Ulricum Wildeshusensem (3) et Iohannem Medderlpf, omnes provincie Saxonie.

Conventui Neapolitano provincie regni Sicilie damus in regentem magistrum Nicolaum de Calvanico (4); in baccalarium fratrem Andream de Pontecurvo (5); ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Iohannem de Miceria (6); in magistrum vero studencium fratrem Leonardum de Perusio.

Conventui Mediolanensi provincie Lombardie damus in regentem pro primo anno magisrrum Iohannem de Puteobonello (7); ad legendum sentencias cursorie fratrem Bernardum de Ianua; in magistrum studencium fratrem Petrum de Novaria; pro secundo anno in regentem magistrum Angelum de Lubeo, cuius magisterium approbamus; ad legendum sentencias fratrem Petrum predictum; in magistrum studencium fratrem Iohannem Vosas de Vercellis.

Conventui Papiensi eiusdem provincie damus in regentem magistrum Angelum de Viello; ad legendum vero sentencias pro forma e gradu pro primo anno fratrem Matheum de Modoecia (8), pro secundo et tercio fratrem Andream de Saviliano (9); in magistrum studencium pro primo anno fratrem Andream de Sicilia (10), cui substituimus fratrem Bernardum de Ianua, quem ibidem pro secundo anno ad legendum bibliam assignamus; approbamus magisterium magistri Ludovici de Lura (11).

1) Corner] Brorner B.

(1) De fr. Hermanno Corner cf. l. c. pag. 215.
(2) Supra l. c. et « Sanderus Celsen » et « Sanderus Heclesse » audit.
(3) De fr. Ulrico Wildeshusen. cf. l. c. pag. 216.
(4) De fr. Nicolao de Calvanico cf. l. c. pag. 217.
(5) De fr. Andrea de Pontecurvo cf. l. c. pag. 216.
(6) De fr. Ioanne cf. l. c.
(7) De fr. Ioanne de Puteobonello cf. SSOP. 791.
(8) De fr. Matthaeo de Modoetia cf. supra pag. 217.
(9) De fr. Andrea de Saviliano cf. l. c. pag. 192.
(10) De fr. Andrea de Sicilia cf. l. c. pag. 188.
(11) De fr. Ludovico de Lura cf. l. c. pag. 216.

Conventui Montispessulani provincie Provincie provincialis provincie de regente providebit; ad legendum cursorie damus in baccalarium pro primo anno fratrem Iohannem Dimundi; in biblicum fratrem Hugonem Martini; in magistrum studencium fratrem Alsiarium Bartholomei, omnes provincie Provincie; pro secundo anno in baccalarium fratrem Alsiarium predictum; in magistrum autem studencium fratrem Hugonem predictum; in biblicum pro secundo fratrem Bartholomeum de Romanis.

Conventui Aquensi eiusdem provincie...

Conventui Avinionensi eiusdem provincie damus in regentem pro primo anno fratrem Nicolaum Calsie; pro secundo fratrem Petrum Feveti licenciatum; de aliis officialibus sine forma et gradu provincialis provincie providebit, et ibidem magistrum studencium assignamus fratrem Iohannem Fabri provincie Tholosane.

Conventui Vallisoletano provincie Hispanie ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno immediate sequenti intraneis debito fratrem Velascum Ramos provincie Hispanie, cui substituimus fratrem Ioannem Palentinum; pro secundo anno extraneis debito fratrem Alvarem de Lamota provincie Portugallie, cui substituimus fratrem Alvarem Elmensem (1) eiusdem provincie. Ad legendum bibliam pro anno sequenti immediate fratrem Andream de la Nava (2); pro secundo fratrem Ioannem de la Nava. In magisterium studencium per duos annos predictos alternatim exercebunt. Approbamus magisterium fratris Ioannis de Frettis (3) provincie Portugallie diffinitoris presentis capituli.

Conventui Salamantino eiusdem provincie damus in regentem magistrum Ioannem Samoriensem; ad legendum bibliam sine forma et gradu magisterii fratrem Petrum de Populacionibus; in magistrum studencium fratrem Iohannem de Audamoyo.

Conventui Perusino provincie Romane damus in regentem magistrum Gregorium de Gaeta (4) provincie Regni; ad legendum sentencias pro forma et gradu magistrum Iohannem de Prato (5), diffinitorem presenti capituli, cuius lecturam biblie approbamus, sibi concedimus omnes et singulas gracias magistrorum. De reliquis autem officialibus sine forma et gradu provincialis provincie providebit; lecturam fratris Bonancii et fratris Angeli de Tiburcio approbamus.

Conventui Ulisibonensi provincie Portugalie sine forma et gradu provincialis provincie providebit.

---

(1) De fr. Alvaro Helmen. cf. supra pag. 170.
(2) De fr. Andrea de la Nava cf. l. c. pag. 217.
(3) De fr. Ioanne de Fretis cf. l. c. pag. 226.
(4) De fr. Gregorio de Gaeta cf. l. c. pag. 217.
(5) De fr. Ioanne de Prato cf. l. c. pag. 218.

Approbamus magisterium magistri Iacobi de sancto Iohanne (1) provincie Aragonie.

Item. Approbamus lecturam et magisterium magistri Iohannis Gerardi provincie Aragonie et magistri Antonii de Agello provincie Trinaclie.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus omnibus fratribus reverendos in Christo patres et dominos Laurencium archiepiscopum Iadrensem (2), episcopos Legionensem (3), Caturcensem (4), Nicholaum de Tenda episcopum Famagustanum (5), Thomam de Veneciis episcopum Fariensem (6), Sebastianum Abbatis episcopum Galtellinensem (7), Dominicum de Roserio episcopum Bethleemitanum (8), Arnaldum Nicholai episcopum Bedoniensem (?) (9), Ioannem de Moralibus episcopum Pacensem (10), de Bonavola (11) omnes assumptos ab ordine, nostreque religioni valde affectos, receptos esse ad omnia ordinis beneficia, [et] volumus, ut reverenter et devote ubique in nostris conventibus recipiantur.

Item. Denunciamus et mandamus prioribus provincialibus universis, ut venientes ad sequens capitulum generale, quilibet unum constitucionum volumen secum ferat, que cum constitucionibus reverendissimi magistri ordinis uniformiter corrigantur.

Item. Fratrem Sancium de Navarra (12) de conventu sancti Geronimi ad conventum sancti Gaudencii provincie Tholosane transferimus et translatum esse denunciamus.

Idem. Denunciamus omnibus fratribus provincie Aragonie, quod de furto facto in conventu Cesarauguste sub custodia magistri Iohannis Garsie (13) de pecuniis captivorum regni Cipri factum seriose per iudices [ad hoc] deputatos (quorum) iudicium approbamus, diligenti inquisicione et

10) episcopum Galtellinensem *om.* A. — 11) episcopum Bethleemitanum *om.* A — episcopum Bedoniensem *om.* A. — 12) Iohannem de Moralibus episcopum *om.* B. — 20) Navarra] Lavaro AB.

(1) De fr. Iacobo de s. Ioanne cf. SSOP. I, 815.
(2) De quo cf. BO. III, 201, n. 297.
(3) Fr. Ioanne Validire cf. l. c. III, 215.
(4) Fr. Ioannes de Podio cf. l. c. pag. 212.
(5) De quo l. c. II, 700.
(6) Legendum est « Thomas Thomassinus » de quo l. c. pag. 709 et III, 218.
(7) De quo l. c. III, 214.
(8) Deest apud FONTANA *Theatrum sacrum* etc. et in BO. cf. supra pag. 77.
(9) Forte idem ac Aymo Nicolai, de quo cf. BO. II, pag. 700.
(10) De fr. Ioanne Morales cf. l. c., 708.
(11) Forte idem ac Matthaeus Bonepartis ep. Mantuanus, de quo l. c.
(12) De fr. Sanctio de Navarra cf. supra pag. 196.
(13) De fr. Ioanne Garcias cf. l. c. pag. 195.

examinacione coram omnibus magistris prefate provincie, qui generali capitulo interfuerunt. [Et] cum res dicti furti invente non fuerint, committimus et mandamus provinciali Aragonie magistro Ferdinando (1), diffinitori presentis capituli, fratri Sancio de Beferano, inquisitori, quatenus de tempore reditus provincialis et diffinitoris in provinciam infra mensem ad conventum Cesarauguste se personaliter conferant et de furto diligentissime inquirant, plenariam eis in hac parte auctoritatem concedentes, nos eidem excommunicacionis sentenciam, monicione canonica premissa, ferimus in hiis scriptis contra omnes et singulos habentes et detinentes aliquid de predictis bonis aut scientes per aliquem vel aliquos detineri, nisi infra sex dies a noticia presencium restituerint vel revelaverint dictis commissariis vel alicui eorum, quos predictos sex dies pro triplici termino peremptorie assignamus; mandantes presidentibus provincie et conventuum, quatenus omnem in furto notabili repertum carceri mancipent; similiter dicimus de blasphemis.

Item. Monemus et mandamus provincialibus, quod propter expensas graves in consilio occurrentes ad mittendum reverendissimo magistro ordinis taxam consuetam in capitulo Lugdunensi sint diligentes, similiter de contribucionibus debitis procuratori ordinis.

Iste sunt commissiones.

Committimus diffinitoribus presentis capituli, quod quilibet quatuor privatos graciis ordinis ad vocem et gracias predictas restituere possit, imposita eis pena salutari, cuiuscumque provincie extiterint.

Curam conventus martirii (2) sancti Petri martiris committimus magistro Petro de Alzate cum assignandi et removendi fratres plenaria potestate, ut eciam de aliis conventibus provincie fratres valeat assignare.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod de apparicione beati Michaelis sub festo toto duplici et officio dedicacionis eiusdem cum primis psalmis et terciis responsoriis, et alia uniformiter per ordinem est solemnitas çelebranda, festumque visitacionis beate virginis secunda iulii cum octavis, ubi hactenus est assuetum, solemniter celebretur; si vero festum simplex infra octavam corporis Christi occurrerit, propter octavarum indulgencias in sequenti feria vacanti debet celebrari.

Item. Pro tempore pascali in festis duplicibus memoria de cruce pretermittitur, in quibus tamen per annum de sanctis kalendario assignatis memoria est habenda, scilicet in festo Iacobi, Laurencii, Martini, ac in ipso pascali tempore, cum de beata virgine vel beato Dominico

(1) De fr. Ferdinando cf. l. c. pag. 226.
(2) Cf. supra pag. 222.

agitur, primi psalmi et benedicamus domino cum alleluia duplici in matutinis et vesperis debent dici.

Item. Quod ad Salve Regina, dum cantatur post completorium, fratres genuflectentes, dicto Salve vel Ave, statim surgere, et hii, qui inceperint, debent solum reverenter post inchoatam antiphonam inclinare.

Item. Declaramus, quod nec priores provinciales nec provincialia capitula cuiuscumque provincie ad legendum pro forma et gradu magisterii possint fratrem aliquem promovere.

Iste sunt penitencie.

Quia frater Leonardus Britonis et frater Guillelmus de Stetrango conventus Lugdunensis provincie Francie, in divine maiestatis offensam et scandalum ordinis, fratribus in prefato Lugdunensi conventu regulariter viventibus molestias inferentes, et ipsam regularem vitam seculares personas provocando et incitando multipliciter impugnantes, penam carceris per reverendissimum magistrum ordinis impositam incurrerunt, mandamus eos carceribus mancipari; quam penam incurrant ipso facto quicumque reformacionem alicuius domus studiose impedire presumpserint, aut fratres regulariter vivere volentes infestaverint, tamquam nostri ordinis destructores.

Item. Cum frater Bernardus Michelis provincie Aragonie ad Romanam curiam accedendo, postposito lecture cursu contra privilegia ordinis ad magisterium se ingessit, declaramus ipsum loco et privilegiis magistrorum non gaudere debere, et ipsum volumus pro non magistro ubique teneri.

Item. Fratrem Bertrandum Verendensem provincie Trinacrie, asserentem se magistrum esse, cum non sit, propter infamias et multa alia iudicamus ipsum esse excommunicatum et nolumus, quod in aliqua domo nostri ordinis nisi ad carceres recipiatur.

Item. Fratrem Didacum de Barche (1) provincie Hispanie asserentem se in theologia magistrum, cum non sit propter infamias et multa mala, que imposuit cuidam magistro, et plura alia, que commisit, excommunicatum denunciamus et nolumus, quod in aliqua domo nostri ordinis nisi ad carceres recipiatur.

Acceptamus in villa de Tordesillas provincie Hispanie conventum ibidem noviter receptum, et de capite ac fratribus conventus magister Ludovicus de Valle Oleti (2) confessor domini regis Castelle eiusdem do-

---

10) Britonis] Balonis B. — Stetragno] Chyetenayo B. — 36) Tordesillas] Sellaz A; Gibosellas B.

---

(1) De fr. Didaco cf. l. c. pag. 221.

(2) De fr. Ludovico de Valleoleti cf. l. c. pag. 207.

mus fundator providebit, et de terminis pro predicacionibus teneatur capitulum provinciale providere.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus provincialem Dacie, et curam dicte provincie committimus fratri Enrico Monich (1) diffinitori presentis capituli.

Absolvimus priores conventuales provincie Theutonie: Curensem, Gebwilrensem, Maguntinensem, Hagenovensem, Erbipolensem, Spirensem, Turicensem, Vissemburgensem; in provincia Tolosana priorem sancti Severi.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis. Pro sanctissimo papa domino nostro Eugenio, et pro felici successu sacri concilii, quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro venerabili collegio dominorum cardinalium, specialiter pro reverendissimis in Christo patribus et dominis cardinalibus sancte Crucis, sancti Angeli (2), concilii presidentibus, Bononiensi, Rothomagensi, et sancti Petri ad vincula, qui presenti capitulo largifluas eleemosinas miserunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo domino cardinali Placentino (3), nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus et dominis archiepiscopo Tarentino, episcopo Paduano, presidentibus in concilio, et dominis episcopis Cerviensi, Constanciensi provincie Rothomagensi, Gracianopolitano, Ebre[dune]nsi, Cabilonensi, et dominis abbatibus sancte Iustine Verciacensis, de Valle sancti Gregorii, et dominis de collegio maioris ecclesie Columbariensis, qui bonam elemosinam fecerunt presenti capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustribus dominis duce Burgundie, duce Barrensi, domino archiepiscopo Maguntino, principe Ludovico, comite Palatino Rheni, marchione Brandeburgensi, uxoribus et liberis eorumdem, et domina ducissa Lotaringie antiqua, qui largifluas eleemosinas miserunt nostro capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro monasteriis sororum ordinis nostri de Subtilia, de Steinbaco, ad Lapides, sancte Catharine de Nurimberga, sancti Nicholai in

2) provinciale] generale B. — 7) Gebwilrensem] Genaliensem A; Gebliniensem B. — Hagenovensem] Hanonensem A; Hugonensem B. — Erbipolensem] Himbipolensem B. — Spirensem] Edimrensem A. — 8) Turicensem] Tiranensem A; Elnensem B. — 13) item — missam *om.* A — venerabili] generali A. — 20) item — missam *om.* A. — 29) Brandeburgensi *om.* A. — 32) sororum ordinis nostri] nostris reformatis B. — 33) Steinbacho] Carinbaco A. — ad lapides *om* A.

(1) De fr. Henrico Monich cf. l. c. 200.

(2) De cardinalibus s. Crucis et s. Angeli cf. l. c. pag. 222.

(3) De quo l. c.

Argentina, Celi corone et Libenau, et sororibus ipsorum, qui copiosissimas eleemosinas fecerunt nostro capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina abbatissa de Andlaw et nostris sororibus monasteriorum sancte Katherine in Columbaria, Dissenhowen, in Oettenbach, de Thuez, de Slezstat, de Kilchperch, de Pforzem, sancti Marchi [et] sancti Ioannis in Argentina, ad Luenz (?), sancte Agnetis [et] sancte Catherine de Friburgo, sancte Gertrudis in Colonia, in Win(t)erstat, sancti Lamberti, de Hasenpfuel, sancte Margarite de Argentina, Vallisducisse et Vallis sancte Marie, que fecerunt bonas elemosinas presenti capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabilibus civitatis huius Columbariensis civibus, et ceteris communitatibus, qui fecerunt eleemosinas nostro capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro aliis particularibus personis, qui fecerunt nobis eleemosinas, et pro fratre Hermanno procuratore capituli, et fratribus conventus Columbariensis et aliis magistris, prioribus et fratribus, qui laboraverunt seu procuraverunt pro generali capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro nostri ordinis et patribus diffinitoribus presentis capituli, et aliis magistris et patribus, qui stant cum reverendissimo magistro in consilio, quilibet sacerdos unam missam.

Summa missarum pro vivis duodecim.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro anima domini cardinalis Mathei de Ursinis (1), qui perpetuam eleemosinam dimisit capitulo generali, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum et sororum nostrorum a presenti capitulo defunctorum quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus omnium benefactorum nostrorum et aliorum per litteras ad ordinem receptorum quilibet sacerdos unam missam.

Et volumus, quod pro dictis missis quilibet clericus non sacerdos dicat septem psalmos; laici vero quinquaginta Pater noster et totidem Ave Maria.

1) Libenau] Libano A. — copiosissimas] copiosas B. — 3) Andlaw] Andula A; Dandulo B. — 4) Dissenhowen] Liesenowen A. — Oettenbach] Notembach A. — 4) Slezstat] Sinistach A. — Kilchperch] Quiquepet de Viliperch. — Pforzem] Foris A. — 6) Iohannis] Petri A. — 7) Winerstat] Stent A. — 8) sancti Lamberti *om.* A. — de Hasenpfuel *om.* A. — Hasenpfuel] Locolepopf B. — sancte Margarite de Argentina] sancte Catherine A. — Vallisducisse — Marie] in quurrquterstat (?) A. — 9) que — capitulo *om.* A. — 15) Hermanno] Normanno A. — procuratore capituli] provincie B. — fratribus — capitulo] pro fratribus nostris et aliis, qui laboraverunt pro capitulo A. — 17) magistro *om.* A2. — 20) magistris et *om.* A.

(1) De quo supra pag. 224.

Sentencias iudicum approbamus, et volumus quoad omnia suum sortiri effectum.

Et mandamus acta presencia fideliter ad provincias omnes ordinis dirigi, et per diligentem priorum provincialium sollicitudinem universis conventibus destinari, semelque infra duorum mensium spacium ordinaciones coram fratribus simul congregatis legi et observari.

Sequens capitulum generale assignamus in festo penthecostes celebrandum ad duos annos in conventu Veronensi provincie sancti Dominici. Reverendissimus tamen magister ordinis capitulum prolongare et, si expedire videbitur, mutare poterit; nullus autem, qui non est de corpore capituli, ante octava ascensionis locum capituli possit intrare.

Expliciunt acta capituli generalis Columbarie celebrati anno supradicto.

Locus ✠ sigilli.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS VENECIIS CELEBRATI ANNO · M°· CCCC°· XXXVII°· (1)

Declaramus, quod in octavis omnium sanctorum nec officium beate virginis nec consuete memorie sanctorum nostrorum sunt omittende.

Presidentibus nostrorum conventuum mandamus, ne feria secunda vel quarta in esu carnium dispensent nec in aliis diebus sine racionabili causa.

Declaramus, quod, si per inferiores prelatos ob delicta vel demerita fratres aliquando cicius, quam culpe exigant, puniantur, nichilominus per superiores prelatos possunt et debent gravius castigari.

Item. Declaramus, quod declaracionibus capitulorum generalium debet fides adhiberi.

Magistri et doctores non legentes aut predicacionis libros non componentes vel officia temporalia pro conventu aut alia religiosa exercicia non agentes, non debiles vel infirmi ab ebdomadaria et sequela chori nullatenus sint exempti. Contemptores autem prelatorum graciis vel gradibus eorum vel, si gracias non habuerint, pena gravioris culpe vel arcius secundum demerita puniantur.

---

6) observari] conservari B. — 8) ad duos annos *om.* A. — 9) tamen *om.* A. — 13) anno supradicto *om.* B. — 14) locus ✠ sigilli *om.* A

---

(1) Quae fragmenta desumpta sunt e codice Lipsiensi n. 768.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD SAVILIANUM PROVINCIE LOMBARDIE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· XXXIX°·

Sub magistro Bartholomeo Texerii, in quo multa ad ordinis reformacionem ordinata sunt (1).

Confirmatum est, quod festum trium lectionum, quando in die suo fieri non posset, transferatur.

Item. Pretermittatur festum trium lectionum in tercia feria et fiat de beato Dominico Bononie.

Ordinatum est, quod capitulum de culpis omni hebdomada semel fiat.

Item. Computa de introitibus fiant; inventaria librorum et sacristie habeantur, negligentes gravius puniantur.

Item. Quia propter pestilencias ordo est diminutus, omnes fratres sint solliciti, ut novicii fiant et bene instruantur; et qui sex novicios quadragenarius duxerit ad ordinem, iubilariorum gracias habeat, et ex tunc eas concedimus.

Item. Sextam partem reddituum prelati applicent infirmariis pro infirmorum cura.

Item. Fratres hospites caritative recipiantur et maxime fratres conventuum reformatorum, in quorum conventibus alii humanitus recipiuntur.

Item. Fratres pro questu bullarum (!) predicantes sine licencia suorum superiorum sunt excommunicati et bonis suis et predicacione privati et per tres annos carceri mancipentur.

Item. Omnes fratres sequantur chorum et notentur in tabula ad officia, nisi illi, qui legunt aut predicant vel libros componunt aut utiliter circa temporalia occupantur.

Item. Querentes in curia Romana, ut priores et provinciales durent tot annis, et qui non secundum constituciones vadant per scrutinia voce et graciis privantur.

Item. Portantes corrigias argenteas aut tunicas scissas aut non magistri in theologia biretum rotundum puniantur et hiis priventur.

Denunciatum est omnibus fratribus, quod magister ordinis impetravit unum privilegium a sede apostolica, in quo ordini nostro indulgetur, quod nullas litteras a sede apostolica concessas vel concedendas, in quibusvis privilegiis quorumcumque religiosorum seu mendicancium deroga-

(1) De fr. Bartholomaeo Texerii cf. supra pag. 226.

retur, intelligatur nostris privilegiis non fuisse derogatum vel derogari posse amplius in futurum, nisi quedam speciales clausule et nomen magistri ordinis, qui erit pro tempore, notentur et signanter exprimantur, prout clare per copias privilegii quilibet potest informari, quod est infrascripti tenoris:

Eugenius... sacre religionis sinceritas... declaracionis infringere.

Datum Florencie anno incarnacionis dominice ·m°·cccc°·xxxix°· ·v· idus aprilis pontificatus nostri anno ·ix· (1).

Conventus angelorum extra civitatem Mantue provincie s. Dominici in isto capitulo et anno acceptatus est pro conventu.

Item. In provincia regni Sicilie acceptatus fuit in isto capitulo conventus s. crucis in civitate Arriani.

Item. Acceptatus est pro loco extra Ragusium provincie Dalmacie domus sancte crucis, cuius cura commissa fuit magistro Blasio de Ragusio (2), ut dictum locum ornaret fratribus vite regularis.

Commissum fuit in isto capitulo priori provinciali Hispanie, ut reformaret conventum s. Marie de Neva ad observanciam regularem.

Conventui Bononiensi datus fuit in regentem fr. Antonius de Alexandria (3) magister, in bacalarium pro primo anno fr. Gaspar de Bononia (4), pro secundo et tercio anno fr. Petrus de Barchinona, cui subditus fuit fr. Antonellus de Neapoli.

Declaratum fuit in isto capitulo, quod nec in die animarum nec in matutinis vigilie nativitatis domini in communi debet dici officium beate Marie virginis.

Item declaramus, quod precipuum festum intelligitur de festis secundum iura colendis et que secundum nostrum ordinem duplicia vel tota duplicia appellantur (5).

Item declaramus, quod de translacione beati Petri martiris debet ubique in nostris conventibus fieri in crastinum festi s. Iohannis ante portam latinam sub festo toto duplici sicut in festo eiusdem et in die sequenti, que est octava maii, debet fieri de festo beati Michelis sub toto duplici.

---

(1) Cf. BO. III, 100 n. 185.

(2) De fr. Blasio Ragusino cf. supra pag. 232.

(3) De fr. Antonio de Alexandria cf. l. c.

(4) Videtur esse idem ac Gaspar a sancto Iohanne, de quo SSOP. I, 815.

(5) Quam et sequentem declarationem transcripsi e codice sign. *s. Domenicani di Murano* asservato in tabulario publico Venetiis.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD AVINIONEM CELEBRATI IN FESTO PENTECOSTES DIE ·XX· MENSIS MAII ANNO DOMINI ·M°· CCCC°· XLII°·

Sub reverendissimo patre fr. Bartholomeo Texerii de Draghinano (1) ordinis predicatorum generali magistro.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis ad debitum divini cultus fratres singulos excitantes volumus et ordinamus, ut officium totum in nostris domibus cum pausa in medio versus et nota ordinis devote et distincte dicatur. Similiter omnes dicant in dormitorio matutinas virginis gloriose, ipsique fratres omnes horas die ac nocte cantare debeant et suo tempore recitare officium defunctorum; nec a simplici et supra nisi causa corporalis impotencie vel predicacionis aut actus scolastici exercendi a sequela chori et matutinis beatissime virginis sint exempti aliqui fratres, sed maiores ad ecclesiam festinantes sint minoribus in exemplum. Superiores vero puniant in premissis negligentes subditos et eos, qui officium pretermittunt, in prandio ad terram sedere et omissas horas legere compellant.

Item. Sanctimoniam et decorem nostre religionis iam, quod dolenter deferimus, in singulis provinciis excidentem pro posse suscitare et reparare cupientes, prioribus provincialibus et conventualibus et presidentibus nostri ordinis imponimus universis, quatenus iuxta regulam b. patris Augustini et nostrarum seriem constitucionum fratres subditos in substancialibus religionis, in victu, vestitu, silencio et ceteris cerimoniis, verbo et exemplo ad vivendum inducant pariter et adstringant, renitentes vel protervos vel discolos aut aliter carnis opera sectantes rigide, prout eorum excessus exegerit, puniendo. Pro hiis vero effectualiter peragendi prelati maiores per se vel per instituendos visitatores aut vicarios in singulis eis commissis conventibus sollicite ordinent et inquirant, si fratres in pace continui, in studio assidui, in predicacione ferventes, que de hiis fama, qui fructus, si in victu et vestitu et aliis ordo servetur; volentes ut cappucia non magna, non nimis parva, sed iuxta doctrinam magistri Umberti in libro de officiis ordinis (2) fiant in mensura competenti. Fratres autem aurum vel argentum in zonis aut cultellis portantes, vel diploidibus secularibus sive aliis quibusvis vestibus et calceamentis seu caligis uten-

---

(1) De fr. Bartholomaeo Texerii cf. supra pag. 243.

(2) Berthier *Humberti de Romanis opera de vita regulari.* Romae 1889 II, 329.

tes, talibus bonis privati simpliciter sint, que ad utilitatem librarie vel sacristie tenore presencium applicamus, et precipimus provincialibus et conventualibus prioribus, ut hoc sine defectu efficaciter exequantur.

Item. Super quorundam prelatorum prava cupiditate querele nobis exposite, qui dicuntur penitencias fratribus iniungendas in penas pecuniarias et proprium commodum dampnabiliter commutare et officia sua, promociones nonnisi pro precio constituto conferre. Huic tam pernicioso crimini obviare cupientes, cum huiusmodi plenam noticiam non habemus, mandamus tenore presencium singulis provinciarum et conventuum patribus predicatoribus generalibus in meritum obediencie salutaris, quatenus, cum id eis de prelato vel quibusvis presidentibus suis a certo constiterit, quamcicius commode poterunt, hoc ipsum per nuncium aut per literas significare rm̃o magistro procurent, et ipse huiusmodi non pastores, sed mercenarios, ordinis destructores absolvere teneatur; et insuper prelatos remissos et negligentes, qui fratrum scandala vel defectus graviores non corrigunt vel ceremonias nostre religionis in se vel aliis parvipendunt, similiter absolvat vel a suis officiis suspendat, sicut magis videbitur expedire.

Item. Ut excluso proprietatis vicio fratres in amore paupertatis perseverent, districte mandamus, quatenus semel in anno fratres nostri omnia bona eis ad usum concessa in scriptis suis prioribus seu presidentibus fideliter consignent, quos omnes in domino commonemus, quatenus pro sacristie et librarie necessariis, in edificiorum reparacione, quibus conventus nostri communiter indigere noscuntur, elemosinas et provisiones secundum graciam ad domino eis datam studeant procurare. Ipsique prelati cum patribus suorum conventuum circa novicios ad ordinem inducendos et eos in moribus educandos curam adhibeant efficacem, gracias iubilariorum indulgentes fratribus, qui sex novicios ad ordinem induxerint, sicut in precedenti capitulo fuit ordinatum (1).

Item. Cum ex omni iure teneamur corpus et capellam beatissimi patris nostri Dominici honorare, considerantes magnam super hoc negligenciam sive ingratitudinem nostram cupientesque sollicite reparari, quod reprehensibiliter est omissum, astringimus et, quantum possumus priores provinciales et magistros in theologia, doctores et predicatores, maxime fervosos et gratos. ac patres et fratres omnes et singulos exhortamur et commonemus, ut exacta diligencia pro ornatu prefate capelle et s. corporis aurum vel argentum, ornamenta vel tabuletas vel reliquiaria seu alia ad decorem et honorem predictorum conferencia studeant procurare et Bononiam mittere vel portare, volentes ac mandantes priori et fratri-

(1) Cf. supra pag. 243 l. 14 sqq.

bus conventus Bononiensis, qui pro tempore fuerit, quatenus ad perpetuam memoriam procuracionum huiusmodi in libro quodam notam eorum fratrum scribi faciant et dominorum, populorum seu privatarum personarum, a quibus illa procuraverint, in capitulis eiusdem domus fiat pro eis memoria sicut pro aliis benefactoribus nominandis (1).

Item. Ne ex ignorancia graduatorum ordo confusionem et dedecus paciatur, statuimus per presentes, ut lecturam sentenciarum pro gradu et forma magisterii aliquis non incipiat in futurum, nisi prius logicam, physicam et saltem per annum sentencias in aliquo conventu cursorie legerit et disputaciones sive responsiones fecerit in exerciciis conventus aut alias ita per rmum magistrum ordinis vel alios, quibus commiserit, sufficiens repertus fuerit, ut vir excellens et doctus sit pro meritis reputandus. Nullus insuper extra carhedras conventuum nostrorum in collegiis vel alibi legere possit in futurum pro gradu et forma predictis; et nichilominus promovendi per antea diligencius examinentur tam de litterarum sufficiencia quam de vite et morum honestate et gravitate; hiique promoti tempus quatuor annorum ad minus in universitatibus complere tenentur. Similiter nullus fiat doctor, nisi gradus omnes in suis provinciis antiquitus perfecerit; oppositum autem facientes suis lecturis, gradibus et doctoratu simpliciter sint privati, ad quos restitui nequeant nisi post triennium ab eorum excessibus computandum.

Item. Honestati fratrum Romanam curiam visitancium intendentes, districtius inhibemus, ne frater aliquis, cuiuscumque gradus et condicionis existat, sine cappa et integro habitu religionis incedat. Nullus denique sine licencia rmi magistri ordinis vel sui provincialis in scriptis obtenta Romanam curiam ingrediatur, ingressus vero infra diem naturalem procuratori ordinis vel eius vices gerenti se presentare teneatur, et omnes suas causas exponere, et nonnisi de eius consilio et assensu procedere in agendis teneatur; oppositum vero facientes per procuratorem vel substitutum carceribus mancipetur. Nos insuper, ne ordo per varios quorumdam fratrum ambiciones, cupiditates seu insolencias in eadem curia scandalizetur, procuratori prefato mandamus, quatenus carceralem rigorem et penas alias exerceat in eosdem, sicut fuit alias ordinatum vel prout eorum excessibus et demeritis iudicaverit expedire.

Item. Statui et honestati nostre religionis utiliter consulere cupientes circa fratres sine testimonialibus litteris discurrentes vel indiscretas indulgencias vel pro questu privato aut aliarum personarum seu quomodolibet aliter [sine licencia] provincialium predicantes, similiter contra habentes recursum contra obedienciam ad personas extra ordinem constitutas et

(1) Cf. supra pag. 176 l. 9 sqq.

circa exponendos ad audienciam confessionum secularium ac fratres ad sacros ordines promovendos, volumus ordinaciones capitulorum generalium precedencium tamquam utiles et necessarios in suo robore permanere.

Insuper fratres alienos terminos seu questus perturbantes et occupantes a prelatis, quorum sunt termini violati, pena carceris vel alia, prout eis iuste videbitur, arceantur; statuentes, ut ad consilia conventuum nostrorum ultra patres emeritos et antiquitus vocari consuetos nonnisi fratres discreti et probiores et, quos tales magister ordinis vel provinciales declaraverint, convocentur; predicatores generales sine causa legitima capitula provincialia postponentes, tamdiu sint predicacione privati, quousque per rmum magistrum vel provincialem seu provinciale capitulum fuerint restituti; exhortantes eosdem provinciales, vicarios et visitatores, ne sint per longam moram conventibus onerosi.

Iste sunt denunciaciones.

Inprimis denunciamus fratribus universis privilegia nostra videlicet mare magnum, privilegium, quod dicitur bulla aurea, in qua exempciones fratrum et locorum ac aliorum ad ordinem pertinencium et exempciones a pedagiis et gabellis et plura alia notabilia continentur, fuisse per ss. dominum nostrum Eugenium papam IV., post preteritum capitulum generale confirmata (1); avisantes et volentes, ut cum omni reverencia diocesanorum et aliorum, cum quibus domus nostre causas habent, fratres nostri privilegiis et iuribus utantur, quatenus ex humilitate nostra non adversarios, sed quantum in nobis est, patres illos efficere valeamus.

Item. Denunciamus rmum in Christo patrem et d. d. magistrum Iohannem de Turrecremata provincie Hispanie, olim magistri s. palacii, ad dignitatem cardinalatus videlicet tituli s. Sixti fuisse assumptum, qui per singularem exemplaritatem vite et magnum lumen sciencie religionem nostram in ecclesia dei et Romana curia illustrat plurimum et exaltat, rmam paternitatem suam omnium beneficiorum ordinis participem facientes in vita pariter et in morte; qui eciam cum oblacionibus et sincera devocione per litteras suas petit fratrum oracionibus commendari (2).

Item et rmum dominum episcopum Salubriensem, dominum Simonem, confessorem illustrissime domine ducisse Burgundie, ad ordinis beneficia acceptamus.

Item. Denunciamus fratribus nostris reverendum patrem et diffinitorem presentis capituli pro provincia Hispanie fr. Alphonsum de Avia (3)

34) Avia] Ama A.

(1) Cf. BO. III, 117 n. 207.

(2) De fr. Ioanne de Turrecremata cf. supra pag. 208.

(3) De fr. Alphonso de Avia cf. l. c. pag. 217.

doctorem fuisse apostolica auctoritate in presenti capitulo, premisso examine, in theologia publice licenciatum, et fr. Raphaelem de Ripis provincie Aragonie similiter premisso examine eadem auctoritate apostolica publice licenciatum, et magisteria insignia suscepisse; quos volumus graciis et privilegiis omnibus aliorum licenciatorum et magistratorum uti et gaudere.

Item. Denunciamus, fr. Albertum de Regio (1) magistrum provincie s. Dominici de conventu Regino ad conventum Trivisanum esse translatum et pro filio nativo deputatum.

Item. Denunciamus, domum beatissime virginis ad angelos in pulchro flore iuxta muros civitatis Ferrariensis per beate memorie illustrissimum dominum Nicolaum quondam marchionem Ferrarie solempniter fundatam et nunc per illustrissimum dominum Leonellum, eius filium, presentem Ferrarie marchionem, continuatam esse, pro conventu acceptatam, et sic illam acceptamus per presentes. De priore autem et fratribus vicarius conventuum regularis observancie providebit, et propter edificacionem et reverenciam dicti domini curam in speciali dicti conventus imponimus magistro Antonio de Alexandria (2) usque ad sequens capitulum generale.

Iste sunt acceptaciones.

Inprimis recipimus et acceptamus ecclesiam s. Marie de Subterranea cum adiunctis domibus in loco de Villanova diocesis Pacensis per reverendum in Christo patrem et d. d. Iohannem (3) episcopum Pacensem ab ordine assumptum, ordini nostro oblatam in provincia Hispanie pro conventu fiendo, et volumus, ut ordinatis officinis, apostolica licencia accedente, de priore et fratribus provideatur per priorem provincialem, ita tamen quod ob reverenciam prefati domini episcopi fr. Dominicus Doctor, eius confessor, primus prior ibidem instituatur.

Item. In provincia Saxonie acceptamus locum Tangermondensem pro conventu.

Iste sunt declaraciones.

Inprimis cum constitucio habeat et racio suadeat, ut priores provinciales ex alienis provinciis et conventuales ex alienis conventibus vel eciam provinciis, dummodo habiles ad officia talia reperiantur, possint assumi, declaramus et ad habundanciorem cautelam, ne sit in ordine nostro accepcio personarum, dicimus, quod eligi possunt et debent fratres de alienis

---

29) Tangermondensem] Taṇgaraminderensem AB.

---

(1) De fr. Alberto de Regio cf. l. c. pag. 187.
(2) De fr. Antonio de Alexandria cf. l. c. pag. 244.
(3) De fr. Ioanne de Moralibus cf. l. c. pag. 237.

provinciis pro officio provincialatus et similiter de alienis conventibus vel provinciis priores conventuales, dum occurrerint huiusmodi electiones fiende, reprobantes non tantum consuetudinem quam abusum, qui non eligi permittunt, nisi fuerint eorum conventuum filii nativi.

Iste sunt commissiones.

Inprimis committimus reverendis patribus diffinitoribus presentis capituli, ut quilibet eorum ad ordinem recipere possit quatuor apostatas et super eorum defectibus dispensare, ita tamen quod appareant vere penitentes et imponatur eis discreta penitencia; valeant eciam quatuor ordinis graciis privatos ad vocem et gracias restituere; et quoscumque per ingressum monasteriorum nostrorum de preterito usque in diem presentem excommunicacionis sentencia irreditos auctoritate rmi magistri ordinis absolvere.

Item. Committimus conventum s. Petri martiris situm inter Mediolanum et Cumas (1) fr. Petro de Alzate (2) magistro, qui de priore et fratribus ibidem providebit.

Item. Comisimus quedam rmo magistro et volumus, quod simplici verbo et litteris rmi patris sic fides simpliciter adhibeatur, ac si ea, que ordinaverit, per omnia presentibus essent inserta.

Item. Quia provincia Anglie omisit mittere ad capitula generalia multis annis, nec provincialis et fratres curaverunt acta in eis recipere vel excusacionem aliquam ad predicta capitula mittere, volumus, ut per magistrum rmum vel vicarium ab eo instituendum ad visitandum, illi, quorum negligencia vel malicia hoc factum, secundum eorum demerita puniantur, et nichilominus acta presentis capituli suscipere et observare teneantur.

Sentencias iudicum approbamus et volumus quoad singula suum sortiri effectum.

Sequens generale capitulum in festo penthecostes ad duos annos celebrandum in conventu Divionensi in provincia Francie assignamus.

Approbamus privilegia studencium in studiis generalibus et volumus, ut graciis concessis eis plene uti possint, et a nemine impediri; ipsi vero litteris et moribus sint diligenter intenti.

Assignatus est in isto capitulo ad legendum sentencias in sacro palacio fr. Matheus de Finario (3).

Conventui Bononiensi pro regente fr. Gaspar de Bononia (4); con-

(1) De quo conventu cf. l. c. pag. 222.
(2) De fr. Petro de Alzate cf. l. c. pag. 238.
(3) De fr. Matthaeo de Finario cf. SSOP. I, 797.
(4) De fr. Gasparo de Bononia cf. supra pag. 244.

ventui Patavino pro regente assignatus est fr. Dominicus de Imola (1), vir doctus et magister in theologia, qui postea factus est episcopus; conventui Mediolanensi datus est pro regente fr. Paulus de Bononia (2).

Pro reverencia fundatorum conventus s. Marci de Florencia assignatus est ad legendum in eodem conventu fr. Hieronimus de Ianua (3) vir apprime eruditus et pro predicatore domicilii fr. Alexander de Bononia (4) predicator eximius (5).

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS APUD ANICIUM CELEBRATI ANNO DOMINI M°· CCCC°· XLVII°· (6)

Declaramus, quod de translacione beati Petri martiris debet ubique in nostris conventibus fieri in crastino festi beati Iohannis ante portam latinam sicut in festo toto duplici sicut in die eiusdem. Et in die sequenti, que est octava maii, debet fieri de apparicione sancti Michelis totum duplex.

Item. Declaramus illud in capitulo de suffragiis, ubi dicitur, quod quilibet conventus celebret ·xx· missas in anno pro fratribus et sororibus nostri ordinis defunctis, quod misse tales preter missas pro defunctis generales debent specialiter celebrari.

Declaramus, quod predicatores generales non possunt in terminis alterius conventus sine licencia prioris provincialis vel assensu prioris conventus illius predicare. Et si secus aliqui fecerint, tamquam invasores terminorum pena in generalibus capitulis taxatam debite puniantur.

---

2) vir — episcopus *additio librarii.*

---

(1) De fr. Dominico de Imola cf. BO. III, 230.

(2) De fr. Paulo de Bononia cf. supra pag. 234.

(3) De fr. Hieronymo de Ianua cf. l. c. pag. 232.

(4) De fr. Alexandro de Bononia cf. l. c.

(5) Anno 1444 capitulum generale celebratum est Divione, cuius acta desunt. In catalogo codicum manuscriptorum conventus Ragusini sequentem notam inveni: «(Alterum) anno 1444 die xxxi. maii celebratum [est] Divione in Galiis sub fratre Bartholomaeo Texerio magistro ordinis, et fuit provincialium. In eo sedit prior provincialis Dalmatie frater Blasius Constantinus Ragusinus, qui deinde fuit episcopus Mercan. et Tribunien. », *de quo cf. supra pag.* 232 et 244.

(6) Quae fragmenta transcripsi e codice Lipsien. n. 768.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD LUGDUNUM PROVINCIE FRANCIE IN FESTO PENTHECOSTES CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCCC°·L°·

Sub rmo in Christo patre fr. Petro Rochim (1), sacre theologie professore eximio, tocius ordinis predicatorum generali magistro.

He sunt ordinaciones.

Inprimis a divinis inchoantes divinoque cultui summopere intendentes omnes et singulos fratres hortamur et monemus in domino, ut circa divinum officium, diurnum pariter et nocturnum, omni cum diligencia velint operam dare, suasque horas devote, distincte, cum pausa in medio versus, iuxta seriem nostrarum constitucionum, observatis debitis inclinacionibus, et secundum cantum ordinis dicere atque celebrare velint, vigiliasque mortuorum secundum usum nostre religionis nunquam dimittere, onerantes consciencias reverendorum patrum provincialium seu visitatorum et presidencium, qui in huiusmodi debeant esse vigiles et delinquentes cum rigore justicie misericorditer ac benigne corrigere, suosque fratres sollicite ad chorum inducere, nec quovis modo, dum dicitur in choro diurnum officium, ipsos permittant circa chorum aut per ecclesiam ambulare.

Item. Advertentes ruinam, desolacionem et casum nostre ss. religionis provenientem ex celeri, repentina et frequenti morte patrum et fratrum ordinis fere in omnibus et singulis provinciis, adeo quod, nisi deus sua misericordia et pietate ac providencia dignetur, facile et in brevi hec tanta religio in nonnullis provinciis plurimum desolata remanebit, ceteraque existencia et faciencia ad gloriam simul et reparacionem ordinis celeri casu peribunt, quamobrem intendentes presentibus, quibus ad conservacionem nostre religionis providemus, universos et singulos priores provinciales simul et priores conventuales omnium conventuum ordinis ceterosque fratres in domino requirimus et hortamur obstrictiusque, ut possumus, monemus, quatenus omni diligencia curaque apposita, novicios et iuvenes ad religionem inducant et induci querant, et inductos ad religionem receptos in ceremoniis religiosis et in bonis moribus instituant et informent, seu instrui et informari faciant, ut veluti nove plantule uberiores valeant producere fructus; precipientes universis et singulis fra-

(1) De fr. Petro Rochim cf. supra pag. 193.

tribus, cuiuscumque condicionis extiterint, in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et privacione omnium graciarum ordinis, quatenus nullomodo velint dare huiusmodi recipiendi repugnanciam et contradictionem; quas penas contravenientes incurrant ipso facto.

Item. Cupientes tam ex mandato summi pontificis quam ex debito nostre religionis collapsa studia relevare, volumus, quod studentes, qui ante completum tempus sui studii a studiis recedunt, graciis et exempcionibus uti in nullo possunt. Insuper studentes a provinciis missi ad conventus, in quibus sunt studia generalia, sine contradictione acceptentur. Graduati cursum suum et lecturas perficiant; ad magisteria non evolent, nisi a magistro ordinis pro scitu de eius (!) sufficiencia licencia concedatur. Fratres ad legendum substituti legere nequeant, nisi in defectu principalium assignatorum. Qui sine lectura prima ante tempus prefinitum ad magisterium promoti fuerint, pro non magistris habeantur. In collegiis vel alias extra scholas nostras pro forma non legatur usque ad sequens capitulum generale, nisi in defectum illorum, qui in presenti capitulo sunt assignati. Nullus ad magistralia insignia promoveri possit sine licencia magistri ordinis; ad magisterium extra ordinem nullus promoveri possit.

Item. Intendentes presentibus obviare discursui fratrum nostri ordinis, sicuti in omnibus capitulis generalibus alias extitit ordinatum, exhortamur et singulos presidentes nostri ordinis monemus, quatenus huiusmodi vagos et instabiles fratres, sine licencia sui provincialis taliter discurrentes et suorum prelatorum obedienciam infringentes, priores provinciales acriter puniant plus vel minus, ut videbitur expediens; gravantes ac eorum consciencias onerantes ex precepto, ut circa hoc omnem apponant diligenciam. Fratres vero discurrentes de provincia in provinciam de licencia suorum prelatorum exhortamur genere honestatis et debito religionis, ut in suo itinere prioribus conventuum et presidentibus domorum nostri ordinis seipsos debeant presentare litterasque testimoniales ostendere et presertim in Romana curia reverendo procuratori vel eius vices gerenti; si vero secus fecerint et reperti fuerint, mandamus eos carceribus mancipari, et omnibus et singulis presidentibus ordinis huiusmodi carcerandi concedimus facultatem.

Item. Nullus pretextu cuiuscumque extranei questus indulgenciasque predicandi discurrat, precïumque vel salarium accipiat nec alium ad hoc inducat; contrafacientes sentenciam excommunicacionis incurrant ipso facto, officio predicacionis bonisque ad usum concessis sint ipso facto privati; prioribusque precipimus, quatenus dictos transgressores puniant. Omnes vero, qui pretextu alicuius licencie extra ordinem in castris, locis seu ecclesiis morantur, sub prefatis penis infra spacium duorum mensium ad ordinem redeant.

Item. Laborans ad ordinis divisionem sit excommunicatus; omnesque conventus mittant ad capitula provincialia fratres suos; contribuciones solvant; revocamusque omnia in contrarium faciencia.

Item. Provinciales pro conventuum reformacione dent operam, fratres observanciales nutriant ac foveant, ipsique observanciales presidentibus ordinis favorem impendant et honorem.

Item. Sub excommunicacionis et gravioris [culpe] pena precipimus, ne quis in predicacionibus quoad seculares fratribus ordinis detrahat, nec absolvatur a pena predicta, nisi famam restituerit. Presidentibus autem precipimus omnibus, ut contra transgressores huiusmodi procedant, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Bononiensi assignamus in regentem fr. Conradum Astensem (1), magistrum in theologia; pro baccalario fr. Barnabam Saxonem de Neapoli (2); pro biblico fr. Gabrielem de Barchinona (3); fratrem quoque Iohannem de s. Miniate pro tercio anno substituimus magistrum studencium.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus sanctissimum dominum nostrum papam Nicolaum V. confirmasse omnia privilegia in mari magno contenta cum declaracionibus alias per sancte memorie Martinum papam V. factis (4), necnon condemnacionem factam per felicis recordacionis Eugenium papam IV (5). articulorum sequencium, quorum primus est, quod confessoribus licenciam generalem confessiones audiendi habentibus eadem peccata, que confessi fuerunt, iterum proprio sacerdoti confiteri tenentur, ac stante statuto in concilio generali, neque deus, neque Romanus pontifex facere possit, quod parochiani non tenerentur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, scilicet parochiali curato confiteri.

Secundus, quod papa non potest licenciam generalem audiendi confessiones tribuere, imo nec deus, quin confessus habenti licenciam generalem teneatur eadem peccata iterum suo proprio sacerdoti veluti parochiali curato confiteri.

Tercius, quod confessio fratribus sic electis et admissis facta dubitabilis et incerta sit, unde tenentur omnes incertum dimittere et sic so-

---

25) *post* statuto *aliquid deesse videtur, forte:* « Omnis utriusque sexus » etc.

---

(1) De fr. Conrado de Ast cf. supra pag. 232.

(2) De fr. Barnaba Saxone cf. SSOP. I, 869.

(3) De fr. Gabriele cf. l. c. pag. 844.

(4) Cf. BO. III, 240 n. V; 263 n. 36.

(5) Cf. l. c. pag. 256 n. 26, et pag. 206 n. 304.

lum confiteri suis sacerdotibus curam animarum habentibus sub pena peccati mortalis.

Quartus, licet ipsi fratres admissi auctoritatem habeant confessiones audiendi et absolvendi, tamen ad eos accedendi subiectus populus sine licencia proprii sacerdotis non habet potestatem.

Quintus, quod fratres mendicantes nostri ordinis privilegia pro confessionibus audiendis et sepulturis habendis petentes et querentes in peccato mortali sunt et Romani pontifices illa mendicantibus concedentes eciam simili peccato inficiuntur et excommunicati sunt; et dicti fratres mendicantes non pastores, sed fures, latrones et lupi censentur. Sacerdos autem curatus mendicantibus confessiones audiendi licenciam dans magis super illo statuto « omnis utriusque sexus » dispensat, quam papa fratribus ipsis mendicantibus licenciam tribuens iuxta formam decretalis antedicte.

Item. Denunciamus prefatum dominum nostrum quedam nova privilegia nostro ordini concessisse; videlicet quod fratres nostri ordinis omnibus et singulis personis infra septa conventus et clausuram domorum nostrarum commorantibus, quociens opus fuerit sacramenta ecclesiastica libere et licite, sicuti illi, qui in nostrum servicium et domorum nostrarum extiterint, ministrandi licenciam et potestatem habeant, eosque post eorum decessum et mortem in eorum cimeteriis sepeliendi, diocesani loci aut alterius cuiuscumque licencia super hoc minime requisita (1).

Item. Motu proprio omnes et singulos vicarios provinciales nostri ordinis ubicumque existentes ad eorum vicariatuum predictorum officia per sedem apostolicam indulta et concessa contra nostri ordinis consuetudines et statuta hactenus deputatos necnon ab ipsis institutos priores et officiales ab huiusmodi vicariatuum, prioratuum et aliorum officialium officiis omnibus et singulis amovit et absolvit, eosque et fratres domorum sive conventuum huiusmodi ad reverendissimi magistri generalis necnon aliorum superiorum nostri ordinis pro tempore electorum subiectionem et obedienciam totaliter reduxit (2); necnon revocavit omnes exempciones indultas, gracias et ordinaciones, specialiter in provincia Aragonie, sub data ·xii· kal. septembris pontificatus prefati sanctissimi Nicolai V. anno secundo emanatas (3).

(1) Cf. l. c. pag. 258 n. 29.
(2) Cf. l. c. pag. 276 n. 52.
(3) Cf. l. c. pag. 259 n. 31.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD ROMAM IN CONVENTU S. MARIE SUPRA MINERVAM CELEBRATI IN FESTO PENTECOSTES DIE ·VIII· MENSIS IUNII ANNO DOMINI · M°· CCCC°· LI°·

Sub magistro Guidone Flamocheti (1) tunc noviter electo, in quo quam plura pro ordinis reformacione et conservacione statuta sunt ac declarata dubia.

Declaratum fuit, quod fratres s. Hieronymi, qui habitum nostri ordinis susceperunt, non sunt fratres ordinis nostri; quapropter preceptum fuit prelatis omnibus ordinis, quatenus exutos habito nostro a nostris conventibus expellerentur.

Fratres ad illos pertinere conventus, in quibus habitum nostri ordinis susceperunt et in quo et pro quo professi sunt, nisi aliter per magistrum ordinis vel priores provinciales ordinatum fuerit.

Quod iubilarii non mutent loca sua, sed illis in locis stare debent, in quibus, antequam iubilarii essent, stabant.

Acceptati sunt in hoc capitulo conventus quidam videlicet primo ad instantiam principis Salernitani locus Angriensis in terra laboris provincie Regni pro conventu; secundo locus Squillagii in Calabria pro conventu eiusdem provincie.

Acceptati sunt ad beneficia ordinis quidam patres ad episcopalem dignitatem ex ordine assumpti videlicet: fr. Gaspar de Bononia (2), magister in theologia episcopus Imolensis; fr. Emmanuel de Candia (3), episcopus Scutarensis; fr. Iohannes Isambardi (4), episcopus Chrystopolitanus; fr. Bernardus Michaelis (5), episcopus Alietrinus (6).

Summus pontifex Nicolaus V. omnibus fratribus, qui ad hoc venere capitulum indulgenciam plenariam contulit. Promisit quoque idem pontifex se daturum operam efficacem pro canonizatione beati Vincencii. Quapropter fratribus universis mandatum est, ut si quid de miraculis eius haberent, cum probacione sufficienti procuratori ordinis mitterent.

(1) De fr. Guidone cf. supra pag. 256.
(2) De fr. Gasparo de Bononia cf. supra pag. 250 et BO. III, 332.
(3) De fr. Emmanuele cf. l. c. 333.
(4) De fr. Ioanne Isambardi cf. l. c. p. 332.
(5) De fr. Bernardo Michaelis cf. l. c. pag. 333 et supra pag. 239.
(6) Loco « Alietrinus » legendum esse puto « Alexiensis » (Alessio) s. Scuratensis.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD NANETAS PROVINCIE FRANCIE IN FESTO PENTECOSTES DIE ·XXVII· MAII ANNO DOMINI ·M°· CCCC°· LIII°·

Sub magistro Marciali Auribelli (1) de Avinione tunc noviter electo.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus omnes ordinaciones factas in capitulo Lugdunensi anno ·m°· cccc°· l°· et in capitulo Romano anno domini ·m°· cccc°· li°· et permaxime ordinaciones factas circa reparacionem studiorum in promocionibus secundum ordinarios cursus, de recipiendis noviciis et contra predicantes questuarias indulgencias.

Ad processionem salve regina post completorium omnes intersint et nemo remaneat.

Fratres inventaria omnium bonorum sibi concessorum circa festum omnium sanctorum suis presentent prelatis sub pena excommunicacionis et privacionis omnium bonorum privacionisque ecclesiastice sepulture in morte. Inventaria predicta sigillata in deposito serventur nec aperiantur nisi in morte fratris aut de licencia magistri ordinis.

Confirmamus penas et censuras, quibus fratribus prohibetur, ne ad Romanam accedant curiam.

Lectores, qui secundum ordinis formam non legunt nec legere sciunt et tamen graciis, dispensacionibus et exempcionibus uti volunt, pro non doctoribus habeantur; precipimusque presidentibus omnibus, ut in hebdomadaria et aliis officiis ordinis occupari faciant et ascribi.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus et statuimus, quod in provincia Francie dumtaxat edicto in perpetuum duraturo et cum omni consilio firmato omnes fratres nostri in universitate Parisiensi secundum ritum eiusdem insignia magistralia suscipientes in posterum preferantur loco et honore atque aliis graciis fratribus omnibus predicte provincie, qui alibi, exceptis Tholosano, Bononiensi et Coloniensi [studiis] seu altero modo licet eadem auctoritate per quatuor annos ante licenciam predictorum magistrorum Parisiensium erant in theologia magistrati.

Iste sunt acceptaciones.

(1) De fr. Martiali Auribelli cf. supra pag. 233.

Acceptamus domum Castri Sanguinis edificatam per dominum Aquini pro conventu in provincia Regni.

Domum Ateile pro conventu in eadem provincia.

Domum Cursalice(?) in eadem provincia pro conventu.

Domus Cerenciani eiusdem provincie pro conventu, Vallistellinensis beate virginis diocesis Aquileiensis provincie Theutonie pro conventu.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus in regentem conventui Bononiensi fr. Petrum de Maioricis (1), magistrum in theologia; in bacchalarium fr. Gabrielem de Barchinona (2); in biblicum fr. Vercellinum de Vercellis (3) pro primo, fr. Henricum Astensem pro secundo anno; in magistrum studencium fr. Bartholomeum de Montignana pro primo anno et fr. Henricum predictum pro secundo. In studentes honoris fr. Iohannem de sancto Miniate (4), fr. Antonium de Finario et fr. Hieronymum Parlasca Cumanum.

Denunciamus, quod summus pontifex dominus Nicolaus papa V. commissionem fecit pro canonizacione beati Vincencii dominis cardinalibus videlicet domino Ianuensi archiepiscopo, cardinali, domino Valentino presbytero cardinali, domino s. Angeli diacono cardinali. Qui domini cardinales super dicta canonizacione legati instituti a prefato pontifice cum plena auctoritate et potestate subdelegandi aliquos ad inquirendum de vita et miraculis beati Vincencii substituerunt atque delegaverunt in regno Hispanie, Aragonie et in ducatu Britannie nonnullos episcopos, prelatos, abbates et dominos ad predicta omnia sancti predicti inquirenda. Quapropter fratribus universis mandamus, ut si qui miracula ab ipso beato Vincencio patrata habuerint vel sciverint, magistro ordinis mittant.

Item denunciamus, quod prefatus summus pontifex ad hoc generale capitulum per magistrum Conradum Astensem (5), procuratorem ordinis, apostolicum breve transmisit, per quod fratribus universis plenariam concedit indulgenciam, et ut possint sibi eligere confessorem, qui eos absolvat a casibus eciam apostolice sedi reservatis.

1) Sanguinis] Sagundinis B. — 5) Cerenciani] Ciritital B. — Vallistellinensis] Vallisolensis B.

(1) Videtur esse idem ac Petrus de Barchinona, de quo supra pag. 244.
(2) De fr. Gabriele de Barchinona cf. l. c. pag. 254.
(3) De fr. Vercellino cf. SSOP. I, 822.
(4) De fr. Ioanne de s. Miniate cf. supra pag. 254.
(5) De fr. Conrado de Ast cf. l. c.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD MONTEMPESSULANUM IN FESTO PENTHECOSTES DIE ·XVI· MENSIS MAII ANNO DOMINI ·M°· CCCC°· LVI°·

Sub reverendissimo patre sacre theologie professore fr. Marciali Auribelli (1) de Avinione, ordinis predicatorum generali magistro.

Iste sunt inchoaciones.

In primis inchoamus hanc, imo pocius renovamus post multas ordinaciones in premissis capitulis generalibus factas, quod, si festum trium lectionum evenerit in dominica die vel tercia feria vel sabbato, ubique in nostro ordine fiat in tercia feria de beato Dominico et in sabbato de beata virgine; et de festo trium lectionum, si infra octo dies immediate sequentes sit feria vacans, officium fiat, alias vero fiat memoria die suo de dicto festo.

Iste sunt ordinaciones.

In primis a divino cultu exordium sumentes, volumus et ordinamus, quod officium divinum diurnum pariter et nocturnum cum debitis inclinacionibus et pausis et non minus distincte ac devote quam breviter et succincte iuxta seriem constitucionum ubique cantetur, cui omnes fratres nisi legitime impediti studeant interesse. Nolentes, quod aliquis frater graduatus aut antiquus, excepta infirmitatis causa, et nisi fuerit in actu lectionis seu predicacionis aut alterius occupacionis pro ordinis provincia vel conventu constitutus a sequela chori precipue missa conventuali, completorio, vesperis festivitatum simplicium et supra ceterisque ordinis obedienciis intelligitur exemptus.

Item. Quia scriptum est: in multis offendimus omnes, et culparum ac transgressionum multiplicacio, nisi per penitenciam et punicionem expientur, in grave cedit periculum animarum et personis religiosis laqueum preparat et ruinam, ordinamus, quatenus singuli priores conventuales in suis conventibus, saltem in mense semel, capitulum de culpis teneant, a quo nullus, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, excepta notabilis infirmitatis causa aut ardue occupacionis, remaneat seu deficiat. Priores autem, qui in hac re negligentes fuerint, ab eorum officio ipso facto per octo dies sint suspensi; fratres vero, qui pro occupacionibus racionabilibus et arduis eidem capitulo interesse nequierint, a

(1) De fr. Martiali Auribelli cf. supra pag. 257.

presidente conventus teneantur aut ante capitulum specialem licenciam petere aut saltem post capitulum legitimam sue occupacionis causam eidem quamtocius, et ad tardius infra diem naturalem, intimare; qui vero huiusmodi capitulis interesse neglexerint, ab egressu a conventu sint per octo dies privati.

Item. Utilitati et profectui fratrum magis quam honoribus intendentes, utpote qui huius mundi honores spernere et omnipotenti deo, cui soli est honor et gloria, servire tenemur, volumus et ordinamus, quod deinceps nullus ad quamcumque lecturam seu eciam magisterium studencium pro forma et gradu assignetur, nisi quem provinciale capitulum habilitaverit seu exposuerit promovendum, ita tamen quod per provincialia capitula nullus exponi vel habilitari possit, nisi per quatuor annos aut saltem per tres, si ingenii acucioris extiterit, in logicalibus et naturalibus studuerit et profecerit competenter et per spacium annorum trium in aliquo studio generali extra suam provinciam aut saltem in sua provincia propria, si ad alienam provinciam commode mitti et transire nequiverit, dummodo in aliquo conventu, in quo sit generale studium, sit assignatus et in lectionum audiencia et disputacionum seu circulorum frequencia exercitatus; deinde vero fratres in propriis provinciis seu eciam alienis poterunt in lectores vel cursores, saltem ad biennium, in aliquo conventu assignari ad proficiendum iuxta graciam a domino illis impensam. Et sic huiusmodi fratres, si in provincialibus capitulis reperiantur idonei, poterunt exponi et habilitari, ut, [prout] in generali capitulo fuerit provisum et ipsorum sufficiencia et idoneitas exegerit, promoveantur.

Precipientes in virtute spiritus sancti et sancte obediencie, quatenus nullus, cuiuscumque officii et gradus seu condicionis existat, aliquem deinceps ad bacchalaureatus officium presentare seu promovere presumat, nisi quem constat, saltem triginta vel circa etatis sue annum attigisse. Qui vero ante dictum tempus promoti fuerint, pro non promotis simpliciter habeantur.

Declarantes eciam, sicut et alias in generalibus capitulis declaratum est, quod nullus frater ad gradum biblicatus aut bacchalaureatus promotus gracias seu locum huiusmodi gradus tenere debet, donec fuerit in aliqua universitate, ad quam lecturus mittitur, incorporatus. Provinciales autem vel diffinitores in generali capitulo de promovendis secundum deum et bonam conscienciam fidem facere teneantur, quod idonei et sufficientes sint ad gradum, pro quo petuntur assignari, et quod in provincialibus capitulis fuerint expositi seu habilitati; et quod nullus ad gradum magisterii admittatur, nisi per quatuor annos fuerit in cursu pro forma et gradu magisterii.

Exhortantes reverendissimum magistrum, quod hanc ordinacionem inviolabiliter teneat nec cum aliquo super ipsam dispenset. Precipientes denique in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub excommunicacionis sentencia, quam unica pro trina admonicione premissa contra omnes et singulos contravenientes proferimus in hiis scriptis, quatenus nullus gradum assumat absque reverendissimi magistri ordinis vel capituli generalis licencia speciali, petita pariter et obtenta.

Item. Detestabili proprietatis vicio pro viribus obviare cupientes, volumus et ordinamus et nichilominus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie precipientes mandamus omnibus et singulis fratribus ordinis nostri, quatenus semel ad minus in anno per totum mensem novembris omnia bona illis ad usum concessa redigant in scriptis et presidentibus eorum presentent, tamquam seipsos omnis rei proprietate spoliantes. Qui vero in hac re negligentes extiterint, omnibus bonis eorum ipso facto sint privati, que volumus noviciorum et infirmorum necessitatibus et subvencionibus applicari. Et si contigerit eos in huiusmodi proprietate mori, beneficiis ordinis et ecclesiastica sepultura priventur et presencium tenore huiusmodi fratres tamquam proprietarios denunciamus esse privatos.

Item. Ordinacionem de ingredientibus Romanam curiam in multis generalibus capitulis factam tamquam laudabilem, immo necessariam, approbamus et confirmamus. Adiicientes et imponentes procuratori ordinis et eius vices gerenti, quod nulli licenciam tribuat in curia residenti, nisi prius suscepto iuramento, quod nichil per aliquem apud quamcumque personam per se vel per alium procuret in curia nisi de scitu procuratoris aut eius locum tenentis pariter et assensu.

Idem intelligi volumus de hiis, qui per nuncios vel per litteras aliquid in eadem curia satagunt obtinere, licet personaliter ad curiam non accedant. Excommunicacionis sentenciam in huiusmodi ordinacione in precedenti capitulo Nanatensi latam presencium tenore revocantes et removentes et eandem in carceralis custodie penam commutantes, si secus facere reperiantur.

Item. Unitatem et pacem in nostro ordine et inter eius fratres conservare et stabilire pro viribus cupientes, in virtute spiritus sancti et sancte obediencie districtius inhibemus, quatenus nullus frater, cuiuscumque gradus seu condicionis extiterit, ad quemvis principem vel prelatum aut quoscumque dominos vel dominas recurrere presumat pro obtinendis litteris vel favoribus circa ea, que statum conventuum concernunt, ut scilicet fratres in quovis conventu commorantes eiiciantur et alii loco ipsorum introducantur; sed si quid circa fratres ipsos corrigendum fuerit, tantummodo ad superiores seu prelatos ordinis recursum habeant,

ut iuxta demerita eorumdem puniantur et statui conventuum provideatur, prout fuerit opportunum. Qui autem in hoc prevaricatus fuerit, tamquam destructor nostri ordinis habeatur et ipso facto carcerali custodie recludatur, et maxime cum tales iuxta seriem nostrarum constitucionum tamquam ordinis infamatores sint sentencia excommunicacionis innodati.

Item. Cum in constitucionibus habeatur, quod numerus predicatorum generalium numerum conventuum non excedat, volumus et ordinamus, quod deinceps nullus instituatur predicator generalis, donec fuerit numerus huiusmodi predicatorum adeo diminutus, quod numerus conventuum excesserit numerum eorundem. Declarantes et presentis tenore statuentes, quod quicumque ultra dictum numerum conventuum instituti fuerint, pro non predicatoribus generalibus et pro non vocalibus in scrutiniis capitulorum provincialium simpliciter habeantur; exhortantes provinciales et diffinitores provincialium capitulorum, quod circa sufficienciam predicatorum huiusmodi diligenter attendant et tenori constitucionum se conforment.

Item. Cum habitus exterioris conformitas ex interioris habitus conformitate provenire soleat, volumus et ordinamus, quod in toto ordine nostro ubique et presertim in provinciis Hispanie et Portugallie fratres omnes habeant cappas non alterius coloris quam nigri; cappas vero grisei coloris qui habent, eas aut tingi faciant colore nigro aut, destructis eis, pannos earum ad alios usus exponant. Qui vero huiusmodi cappas dimittere neglexerint, cappis ipsis per provinciales priventur, et noviciorum necessitatibus applicentur.

Item. Religioni et honestati fratrum ac secularium edificacioni providere cupientes, volumus et ordinamus, quod clausura conventuum taliter ubique servetur, quod persone seculares libere non valeant intrare conventus, nec nisi ex causa racionabili et utili et cum expressa licencia exeant civitatem.

Item. Sicut iuxta regulam nostram unanimes habitare debemus in domo, ita debitum est, ut simul eciam discumbamus in mensa. [Quocirca] statuimus et ordinamus, quod nullus frater, cuiuscumque gradus et condicionis existat, presumat comedere seu mensam tenere in cella, nisi causa infirmitatis; sed omnes aut in refectorio aut in hospicio conveniant pro refectionibus opportunis; super quo priores provinciales invigilent diligenter et contravenientibus penitencias duras et notabiles imponant; precipue quod nec panem nec vinum nec pictanciam habeant a conventu; et si obedire recusaverint, voce et graciis ordinis priventur, non obstantibus in oppositum concessis graciis quibuscumque. Poterunt autem plerumque notabiles alieque persone ecclesiastice vel seculares ad

aliquam refectionem in camera alicuius fratris admitti, sed hoc raro et de licencia presidentis speciali.

Item. Custodie librorum tamquam preciosissimo thesauro diligenter intendere cupientes, volumus et ordinamus, quod priores provinciales in visitacione conventuum inspici seu revideri aut eciam, si opus fuerit, fieri seu renovari faciant inventaria librorum, neque cuicumque persone extra septa monasterii mutuentur libri huiusmodi nisi de fratrum consilio aut maioris partis eorum scitu pariter et assensu; si qui vero libri aliter de librariis extracti fuerint absque licencia et assensu predictorum fratrum ad librarias reducantur; fratres vero, qui libros huiusmodi tenuerint absque eorumdem consensu fratrum de consilio, per provinciales priores vel eorum vicarios sub precepto sancte obediencie et pena carceris et, si opus extiterit, sub excommunicacionis sentencia restituere et in communi reponere teneantur, (compellere).

Item. Cum ad salutem animarum per predicacionis officium procurandum ordo noster sit specialiter institutus, volumus et ordinamus omnibus et singulis predicatoribus nostri ordinis districtius imponentes, quod verbum dei devote et ferventer studeant predicare, omissis fabulis et histrionalibus et cantibus ac representacionibus et huiusmodi levitatibus; et priores provinciales ac conventuales tales adulteratores verbi dei reprimere curent; et si desistere noluerint, predicacionis officio et confessionum audiencia priventur.

Item. Ne per ignoranciam seu tardiorem noticiam eorum, que in generali capitulo disponuntur, fratres ordinis ab observacione ordinacionum se valeant excusare, volumus et ordinamus, quod post capitulum generale provincialia capitula indilate celebrentur; quod si infra sex mensium spacium celebrari non possint, priores provinciales immediate post capitulum generale per se vel per alium visitare teneantur conventus provinciarum suarum, in quibus acta generalis capituli publicentur et in ipsis actorum copie relinquantur.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus fratribus nostri ordinis universis, quod sanctissimus dominus noster Calistus, divina providencia papa tercius, anno proxime preterito videlicet ·mccccl v· in festo apostolorum Petri et Pauli ·xxix· iunii in ecclesia sancti Petri de Roma, presente curia sua et ingenti multitudine populi cum maxima solemnitate ac devocione, ipso sanctissimo domino papa missarum solemnia celebrante et devotum proponente sermonem, beatum virum magistrum Vincencium Ferrerii de Valencia ordinis nostri canonizavit et sanctorum in celesti curia triumphancium catalogo adscripsit ac tamquam veraciter ac rite apostolica auctoritate adscriptum ab omnibus fidelibus acceptari et coli mandavit. Et

volumus et mandamus, quatenus in singulis conventibus nostri ordinis festum eius celebretur die quinta aprilis; pro qua in chalendario ubique ponatur et de eo fiat officium sub toto duplici cum hymnis et antiphonis et responsoriis, prout in presenti capitulo magistro ordinis fuit commissum, et in litania immediate post sanctum Thomam nominetur; fiat quoque de ipso memoria per totum annum sicut de aliis sanctis ordinis nostri.

Item. Denunciamus, dominum papam in universalem protectorem ac defensorem ordinis nostri deputasse reverendissimum in Christo patrem dominum Alanum, miseracione divina sacrosancte Romane ecclesie cardinalem presbyterum tituli sancte Praxedis, Avinionensem vulgariter nuncupatum, et in presenciarum in Francia apostolice sedis legatum, quem volumus in omnibus et singulis capitulis nostri ordinis oracionibus fratrum specialiter commendare.

Item. Denunciamus sacratissimum corpus sancti Vincencii prenominati, quod in civitate Venetensi Britannie in ecclesia cathedrali humili solo iacebat presentibus prefato reverendissimo domino legato, illustrissimo domino duce Britannie, illustrissimaque domina ducissa eius· consorte, reverendissimo patre domino episcopo Venetensi, reverendissimo magistro ordinis prenominato ac nonnullis dicte ecclesie canonicis atque nonnullis nostri ordinis fratribus die quinta mensis aprilis presentis anni ·mccccLvi·, comitantibus plurimis miraculis, exhumatum extitisse et alio in loco honorabili repositum cum tribus seris et totidem clavibus, quarum clavium unam per se retinuit prefatus dominus legatus, aliam tradidit custodiendam prefato domino duci, aliam vero prefato domino episcopo.

Celebrata quoque fuit in honorom eiusdem sancti solemnissima processio, cui interfuit pene innumerabilis populi multitudo, ut prestimatum fuit usque ad centum quinquaginta millia personarum et usque ad numerum centum fratrum ordinis nostri.

Item. Denunciamus, reverendissimum magistrum ordinis, dum huiusmodi exhumacio corporis fieret, coram testibus et notario cum solemni protestacione a prefato domino episcopo et dicte ecclesie canonicis instantissime peciisse dictum sacratissimum corpus sibi seu ordini suo dari, cum de iure ad ordinem pertineat; quod quidem licet non obtinuerit, intendit tamen reverendissima sua paternitas in Romana curia apud summum pontificem pro preciosi thesauri obtentu et recuperacione in brevi, quam tocius poterit, operam dare pro viribus efficacem, seipsum iterato ad Romanam curiam transferendo, prout per omnes provinciales et diffinitores unanimiter et instanter extitit requisitus.

Item. Denunciamus fratrem Alphonsum de sancto Romualdo provincie Hispanie et fratrem Iohannem Querald provincie Aragonie, fra-

trem Iohannem Episcopi de Paternis et fratrem Gobertum de Laude provincie Francie per magistrum ordinis apostolica auctoritate in presenti capitulo ad magisterii gradum fuisse promotos et ipsum eundem magisterii sive doctoratus insignia contulisse.

Item. Denunciamus omnibus et singulis fratribus nostri ordinis, quod reverendissimus magister ordinis de consilio novem vel decem notabilium patrum, inter quos erant nonnulli provinciales et magistri, ex nonnullis racionabilibus et arduis causis auctoritate apostolica convocasse omnes provinciales ad presens capitulum generale, qui eciam cum aliis diffinitoribus provinciarum diffinierunt, non tamen derogando constitucionibus ordinis nostri; unde volumus et mandamus, quod eisdem de expensis per eos factis satisfiat.

Item. Denunciamus omnibus et singulis fratribus ordinis nostri, reverendissimum magistrum ordinis a summo pontifice Nicolao papa quinto bullam obtinuisse reductionis fratrum ad ordinis obedienciam tria principaliter continentem:

Primo quod omnes vicarii, magistri seu bacchalaurei per sedem apostolicam instituti simpliciter sint quoad huiusmodi officia et gradus in potestate et iurisdictione reverendissimi magistri ordinis.

Secundo quod omnes fratres, qui absque magistri ordinis vel capituli generalis licencia speciali, petita pariter et obtenta, ad habitum monachalem seu ad aliam quamvis religionem eciam per dispensacionem a sede apostolica obtenta transierunt, possunt a magistro compelli, quod ad ordinem revertantur.

Tercio de fratribus extra obedienciam seu domos ordinis commorantibus absque speciali licencia magistri ordinis vel capituli generalis ad serviendum ecclesiis seu capellis, quod ad commorandum in ordine sub obediencia superiorum compellantur, eciamsi auctoritate apostolica tales servicium, beneficium vel capellaniam obtinuissent (1).

Item. Denunciamus, quod ad instanciam reverendissimi domini episcopi Burgensis in conventu Burgensi provincie Hispanie positum est studium generale sine gradu tamen et forma, ut ad ipsum conventum fratres tam provincie Hispanie quam aliarum provinciarum possint pro studio destinari.

Et idem disposuimus de conventu Panormitano provincie Trinacrie, et conventu Aquilano provincie regni Sicilie, quod eciam ibidem vigeat studium generale sicut in dicto conventu Burgensi.

Iste sunt declaraciones.

In primis cum magisterii gradus nonnisi auctoritate apostolica con-

(1) Cf. BO. III, 323 n. 108.

feratur, declaramus, quod nullus frater potest ad aliquam lectoriam seu officium pro forma et gradu assignari, nisi per capitulum generale aut magistrum ordinis, quibus huiusmodi promocionum commissa est auctoritas, fuerit assignatus. Declarantes eciam specialiter de promotis in provincia Anglie per provinciales seu per capitula provincialia non fuisse rite promotos. Et volumus et ordinamus, quod deinceps se de huiusmodi promocionibus non intromittant; quod si secus factum fuerit, volumus et ordinamus, quod tales sic promoti pro non promotis simpliciter habeantur. Adiicientes, quod priores provinciales seu capitula provincialia non possint assignare studentes honoris, sed tantum magister ordinis vel capitulum generale.

Item. Circa substitutos ad aliquam lectoriam vel gradum declaramus, quod vigore substitucionis nulli fratri aliquid ius collatum est in illa lectoria vel gradu, ad quem substitutus est, nisi precise si fratrem aliquem assignatum mori vel abesse contingat, frater substitutus loco eius succedet, tamquam si foret assignatus pro illo gradu vel lectoria.

Iste sunt commissiones.

In primis quia conventus terre peregrinancium non possunt per vicarium sicut hactenus gubernari, committimus conventus Russie provinciali Polonie, illos iudicio et regimini illius submittendo; et similiter conventus contrate Moldavie et Valachie maioris et minoris provinciali Ungarie; reliquos conventus Grecie et conventum Caphensem provinciali Grecie.

Item. Reformacionem conventus Zutphensis et Harlemensis provincie Saxonie, pro quo scripsit illustrissimus dominus dux Burgundie capitulo generali, et conventus Magdeburgensis, pro cuius reformacione scripsit reverendissimus dominus episcopus Magdeburgensis, committimus magistro Iohanni de Essendia (1) provincie Saxonie imponentes eidem, quod dictorum conventuum reformacioni ad regularem vitam diligenter et sollicite intendat, eidem super premissis potestatem plenariam committendo quoad singula requisita.

Item. Pro pace, tranquillitate et quiete fratrum de vita regulari volumus et ordinamus, quod mortuo vel amoto magistro ordinis vicarii conventuum vite regularis, per ipsum magistrum instituti vel in futurum instituendi, permaneant in officio vicariatus cum omni iurisdictione et potestate, quam habent, donec per alium magistrum ordinis aut generale capitulum fuerit aliter ordinatum.

---

24) Zutphensis] Zurensis B. — 28) Essendia] Aliendia B.

---

(1) De fr. Ioanne de Essendia cf. supra pag. 233.

Item. Aliqua commisimus reverendissimo magistro ordinis super predictis et aliis ad statum seu disposicionem ordinis et conventuum ac fratrum spectantibus, cuius ordinacioni ac testimonio atque litteris seu verbo simplici adhiberi volumus plenam fidem.

Iste sunt acceptaciones.

In primis acceptamus conventum sancti Benedicti de Messana provincie Trinacrie nuper apostolica auctoritate obtentum, cuius regimen et gubernacionem committimus vicario conventuum reformatorum in provincia Trinacrie.

Item. Acceptamus ad beneficia ordinis RR. PP. dominum Ivonem episcopum Magarensem et episcopum Christopolitanum, dominum Laurencium abbatem sancte Marie de Plumbeto.

Iste sunt assignaciones.

Damus in regentem conventui Bononiensi magistrum Barnabam de Neapoli (1), ad legendum sentencias pro primo anno fratrem Vercellinum de Vercellis (2), pro secundo et tercio fr. Bartholomeum de Montagnana (3), cui substituimus fr. Henricum de Ast (4), ad legendum bibliam pro primo anno fr. Bartholomeum predictum, cui substituimus fr. Hieronimum de Plasta (5), pro secundo anno dictum fr. Hieronimum, cum substituimus fr. Simonem de Novaria, pro tercio anno dictum fr. Simonem. In magistrum studencium pro primo anno fr. Simonem predictum, pro secundo fr. David de Monteferato, cui substituimus fr. Iohannem(!) predictum. In studentes theologie assignamus fr. Bartholomeum de Cremolino et Anselmum de Arecio et Lucam de Vacia provincie Ungarie.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Primo. Pro papa Calixto quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro regibus Francie, Castelle, Arragonie et consortibus ac liberis eorumdem quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domino cardinali sancti Angeli duo milia missarum et quelibet provincia pro sua rata satisfacere teneatur.

Item. Pro domino Avinionensi protectore ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro duce Britannie et consorte eius quilibet sacerdos tres missas.

---

(1) De fr. Barnaba de Neapoli cf. supra pag. 254.
(2) De fr. Vercellino cf. l. c. pag. 258.
(3) De fr. Bartholomaeo cf. l. c.
(4) De fr. Henrico de Ast cf. l. c.
(5) De fr. Hieronymo *supra* Parlasca cf. l. c.

Item. Pro duce Burgundie et pro comite [de] Fuxo et eorum consortibus ac liberis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro magnificis consiliariis Burgundie et habitatoribus Montispessulani quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Item. Pro domino Nicolao papa quinto quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domino Metensi, olim protectore ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui in hoc capitulo recitati fuerunt, et ascendit eorum numerus usque ad quingentos fratres vel circa, quilibet sacerdos unam missam.

Sequens capitulum, quod erit provincialium assignamus ad tres annos immediate sequentes celebrandum in conventu Coloniensi, et provinciales singuli in eorum capitulis informaciones recipiant et raciones super celebracione capituli generalissimi et illas deferant ad futurum capitulum generale.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS IN CONVENTU NOVIMAGENSI PROVINCIE SAXONIE CELEBRATI DIE ·XIII· MENSIS MAII IN FESTO PENTHECOSTES ANNO DOMINI ·M°·CCCC°·LIX°·

Sub reverendissimo s. theol. professore fratre Marciali Auribelli (1) de Avinione, tocius ordinis predicatorum magistro generali; existentibus diffinitoribus reverendis provincialibus et nonnullis provinciarum ordinis patribus infrascriptis videlicet:

Fr. Iohanne Vassoris magistro provinciali Tholosano (2),
Fr. Leonardo de Utino magistro provinciali s. Dominici (3),
Fr. Francisco de Monopoli magistro provinciali regni Sicilie (4),
Fr. Petro Wellen magistro provinciali Theutonie (5),
Fr. Vualtero Vuinhal magistro provinciali Anglie,

25) tocius *om.* V. — existentibus — Portugallie *om.* V.

(1) De fr. Martiali cf. l. c. pag. 226.
(2) De fr. Ioanne cf. l. c. pag. 226; MARTÈNE *Ampl. Coll.* VI, 435.
(3) De fr. Leonardo de Utino cf. l. c. pag. 213.
(4) De fr. Francisco de Monopoli cf. l. c. 216.
(5) De fr. Petro Wellen cf. MOPH. VII, indicem.

Fr. Ludolpho de Portu bachalario formato provinciali Dacie,
Fr. Iacobo de Lugostia magistro provinciali Polonie,
Fr. Andrea de Vindimiens lectore provinciali Bohemie,
Fr. Frederico Molitoris magistro provinciali Saxonie (1),
Fr. Petro de Maxilla magistro diffinitore Hispanie,
Fr. Rolando le Cozic magistro diffinitore provincie Francie (2),
Fr. Silvestro Francisci de Florencia magistro diffinitore prov. Romane,
Fr. Thoma Siculo lectore diffinitore provincie Hungarie,
Fr. Iohanne de Ruppe magistro diffinitore provincie Provincie,
Fr. Iohanne Cruoco doctore diffinitore provincie Portugallie.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus, quinimo pocius renovamus hanc post multas ordinaciones in diversis capitulis generalibus factas, quod si festum trium lectionum eveniat in dominica die vel tercia feria vel sabbatho, ubique fiat in tercia feria de beato Dominico et in sabbatho de beata virgine, et de festo trium lectionum, si infra octo dies immediate sequentes sit feria vacans, officium fiat, alias vero fiat memoria de ipso festo die sua.

Item hanc: Quod in crastino sancti Iacobi apostoli de beata Anna ubique et in singulis conventibus fiat totum duplex.

Item. Quia fel. rec. dominus Callixtus papa ·iii· statuit, festum transfiguracionis domini solempniter celebrandum, collatis magnis indulgenciis, volumus, quod celebretur in crastino sancti Dominici patris nostri sub toto duplici. De officio vero utriusque festi providebitur in capitulo generali sequenti; interim vero fratres conformabunt se ecclesiis suorum locorum.

Iste sunt ordinaciones.

In primis a divino cultu exordium sumentes, volumus et ordinamus, quod officium divinum diurnum pariter et nocturnum in ecclesiis conventuum ordinis cum debitis inclinacionibus et pausis et non minus distincte et devote quam breviter et succincte iuxta nostrarum seriem constitucionum ubique cantetur; cui omnes fratres nisi legitime impediti studeant interesse. Nolentes, quod aliquis frater quantumcumque graduatus aut antiquus, excepta infirmitatis causa, nisi fuerit in actu lectionis

17) ipso] dicto P. — 18) item] inchoamus PV. — hanc *om.* P. — crastino] crastinum P. — 19) fiat] officium *add.* V. — 20) papa *om.* P. — 21) domini] diem P. — celebrandum] celebrari V. — 22) crastino] crastinum P. — 27) sumentes] assumentes P. — 29) cum — et obtenta dicatur] secundum tenorem constitucionum nostrarum V. — 32) frater] cuiuscumque gradus aut condicionis existat *add.* P. — 33) lectionis] aut disputacionis *add.* P.

(1) De fr. Frederico Molitoris cf. supra pag. 234.
(2) De fr. Rolando le Cozic cf. SSOP. I, 812.

seu predicacionis aut alterius occupacionis pro ordine, provincia vel conventu continue constitutus, a sequela chori precipue missa conventuali, vesperis et completorio festivitatum simplicium et supra ceterisque ordinis obedienciis intelligatur exemptus.

Item. Quia scriptum est: in multis offendimus omnes, culparumque ac transgressionum multiplicacio nisi per penitenciam et punicionem congruam expientur, in grave cedit periculum animarum et personis religiosis laqueum preparat et ruinam, volumus et ordinamus, quatenus singuli priores conventuales in suis conventibus saltem semel in mense capitulum de culpis teneant, a quo nullus, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, excepta notabilis infirmitatis aut ardue occupacionis causa, remaneat seu deficiat. Priores vero, qui in hac re negligentes fuerint, ab eorum officio ipso facto per octo dies immediate qualibet vice sint suspensi, cui suspensioni subiaceant. Fratres vero, qui pro occupacionibus racionabilibus et arduis eidem capitulo nequierint interesse, a preside conventus teneantur aut ante capitulum specialem licenciam petere aut saltem post capitulum legitimam occupacionis sue causam eidem quamtocius et ad tardius infra diem naturalem intimare. Qui vero huiusmodi capitulo interesse neglexerint, ab egressu a conventu per octo dies sint privati.

Item. Utilitati et profectui fratrum magis quam honoribus intendentes, utpote qui mundi huius honoris spernere et omnipotenti deo, cui soli est honor et gloria, servire tenemur, volumus et ordinamus, quod deinceps nullus ad quamcumque lecturam seu eciam magisterium studencium pro forma et gradu magisterii assignetur, nisi quem provinciale capitulum habilitaverit seu eciam exposuerit promovendum; ita tamen quod per provincialia capitula nullus exponi aut habilitari possit, nisi qui per quatuor annos aut saltem per tres, nisi ingenii acucioris extiterit, in logicalibus et naturalibus studuerit et profecerit competenter et per spacium trium annorum in aliquo studio generali extra suam provinciam aut saltem in propria, si ad aliam commode mitti et trahere nequierit, dummodo in aliquo conventu, in quo generale sit studium, sit assignatus et in lectionum audiencia et disputacionum seu circulorum frequencia exercitatus. Deinde vero fratres huiusmodi in propriis provinciis seu alienis poterunt in lectores vel cursores saltem ad biennium in aliquo conventu assignari ad ceteris proficiendum iuxta graciam a domino illis impensam. Et sic huiusmodi fratres, si in provincialibus ca-

1) aut] vel P. — 8) religiosis] irreligiosis P. — 12) fuerint] inventi *add.* P. — 15) preside] presidente P. — 17) occupacionis] excusacionis P. — 22) spernere] spreverunt P. — 23) soli *om.* P. — 24) ad quamcumque] quoad P. — eciam *om* P. — 31) propria] provincia *add.* P. — 32) sit *post* studium fuerit V. — 35) ad] in P. — 36) ceterum] ceteris V. — 37) illis] eis P.

pitulis reperiantur ydonei, poterunt exponi et habilitari, ut, [prout] in generali capitulo provisum fuerit et ipsorum sufficiencia seu ydoneitas exegerit, promoveantur. Precipientes in virtute spiritus sancti et sancte obediencie, quatenus nullus cuiuscumque officii, gradus aut condicionis existat, aliquem deinceps ad bacalaureatus officium presentare aut promovere presumat, nisi quem constat saltem ·xxvi· annum vel circa sue etatis attigisse. Qui vero ante dictum tempus promoti fuerint, pro non promotis simpliciter habeantur. Declarantes eciam, sicut alias in capitulis generalibus declaratum est, quod nullus frater ad gradum biblicatus ac bacalaureatus promotus, gradum seu locum gradus huiusmodi detinere debet, donec fuerit in aliqua universitate, apud quam lecturus mittitur, incorporatus. Provinciales vero et diffinitores in capitulo generali de promovendis per eos secundum deum et conscienciam bonam fidem facere teneantur, quod ydonei et sufficientes sint ad gradum, pro quo petuntur assignari; et quod in provinciali capitulo fuerint, ut premittitur, expositi seu habilitati; et quod nullus ad gradum magisterii admittatur, nisi per quatuor annos ad minus fuerit in cursu pro gradu et forma magisterii. Exhortantes reverendissimum magistrum ordinis, quod hanc ordinacionem inviolabiliter teneat nec cum aliquo super ipsam dispenset. Precipientes in virtute obediencie et spiritus sancti et sub excommunicacionis sentencia, quam unica canonica pro trina monicione premissa contra omnes et singulos contravenientes proferimus in hiis scriptis, quatenus nullus magisterii gradum assumat absque reverendissimi magistri ordinis aut capituli generalis licencia speciali petita pariter et obtenta.

Item. Detestabili proprietatis vicio pro viribus obviare cupientes, volumus et ordinamus et nichilominus in virtute spiritus sancti et obediencie sancte districte precipiendo mandamus omnibus et singulis fratribus ordinis nostri, quatenus ad minus semel in anno per totum mensem novembris vel circa omnia bona sua ad usum illis concessa redigant in scriptis et presidentibus eorum presentent tamquam seipsos omni rerum proprietate expoliantes. Qui vero in hoc negligentes extiterint, omnibus bonis eorum ipso facto sint privati, que volumus omnia noviciorum et infirmorum necessitatibus et subvencionibus applicari. Et si contigerit eos in huiusmodi proprietate mori, omnibus beneficiis ordinis et ecclesiastica sepultura priventur, a qua presencium tenore huiusmodi fratres tamquam proprietarios denunciamus esse privatos.

---

1) et] aut P. — 6) vel circa *om.* P. — 9) capitulis generalibus] capitulo generali P. — ac] aut P. — 10) gradum] gracias V. — detinere] tenere P. — 12) provinciales] priores P. — 13) de promovendis per *om.* V. — 20) precipientes] denique *add.* P. — obediencie] sancte *add.* P. — 21) sentencia quam] pena quam sentenciam P. — canonica *om.* P. — premissa *om.* P. — 22) contravenientes *om.* P. — 29) vel circa *om.* PV. — sua *om.* PV. — 31) expoliantes] spoliantes V. — hoc] hac re P. — 33) et subvencionibus *om.* V. — et si — privatos *om.* V.

Item. Ordinacionem de ingredientibus Romanam curiam in multis generalibus capitulis factam tamquam laudabilem immo necessariam approbamus et confirmamus. Adiicientes et imponentes procuratori ordinis vel eius vices gerenti, quod nulli licenciam tribuat in curia residendi, nisi prius suscepto iuramento, quod nichil per aliquem apud quamcumque personam per se vel per alium procuret in curia nisi de scitu procuratoris vel eius vices gerentis voluntate pariter et assensu. Et idem intelligi volumus de hiis, qui per nuncios vel litteras aliquid in eadem curia obtinere volunt, licet personaliter ad curiam non accedant, excommunicacionis sentenciam in huiusmodi ordinacione in capitulo generali Nanetensi latam presencium tenore removentes et revocantes et eandem in carceralis custodie penam commutantes, si secus facere reperiantur.

Item. Religioni et honestati fratrum et secularium edificacioni intendere cupientes, volumus et ordinamus, quod clausura conventuum taliter ubique servetur, quod persone seculares non valeant libere intrare conventum nec fratres nisi ex causa racionabili et utili et cum expressa licencia exeant ad civitatem.

Item. Scandalosis dissolucionibus quorumdam fratrum obviare cupientes ordinacionem factam in capitulo Romano de indulgenciis non predicandis renovantes mandamus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena excommunicacionis late sentencie, quam scriptam in diffinitorio tulimus et per presentes ferimus, quatenus nullus, cuiuscumque gradus existat, presumat de cetero indulgencias quascumque per ceretanos seu clericos officii ita appellatos sibi exhibitas aut eorum nomine quocumque medio presentatas quocumque modo predicare aut cum predictis ceritanis aut communem modum questuandi quocumque modo sectantibus incedere, familiaritatem racione questus contrahere aut quocumque pacto tacito vel expresso mercede vel antidoto qualitercumque percipiendo quamcumque indulgenciam predicare seu publicare. Oppositum vero facientes ipso facto sint excommunicati et tenore presencium carceri mancipentur et omnibus graciis ordinis sint privati, quos ex nunc prout ex tunc privamus premissis. Adiicientes, quod nullus frater, cuiuscumque gradus et condicionis existat, (non) audeat predicare nec verbum dei proponere, nisi per capitulum generale aut per reverendissimum magistrum aut priorem provincialem ad hoc fuerit deputatus. Mandando prioribus provincialibus, ut in suis capitulis de predicatoribus in singulis conven-

6) procuret — relinquantur] etc. secundum quod in ordinacionibus in aliis capitulis factum V. — curia] ipsa P. — 7) vices gerentis] locum tenentis P. — 8) vel] seu P. — 9) volunt] satagunt P. — 11) removentes et *om.* P. — eandem *om.* P. — 15) libere *om.* N. — 21) scriptam] scriptanter P. — 24) ita *om.* P. — 26) ceritanis] serratariis P. — communem] eorum P. — 29) predicare seu *om.* P. — 30) et *om.* P. — 31) prout ex] pro P. — 33) et] aut P.

tibus provideant, ad que loca venire teneantur, qui ad hoc fuerint deputati. Et qui oppositum fecerint, ipso facto a predicacione verbi dei sint privati, donec per reverendissimum magistrum ordinis ad dictum officium predicacionis sue fuerint restituti.

Item. Ne per ignoranciam seu tardiorem noticiam eorum, que in generalibus capitulis disponuntur, fratres ordinis ab observacione ordinacionum se valeant excusare, volumus et ordinamus; quod post capitulum generale provincialia capitula indilate celebrentur; quod si infra sex mensium spacium celebrari non possunt, priores provinciales immediate post capitulum generale per se vel per alium visitare teneantur conventus suarum provinciarum, in quibus acta capituli generalis publicentur et in ipsis actorum copie relinquantur.

Iste sunt denunciaciones.

Inprimis denunciamus, quod reverendissimus magister ordinis ad compescendam rebellionem et temeritatem quorundam fratrum in universitatibus et studiis generalibus, qui postposito iugo obediencie et discipline non verentur se iuvare privilegiis et exempcionibus universitatum contra ordinis disposicionem, obtinuit bullam a sanctissimo domino nostro domino Pio II., in qua excommunicantur omnes illi et singuli, qui quacumque via directe vel indirecte attemptarent se iuvare vel uti quomodolibet litteris aut privilegiis conservatorum cuiuscumque universitatis, quominus sui prelati et presidentes suam in eis plenariam iurisdictionem exerceant. Quam bullam idem reverendissimus magister legi fecit coram nobis in diffinitorio presentis capituli (1).

Item. Denunciamus, quod reverendissimus magister ordinis obtinuit bullam canonizacionis beati Vincencii de Ferreriis confessoris, quam legi fecit feria sexta ante penthecosten in introitu presentis capituli. Cuius bulle copia poterit recuperari in conventu Avenionensi, in quo conventu idem reverendissimus magister ordinis intendit ipsam perpetuo conservari. Et concessi sunt per dictam bullam septem anni et septem quadragene visitantibus ecclesias ordinis in die festi predicti sancti Vincencii de Ferreriis (2).

Item. Denunciamus, quod reverendissimus magister ordinis acceptavit unionem factam in concilio Basiliensi inter generales et procuratores

10) vel] seu P. — 14) inprimis — capitulis *om.* V. — 20) attemptarent se] acceptare seu PV. — 26) canonizacionis] de canonizacione P. — de Ferreriis *om.* V. — quam — conservari *om.* V. — 27) ante] festum *add.* P. — 31) die festi] festo PV. — sancti] beati P. — 32) de Ferreriis] confessoris P. — 33) item — restituere *om.* V.

(1) Cf. BO. III, 384 n. 5.
(2) Cf. l. c. pag. 379 n. 4.

quatuor ordinum mendicancium. Quam unionem acceptavit expresse generalis minister modernus ordinis minorum.

Item. Denunciamus, reverendissimum magistrum ordinis magna cum diligencia et ordinis utilitate posuisse procuratorem ordinis magistrum Christianum Polee provincie Francie (1).

Item. Denunciamus domum sancte Babile provincie Hispanie, quam dominus Henricus rex de Castella et domina Maria uxor eius dederunt ordini, et domum sancte Marie Annunciate, que est in Argencio provincie Sicilie, constructam per illustrissimum dominum Mattheum de Standardis fore acceptatas per ordinem.

Item. Denunciamus, fr. Maxillam (2) conventus Legionis provincie Hispanie diffinitorem presentis capituli, fr. Iohannem de Angulis provincie Francie, fr. Stephanum Simeonis provincie Provincie, fr. Baluinum Gerardi conventus Burgensis et fr. Petrum Melleti conventus Bisuntinensis provincie Francie in hoc presenti capitulo per reverendissimum magistrum ordinis auctoritate apostolica ad magisterii gradum fuisse promotos.

Item. Denunciamus, fr. Venancium de Perusio (3), magistrum, fuisse legitime translatum ad conventum Perusinum Romane provincie.

Item. Denunciamus, fr. Petrucium conversum de Regno filium nativum conventus sancte Marie Novelle de Florencia.

Item. Denunciamus, fr. Paulum de Neriduno, bacalaureum, quondam nativum de conventu Neridonensi regni Sicilie fore translatum in filium nativum Tarrentini eiusdem provincie.

Item. Denunciamus, reverendum dominum fr. Georgium Michelis de Sebenico, abbatem s. Nicholai de Sebenico fuisse unitum filium nativum conventus ss. Iohannis et Pauli de Veneciis, provincie sancti Dominici.

Item. Denunciamus, quod concedimus prioribus provincialibus et diffinitoribus presentis capituli, duos apostatas sue provincie recipere ad ordinem et duos alios ad gracias ordinis restituere.

Iste sunt declaraciones.

Inprimis declaramus conventum Valist[ell]inarum ad provinciam Theutonie pertinere.

Item. Quia nonnulli presidentes et bursarii conventuum negligentes sunt ad solvendum contribuciones reverendissimi magistri ordinis et eius-

---

3) denunciamus] universis et singulis fratribus *add.* P. — 4) posuisse] in *add.* P. — 3) Polee · Boulee *in marg.* P. — 7) et — eius] cum dom. Maria uxore P. — 8) Argencio] Arienzo P. — 9) provincie] regni *add.* P. — 11) conventus *om.* P. — 12) Angulis] Angulo P. — 17) item — provincie *om.* P. — 27) item — restituere *om.* P. — 31) inprimis — pertinere *om.* V. — 34) reverendissimi *om.* V.

---

(1) Quem procuratorem Masetti l. c. pag. 470 Cyprianum Vellec nominat.

(2) De fr. Petro de Maxilla cf. supra pag. 269.

(3) De fr. Venantio de Perusio cf. l. c. pag. 218.

dem procuratoris et expensas factas in eundo et redeundo ad capitulum generale per provinciales et diffinitores vel socios provinciarum, ideo precipimus et mandamus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena excommunicacionis late sentencie, quatenus infra duos menses a noticia presencium dictas contribuciones et expensas sic factas realiter et cum effectu tradant aut tradi faciant dictis provincialibus et sociis eorumdem. Oppositum vero facientes terminoque transacto ex nunc prout ex tunc excommunicamus et excommunicatos esse denunciamus, quorum absolucionem reverendissimus magister ordinis retinet apud se.

Iste sunt confirmaciones.

Inprimis committimus provinciali Theutonie reformacionem conventus Vimpinensis.

Item. Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut ad dietam Mantuanam se transferat et pro sua societate advocet magistros et patres, quos duxerit advocandos.

Item. Pro pace et tranquillitate ac quiete fratrum regularium volumus, quod mortuo vel amoto magistro ordinis vicarii conventuum regularium seu vite regularis per ipsum magistrum instituti vel in futurum instituendi, remaneant in officio suo vicariatus cum omni iurisdictione et potestate quam habent, donec per alium magistrum ordinis vel generale capitulum fuerit ordinatum vel provisum.

Item. Aliqua commisimus reverendissimo magistro ordinis super predictis et aliis statum et disposicionem ordinis, conventuum ac fratrum spectantibus. Cui ordinacioni, testimonio, litteris seu eciam simplici verbo plenam volumus attribuere fidem.

Iste sunt approbaciones.

Inprimis approbamus magisteria et lecturas illorum fratrum, qui per capitulum generale aut reverendissimum magistrum ordinis a capitulo generali Montispessulani citra promoti fuerint, vel quorum lecture seu magisteria per eundem reverendissimum magistrum fuerint acceptata, et tenore presencium acceptamus.

Item. Approbamus commissionem factam de aliquibus conventibus contrate Russie provinciali Polonie, quemadmodum factum fuit in capitulo generali Montispessulani (1).

---

2) per — provinciarum *om.* V. — 7) prout *om.* V; prout ex] pro P. — 9) retinet] tenet P. — 10) iste — fuerint restituti *om.* V. — 11) committimus] reverendo *add.* P. — 12) Vimpinensis] Aupinensis P. — 15) advocandos] adducendos P. — 21) vel provisum *om.* V. — 28) aut] per *add.* P. — ordinis *om.* P. — 29) citra *om.* P. — 30) acceptata] acceptamus *add.* P. — 31) acceptamus] approbamus P. — 32) factam *om.* P.

---

(1) Cf. supra pag. 266.

Iste sunt acceptaciones.

Inprimis acceptamus reverendissimum Petrum de Veneciis (1) archiepiscopum Curphiensem, dominum Antonium de Regio (2) episcopum Bototinensem, dominum Henricum de Ruvenaco (3) episcopum Venecomponensem, suffraganeum reverendissimi domini archiepiscopi Coloniensis, dominum Henricum Pragas (4) episcopum Sebastensem et dominum Iohannem Vunder (5) episcopum Laudavensem, omnes assumptos ex ordine nostro, necnon venerabile monasterium sororum nostrarum Vallisiliorum provincie Saxonie, in vita pariter et in morte ad beneficia ordinis.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem Leopoliensem contrate Russie.

Iste sunt penitencie.

Inprimis fr. Guilelmum Leonis propter sua demerita de provincia Theutonie, que pocius sunt tacenda quam ob sui errorem recensenda, perpetuo carceri adiudicamus.

Item. Quia fr. Ugo Marcelli provincie Provincie iam fere per duos annos in rebellione permansit, prout adhuc animo indurato contra ordinaciones reverendissimi magistri ordinis permanet, ipsum carceri adiudicamus, mandantes universis et singulis dicte provincie presidentibus et signanter priori s. Maximini, quod ubicumque ipsum invenerint, omni cum diligencia carcerali custodie procurent mancipari, invocato eciam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Item. Fr. Iohannes Petrus Rost de Vighetis et fr. Petrus de Basilia libellos diffamatorios quorumdam fratrum et monialium in porta civitatis Mediolani affixerunt in magnam ordinis confusionem, ideo ipsos pene gravioris culpe adiudicamus, quousque per reverendissimum magistrum ordinis fuerint restitûti.

Item. Quia fr. Dominicus de Francia, filius conventus Bononiensis, furatus est nonnullos libros de conventu Savonensi provincie Lombardie, mandamus omnibus presidentibus conventuum, ad quos vel ad quem

---

1) iste — inprimis] item P. — 2) reverendissimum] dominum P. — 4) Bototinensem] Botrutinum P. — Rubenaco] Ravennato, Veneraco P. — 6) Pragas] Purgas P. — 7) Vunder] Hamden P. — Laudavensem] Landacensem *vel* Landavensem P. — 8) necnon *om.* P. — 11) iste — Russie *om.* ABV. — 15) que *om.* P. — sunt *om.* P. — 24) Rost *om.* ABV. — 26) ordinis] infamiam et *add.* P. — 29) item *om.* V.

---

(1) De fr. Petro de Venetiis cf. BO. III, 435.

(2) De fr. Antonio de Regio cf. l. c. 371.

(3) De fr. Henrico de Rubenaco cf. l. c. 435.

(4) De fr. Henrico Pragensi cf. l. c.

(5) De fr. Iohanne Kunden ep. Laudaven., quem BO. III, 374 affirmant eundem esse ac Iohannem Vunder, cf. l. c.

ipsum contigerit declinare, retineri et incarcerari ad instanciam vicarii conventuum reformatorum provincie Lombardie.

Iste sunt assignaciones.

Inprimis conventui Bononiensi provincie sancti Dominici damus in regentem fr. Gabrielem de Barchinona (1) magistrum. In baccalaureum pro primo anno fr. Henricum de Hasta (2); pro secundo et tercio fr. Simonem de Novaria (3), cui substituimus fr. Iohannem de Gadopia. In biblicum pro primo anno fr. Iohannem de Gadopia, cui substituimus fr. Iacobum de Mediolano; pro secundo fr. Iacobum de Mediolano, cui substituimus fr. Baptistam de Finario. In magistrum studencium pro primo anno fr. Iacobum de Mediolano, cui substituimus fr. Baptistam de Finario; pro secundo fr. Baptistam de Finario, cui substituimus fr. Petrum de Bergomo (4); pro tercio anno fr. Petrum de Bergomo.

(Inprimis) conventui Parisiensi provincie Francie assignamus ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii fr. Iohannem de Villaris pro primo anno intraneis debito, cui substituimus fr. Iacobum Ficheti. In parvis scholis fr. Iacobum Houvardi (5), cui substituimus fr. Petrum Panetrii.

Pro secundo anno extraneis debito in magnis scholis fr. Paganum Dollon (6). In parvis scholis fr. Alanum de Rupe (7), cui substituimus fr. Rolandum Gigon.

Pro tercio anno intraneis debito in magnis scholis fr. Iohannem Taurenche (8), cui substituimus fr. Guillelmum Hicdech. In parvis scholis fr. Dyonisium Pictas (9), cui substituimus fr. Iohannem Iuvenis. Ad legendam bibliam pro primo et secundo annis fr. Iohannem Ialoti, cui substituimus fr. Yvonem Guiardi. Pro tercio et quarto annis fr. Guillelmum Hicdech, cui substituimus fr. Robertum de Crequi (10).

Sentencias iudicum approbamus.

3) iste — ordinaverit *om.* V.— 4) inprimis — Bergomo *om.* P.— 9) inprimis — Crequi *om.* ABV.

(1) De fr. Gabriele de Barchinona cf. supra pag. 258.

(2) De fr. Henrico de Ast cf. l. c. pag. 267.

(3) De fr. Simone de Novaria cf. l. c.

(4) De fr. Petro Bergomen. cf. SSOP. I, 863.

(5) Hungardi nominatur in actis facultatis Parisiens. notat hic in margine Echardus.

(6) Dolo in actis citatis ad an. 1465.

(7) De fr. Alano de Rupe cf. SSOP. I, 849.

(8) In actis citatis ad an. 1467: Touronche *et* Touwonche.

(9) L. c. ad an. 1465: Pitas.

(10) « Erat Audomarensis » notat Echardus ex actis gymnasii Sanjacobaei Parisiensis.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Inprimis pro sanctissimo domino nostro domino Pio papa II. ordini nostro nimis affecto quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo domino cardinali Avinionensi, ordinis nostri protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimis dominis cardinalibus sancti Sixti et sancti Angeli quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo imperatore et christianissimo Francorum, Hyspanie, Portugalie, Polonie regibus, necnon pro aliis principibus et comitibus christianitatis, qui pervigilem et efficacem solerciam probant et exhibent pro conservacione fidei catholice et eiusdem defensione contra turchos et saracenos, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo domino duce Burgundie et illustrissima consorte et nobilissima eorum prole, primogenito domino de Carolais, qui pinguem elemosinam dederunt pro capitulo, quil. sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimis ducibus Gueldrie et Clivensis (!) necnon pro dominis comitibus de Marchia, de Astrach (1) et illustri barone Hechmock (2), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro rectoribus et civibus oppidi Novimagensis et omnibus, qui de suis facultatibus contribuerunt et laboraverunt pro recepcione presentis capituli quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis et reverendis provincialibus et diffinitoribus quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Item. Pro anima felicis recordacionis domini domini Calixti pape olim tercii, qui beatum Vincencium canonizavit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus serenissimi regis Aragonum et illustrissimi Britonum ducis, qui larga manu ad dictam canonizacionem contribuerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima reverendissimi in Christo patre et domini (et) domini cardinalis Firmanensis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui a precedenti capitulo generali obierunt, necnon habencium litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

---

1) ista — locus sigilli *om.* AB. — 5) nostri] sacratissimi *add.* P. — 13) item — missam *om.* V. — 16) item — missam *om.* V. — 25) item] inprimis P.— 26) canonizavit] sanctorum catalogo ascripsit P. — 28) animabus] anima P. — 32) Firmanensis] Filamarini P.

---

(1) Forte « Astrup ».

(2) Probabiliter « Egmond ».

Item. Pro anima baronisse de Egmunto et animabus omnium illorum, pro quibus elemosine sunt porrecte presenti capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum assignamus ad tres annos immediate sequentes in civitate Mediolanensi provincie Lombardie, nisi aliter magister ordinis ordinaverit.

Expliciunt acta capituli generalis in Noviomagensi [conventu] celebrati.

Locus ✠ sigilli.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD SENAS CELEBRATI IN FESTO ASSUMPCIONIS S. MARIE VIRGINIS DIE ·XV· MENSIS AUGUSTI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· LXII°·

Sub reverendissimo patre magistro Conrado de Ast (1), tocius ordinis predicatorum generali magistro; existentibus reverendis provincialibus ac diffinitoribus:

Fr. Rolando de Cozic (2) magistro provinciali Francie,
Fr. Iuliano Naldi (3) magistro provinciali provincie Romane,
Fr. Ioachim de Veneciis (4) provinciali s. Dominici,
Fr. Petro de Megl provinciali Ungarie,
Fr. Andrea lectore (5) provinciali Bohemie,
Fr. Bernardo de Dulmen magistro provinciali Saxonie,
Fr. Dominico magistro provinciali Dalmacie,
Fr. Alphonso de Vivenia doctore diffinitore provincie Hispanie,
Fr. Antonio Chalvici magistro diffinitore provincie Tholozane,
Fr. Nicolao Cotivi magistro diffinitore provincie Francie,
Fr. Paulo de Ferraria magistro diffinitore provincie s. Dominici,
Fr. Ludovico de Parvisio (6) magistro diffinitore provincie Romane,

2) presenti] huic P. — 10) patris — sancti] domini P. — 11) Senas] provincie Romane *add.* P. — 13) die — augusti *om.* P. — 14) magistro] fratre *add.* P. — 15) existentibus — Portugallie *om.* ABC. — 18) Naldi] Ladi P.

(1) De fr. Conrado de Ast cf. supra pag. 258.
(2) De fr. Rolando cf. supra pag. 269.
(3) De fr. Iuliano Naldi cf. Masetti l. c. pag. 446 sq., 450 sq.
(4) De fr. Ioachimo Turriano de Venetiis cf. SSOP. I, 869 et supra pag. 215.
(5) De fr. Andrea cf. l. c. pag. 269.
(6) Forte idem ac Ludovicus Gentili, de quo Masetti l. c. pag. 446 sq., 450 sq.

Fr. Francisco deNeritono magistro diffinitore provincie regni Sicilie,
Fr. Ludovico Fuchs (1) magistro diffinitore provincie Theutonie,
Fr. Michaele de Liestemur magistro diffinitore provincie Hungarie,
Fr. Iohanne Eye bacchalario diffinitore provincie Anglie,
Fr. Martino lectore diffinitore provincie Polonie,
Fr. Antonio Naude magistro diffinitore provincie Provincie,
Fr. Paulo Aldebruch magistro diffinitore provincie Bohemie,
Fr. Nicolao de Geldria magistro diffinitore provincie Dalmacie,
Fr. Iohanne Fuchs magistro diffinitore provincie Saxonie,
Fr. Bernardo Saluanticis magistro diffinitore provincie Lombardie,
Fr. Salvo de Sicilia (2) magistro procuratore ordinis diffinitore provincie,
Fr. Aria de Victoria magistro diffinitore provincie Portugalie.

Iste sunt inchoaciones.

Inprimis inchoamus hanc, quod de festo beati Blasii martiris fiat per totum ordinem nostrum festum simplex; adiicientes, quod si festum trium lectionum in sabbato vel dominica vel in tercia feria evenerit, si infra dies octo immediate sequentes celebrari non poterit, de eo tantum memoria in die, quo evenerit, fiat. Et quia per tria capitula generalia ita ordinatum est, ideo id in ordinario nostro annotari debere determinamus.

Item. Quod de festo corporis Christi non fiant octave solemnes, sed sicut de aliis sanctis fieri consuetum est in ordine nostro, sic tamen, quod si festum simplex infra dictas octavas evenerit, dictum festum usque post octavas transferatur.

Item. Quod in conventibus ac provinciis, in quibus festum visitacionis sancte Marie fieri solet, statim post festum ipsum de octavis apostolorum Petri et Pauli fiant, deinde octave dicte visitacionis perficiantur.

Item. Quod memorie cotidiane sanctorum ordinis preterquam beate Marie et beati Dominici in matutinis et vesperis beate virginis ante: « sancti dei » omnes legantur.

Item. Quod de festo sancte Catherine virginis de Senis fiat festum duplex, quod in prima dominica mensis maii celebrari oportere institutum est.

Iste sunt ordinaciones.

---

2) Fuchs] Fons P. — 14) beati] sancti P. — 17) celebrari — tantum] feria vacans evenerit, ibidem celebratur; si autem feria vacans, ut predicitur, non fuerit P. — 19) id] hoc P. — nostro *om.* P. — 20) determinamus] decernimus P. — 22) consuetum] compertum C. — nostro *om.* P. — 26) octavis] octava P. — 29) et] in *ante* vesperis *add.* P. — 31) quod *om.* P. — festum] totum *add.* C. — 33) institutum] constitutum P.

---

(1) De fr. Ludovico Fuchs cf. MOPH. VII indicem.
(2) De fr. Salvo Cassetta cf. SSOP. I, 859.

Inprimis quia super communitate omnis pene religionis nostre summa fundata est, precipimus prioribus provincialibus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie, quod in locis, ubi commode fieri poterit, omnem diligenciam adhibeant, ut in communi vivatur, quod signanter facere studeant circa fratres, qui possessiones et annuales redditus habent, ut deinceps semel in anno, non tantum scriptura rerum, sed res ipse ad pedes prelati presententur; aliter, si multum difficile fuerit, saltem res, quarum usum habent, dentur in scriptis fideliter prioribus suis. Et in omnibus conventibus in locis publicis cum silencio ac lectione mense communiter comedatur.

Item. Superflue ad gradum magisterii promovendorum multitudini, quantum pro viribus possumus obviare et iuvenes ad studium et litterarum periciam excitare volentes, volumus et inviolabiliter observari mandamus, ut nemo, eciam per capitulum generale ad aliquem magisterii gradum quovismodo promoveatur, nisi in eius absencia per provinciales ac diffinitores sue provincie per examinatores diligenter examinatus a provinciali vel provincie diffinitori per sacramentum capitulo generali expositus sit, vel in eius presencia ab examinatoribus per generale capitulum deputatis fideliter probatus esse intelligatur; adiicientes, quod tam magistri studencium quam biblici et baccalaurei in officiis suis per duos annos stare teneantur, quod si inde discesserint, nisi in quadragesima predicandi causa vel vacacionis tempore per duos menses, illos officiis suis ex nunc prout ex tunc privatos esse denunciamus, exceptis tamen studiis videlicet Parisiensi, Coloniensi, Tholosano, Oxoniensi, Erphordiensi, Cantabrigiensi, in quibus ritus consuetus servabitur.

Item. Ne per promotorum ad magisterium et precipue litteras nesciencium multiplicacionem ordinem nostrum, qui inter ceteros ad studia litterarum institutus est, quovis pacto ruere permittamus, districtius imponimus, quod ignorantes, qui vel per saltum nullis gradibus interpositis a capitulo Montispessulani citra aut eciam in ipso capitulo per litteras aut promoti aut magistrati sunt, pro non promotis aut magistratis simpliciter habeantur, illisque graciis atque honoribus careant, quibus vel promoti vel magistrati gaudere soliti sunt. Precipientes prioribus provincialibus ac presidentibus omnibus in virtute spiritus sancti et sancte obe-

4) signanter] formaliter P. — 5) possessiones et *om.* P. — 6) tantum] tam C. — sed] imo P. — 7) aliter] quod P. — 8) habent] fratres *add.* P. — 9) locis publicis] loco communi P. — 14) eciam *om.* C. — 15) per — diffinitore] in provinciali capitulo P. — 16) per *om.* C. — examinatus] et *add.* P. — 17) provincie] sue *add.* P. — 18) presencia] provincia P. — 19) fideliter *om.* P. — 20) et] eciam P. — 21) in — predicandi] quadragesimae aut adventus domini predicacioni. P. — 23) prout ex] pro P. — exceptis tamen] excepto in P. — 25) Erphodiensi] Elfordensi C. — 26) item] ut *add.* AC. — 29) quod] ut P. — interpositis] vel per litteras *add.* P. — 30) ipso] isto P. — per litteras *om.* P. — 32) simpliciter] similiter P. — atque] et P. — 33) prioribus] patribus P.

diencie, ut eos nec promotos vel magistros appellari nec illorum loca conscendere nec quibuscumque promotorum aut magistratorum privilegiis gaudere permittant. Si quos tamen promotos vel laureatos provincialis in capitulo aut ante capitulum cum duobus magistris doctis et bone consciencie viris promocione per examinacionem dignos invenerint, poterunt in sua promocione servari et magisterii vel promocionis graciis atque honore gaudere, ita tamen quod de dicta examinacione et approbacione volumus, quod constet per patentes litteras provincialis et predictorum magistrorum examinancium. Et hec ordinacio facta est de speciali mandato sanctissimi domini pape.

Item. Honestati religionis nostre pro viribus intendentes, fratribus nostri ordinis universis precipimus ac mandamus sub pena gravioris culpe, ne quis camisias de lino deferat vel saltem circa collum et brachia delatas ostendat, nec comam nutriat neque utatur coronis, ne laici per has abusiones scandalizentur et ordo tam confusionem quam infamiam paciatur. Presidentes vero, qui super horum excessuum correctione negligentes fuerint, a suis presidencie officiis absolvantur in penam.

Item. Ne confessionum audiencia, que precipuum sacramentum est, a nobis parum existimari videatur, precipimus fratribus nostri ordinis universis sub pena excommunicacionis sentencie late una pro trina canonica admonicione, quam ipso facto contraveniendo incurrant, ne quis ante ·xxx· annum etatis sue confessiones tam hominum quam mulierum secularium audire presumat; quod si fecerit, eum excommunicacionem ex nunc prout ex tunc incurrisse denunciamus atque declaramus, adiicientes, quod pro confessoribus sororum aut monialium nonnisi senes et maturitate provecti exponantur.

Item. Ne contra ordinis nostri instituta predicatorum generalium numerus, non computando magistros, conventuum numerum (non) excedat, volumus atque ordinamus et inviolabiliter observari precipimus, ne dicti predicatores numerum conventuum superent; quod si ita fuerit, hii, qui iuniores fuerint in predicacionis generalis officio, a predicacione generali penitus excludantur. Si qui vero ex hiis tam senes aut debiles fuerint, ut ad capitula provincialia accedere nequeant, loco illorum alii sufficienciores subrogentur. Nec unquam aliquis predicator generalis fiat, donec numerus predicatorum generalium conventuum numero inferior esse videatur.

1) vel] neque P. — 2) magistratorum] magistrorum P. — 3) privilegiis] graciis P. — 4) capitulo] provinciali *add.* P. — 5) promocione per examinacionem *om.* P. — 8) litteras] prioris *add.* P. — 9) examinancium *om.* P. — 10) sanctissimi *om.* P. — 14) neque] ne parvis P. — 20) pena *om.* C. — sentencie late] sentencia lata C. — 21) admonicione] monicione P. — 22) etatis sue *om.* AC. — 23) secularium *om.* P. — 25) aut] eciam *add.* P. — 26) maturitate] et etate *add.* P. — provecti] promoti P. — 28) computando] comprehendendo P. — conventuum numerum non] necessarius P. — 31) a — penitus *om.* P. — 32) tam] aut P. — 33) alii *om.* P. — 35) inferior] conformis P.

Item. Ne simus ignari, quantis indulgenciis ordo noster illustratus sit, districtius imponimus prioribus provincialibus vel diffin'toribus provinciarum, qui ad futurum generale capitulum ventuti sunt, ut quascumque indulgencias ordini nostro concessas invenerint, secum ad capitulum generale in scriptis deferant, ut hiis visis possimus populos cerciores reddere, quantis eos beneficiis ac spiritualibus donis afficere valeamus.

Item. Ordinacionem factam in multis capitulis precedentibus contra predicatores bullarum approbamus ipsamque penitus volumus in suo robore permanere, declarantes, quod priores provinciales non possunt in hoc quovis modo dispensare.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Parisiensi provincie Francie ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii: in magnis scholis pro primo anno extraneis debito assignamus fr. Iohannem de Ianua provincie Lombardie, cui substituimus fr. Egidium Muneri. In parvis scholis pro eodem anno fr. Odonem Regis provincie Francie, cui substituimus fr. Mathurinum de More.

Pro secundo anno intraneis debito in magnis scholis fr. Robertum de Crequi (1) conventus s. Audomari, cui substituimus fr. Iohannem de Aneto. Pro eodem anno in parvis scholis fr. Iohannem Prepositi, cui substituimus fr. Iohannem Rivoleti.

Pro tercio anno extraneis debito in magnis scholis fr. Lucam de Hungaria; pro eodem anno in parvis scholis fr. Iohannem Muneri (2), cui substituimus fr. Iohannem Gaufredi.

Pro quarto anno intraneis debito in magnis scholis fr. Iohannem Pilori (3), cui substituimus fr. Egidium de Pictavis; pro eodem anno in parvis scholis fr. Symonem Travera, cui substituimus fr. Gerardum Randatis.

Ad legendum bibliam pro secundo et tercio annis fr. Iohannem de Angelo, cui substituimus fr. Iohannem Siliginis. Pro quarto et quinto annis fr. Raphaelem Roseti, cui substituimus fr. Andream Ligoti.

In studentes honoris fr. Iohannem Comestoris provincie Francie, Henricum et Dominicum Wlrici provincie Theutonie.

Conventui Tholozano ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii pro primo anno fr. Laurencium Besseti, cui substituimus fr.

2) prioribus *om.* CP. — vel] et P. — 3) ut — generale *om.* P. — 6) quantis] quibus P. — beneficiis ac *om.* P. — donis] bonis P. — afficere] reficere P. — 8) ipsamque] et ipsam P. — 11) iste — providebit *ante* iste *om.* AC. — 15) Muneri] Muneris, Mounir *in marg.* P. — 27) Randatis *corrupte pro* Rodatis *in marg.* P. — 30) Ligoti] Ligeti *in marg.* P. — 34) Besseti] Bisset *in marg.* P.

(1) De fr. Roberto cf. supra pag. 277.
(2) De fr. Ioanne Muneri cf. SSOP. I, 812.
(3) De fr. Ioanne Pilori cf. l. c.

Iohannem Fabri. In magistrum studencium fr. Iohannem Fabri, cui substituimus fr. Gerardum de conventu Cathalanensi. In biblicum fr. Iohannem Geraldi, cui substituimus fr. Geraldum Comitis.

Pro secundo ad legendum sentencias pro gradu et forma fr. Iohannem Fabri predictum, cui substituimus fr. Geraldum predictum. In magistrum studencium fr. Iohannem Geraldi predictum, cui substituimus fr. Ytherium. Ad legendum bibliam fr. Ytherium supradictum, cui substituimus fr. Iohannem de Belloloco.

Pro tercio anno ad legendum sentencias pro gradu et forma fr. Iohannem Geraldi, cui substituimus fr. Ytherium predictum; pro magistro studencium fr. Ytherium de Podio, cui substituimus fr. Iohannem de Belloloco; ad legendum bibliam fr. Iohannem de Belloloco.

Conventui Bononiensi provincie s. Dominici reverendissimus magister ordinis de studio providebit et eius officiariis. Pro studente honoris fr. Antonium Sanctini de Luca provincie regni Sicilie.

Conventui Oxoniensi provincie Anglie damus in regentem pro primo et secundo anno annis fr. Nicolaum Suton; ad legendum sentencias pro gradu et forma fr. Iohannem Valiton; pro magistro studencium fr. Iohannem Eye (1); in biblicum fr. Iohannem Mores.

Pro terciò anno in bachalarium fr. Iohannem Eye; in magistrum studencium fr. Thomam de Bectris.

Conventui Canthabricensi eiusdem provincie damus in regentem fr. Iohannem Owini, magistrum, in magistrum studencium fr. Thomam Polini, in biblicum fr. Petrum Oatinem, in biblicum fr. Henricum Rostoc (2) provincie Saxonie.

Conventui Florentino provincie Romane ad legendum sentencias pro duobus annis pro gradu et forma magisterii fr. Amadeum de Palusta; ad legendam bibliam pro duobus annis fr. Petrum Sartondicti.

Conventui Coloniensi priovince Theutonie damus in regentem pro primo anno fr. Vencezlaum de Fraubrentem (!), magistrum; pro secundo anno fr. Iohannem Filioli, magistrum; pro tercio anno fr. Henricum Fons (3), magistrum.

Ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii pro primo anno extraneis debito fr. Iohannem de Hungaria; ad legendum bibliam fr. Desiderium provincie Francie; pro magistro studencium fr. Iohannem Fonte.

---

17) Suton] Soton, Salon *in marg.* P. — 18) Valiton] Vatiton *in marg.* P.

---

(1) De fr. Ioanne Eye cf. supra pag. 280.
(2) De fr. Henrico Rostok cf. l. c. pag. 233.
(3) Forte corruptum pro « Fuchs ».

Pro secundo anno intraneis debito ad legendum sentencias fr. Desiderium predictum; ad legendam bibliam fr. Antonium Wellen; pro magistro studencium fr. Iohannem de Hungaria predictum.

Pro tercio anno extraneis debito ad legendum sentencias fr. Antonium Wellen predictum; ad legendum bibliam fr. Henricum Wlrici de Augusta, cui substituimus fr. Petrum Hastificis.

In studentem honoris pro primo anno fr. Antonium Wellen; pro secundo fr. Wlricum Wlrici de Augusta, pro tercio fr. Petrum Hastificis.

Studio Argentinensi provincialis provincie Theutonie providebit super gradu et forma magisterii.

Conventui Erfordiensi provincie Saxonie damus in regentem fr. Andream Comitis; ad legendam bibliam pro forma et gradu magisterii pro primo anno fr. Hermannum Merlis; pro secundo anno fr. Everardum Theodorici; pro tercio anno fr. Thomam Wuchlonchlr (!) omnes eiusdem provincie.

De officialibus vero studii conventus Magdeburgensis provincialis provincie Saxonie providebit.

Conventui Papiensi provincie Lombardie damus in regentem pro primo et secundo annis fr. Paulum de Welpertis, magistrum; pro tercio fr. Gabrielem de Mediolano. In magistrum studencium pro primo et secundo annis fr. Michaelem de Medicis; pro tercio et quarto annis fr. Angelum de Cremona. In biblicum pro primo et secundo annis fr. Blazium de Monteregali; pro tercio et quarto annis fr. Benedictum de Bugella provincie Lombardie; in bachalarium pro gradu et forma pro primo et secundo annis fr. Dominicum eiusdem provincie; pro tercio et quarto annis reverendissimus magister ordinis providebit.

Conventui Mediolanensi damus in regentem fr. Franciscum de Ripolis, magistrum; pro secundo fr. Petrum de Ventiminalibus; de aliis vero officialibus magister reverendissimus providebit.

Conventui Montispessulani provincie Provincie damus in regentem pro primo et secundo annis fr. Bernardum Gregorii magistrum; pro tercio et quarto annis fr. Antonium Naude; ad legendum sentencias pro primis duobus annis fr. Petrum Gaulcec (?); pro tercio et quarto annis fr. Petrum Votis Dente. Ad legendum bibliam pro primis duobus annis immediate sequentibus fr. Thomam Boaude, pro tercio et quarto annis fr. Franciscum Maurins. In magistrum studencium pro primis duobus annis fr. Antonium Lordon; pro tercio et quarto annis fr. Thomam Boaude predictum. In studentem honoris fr. Ypolitum.

---

15) Theodorici] Theodonch P.

Conventui Avinionensi eiusdem provincie reverendissimus magister ordinis providebit.

Conventui Salmantino provincie Hispanie damus in regentem fr. Iohannem Lupi (1), magistrum. Ad legendum sentencias pro primo et secundo annis et gradu et forma fr. Petrum Saccomensem eiusdem provincie. In biblicum fr. Alphonsum de Monteregali. In magistrum studencium fr. Bartholomeum Legionensem.

Pro tercio et quarto annis ad legendum sentencias pro gradu et forma fr. Petrum Thirensem. In biblicum fr. Andream Burgondis. In magistrum studencium fr. Petrum de Fontepudico Palentino. In studentem honoris fr. Iohannem de Havala conventus Victoriensis.

Conventui Lusbonensi (!) provincie Portugallie in regentem usque ad sequens capitulum fr. Ariatrum de Victoria. Ad legendum sentencias pro primo et secundo annis pro gradu et forma fr. Alphonsum Doctoriensem; pro tercio et quarto annis fr. Didacum Columbriensem; de aliis officiis reverendissimus magister ordinis providebit.

Conventui Perpiniani provincie Aragonie in presenti capitulo ad generale et rigorosum studium ordinis accepto damus in regentem pro duobus primis annis fr. Mathiam de la Rapita inquisitorem Roncioglionis; pro tercio anno fr. Silvestrum de Florencia, magistrum; ad legendum sentencias pro gradu et forma fr. Gabrielem Favello, cui substituimus fr. Iacobum Agularia; pro tercio et quarto annis fr. Petrum Dya provincie Provincie; in magistrum studencium pro primo et secundo annis fr. Iohannem de Arenis; in biblicum pro eisdem annis fr. Petrum Situriensem de Neapoli provincie Regni; pro tercio et quarto annis in magistrum studencium fr. Andream de Utino provincie s. Dominici; in biblicum fr. Wilhelmum Simonis de Florencia. In studentem honoris fr. Simonem Iohannis provincie Theutonie.

Conventui Barcinonensi eiusdem provincie damus in lectorem pro primo anno fr. Ludovicum; pro secundo anno fr. Iohannem Sedruci, magistrum; pro tercio fr. Gabrielem de Faulo baccalarium; pro sublectore pro primo et secundo annis fr. Iacobum Ferrandi; in magistrum studencium fr. Iohannem Valenti; de aliis reverendus provincialis illius provincie providebit.

Conventui Panormitano provincie Trinacrie damus in regentem fr. Iohannem Bartholomei; de aliis officialibus reverendus provincialis illius provincie providebit.

In sacro palacio de baccalariis et aliis lectoribus reverendissimus magister ordinis providebit.

---

(1) De fr. Ioanne Lupi cf. SSOP. I, 826.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus, quod beata Catharina virgo de Senis canonizata fuit per sanctissimum dominum nostrum papam Pium, pro qua in singulis conventibus ordinis nostri in die festivitatis sue annorum septem et totidem quadragenarum indulgenciam contulit, mandavitque ipsius festum in prima dominica mensis maii per totam ecclesiam celebrari debere (1).

Item. Denunciamus, quod omnes gracie speciales a magistris ordinis vel eciam provincialibus fratribus per particulares litteras concesse nostra auctoritate revocate sunt preter eas, quas provinciales previo consensu illorum conventuum, quorum filii nativi fuerint, iustas atque racionabiles esse decreverint.

Item. Denunciamus, quatenus reverendissimus magister Marcialis Auribelli alias (2) magister ordinis dedit computa tocius temporis sui regiminis reverendissimo magistro ordinis et reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus presentis capituli, et visis omnibus compertum est, quod ordo remaneat eidem magistro Marciali obligatus in septuaginta quinque ducatos, et provincie tenentur solvere eidem contribuciones preteriti temporis sui regiminis, que ascendunt ad summam sexcentorum quinquaginta octo ducatorum; ideo mandamus provincialibus, qui non solverunt, ut ei solvant et satisfaciant cum effectu.

Item. Denunciamus, quod ad summam instanciam universitatis ville Perpiniani provincie Aragonie, que propter precipuam eius dignitatem et famam a nobis minime refutari debuit; et ne dictam provinciam uno saltem studio pro forma et gradu carere paciamur, in quo fratres nostri sciencia et moribus instructi magisterii culmen ascendere possint, in dicto conventu Perpiniano generale theologie studium posuimus et eidem fratres pro magisterii gradu assignavimus; quod quidem studium volumus inviolabiliter perpetuo duraturum.

Iste sunt commissiones.

In primis ad instanciam ducis Burgundie et eius consortis commi-

1) iste sunt denunciaciones *om.* P. — 5) mandavitque] mandamusque P. — 6) per totam ecclesiam *om.* P. — 9) eciam *om.* AC. — 10) nostra auctoritate *om.* P. — previo] cum patrum P. — 11) atque] ac P. — 13) item — effectu *om.* P. — 22) item — optimum *om.* AC.

(1) Bullam canonizationis vide in BO. III, 409 n. 36.

(2) « Pius II ab ignotis quibusdam susurronibus et aemulis praeventus Martialem auctoritate sua removit ab officio; aliumque ad comitia ordinis Senis indicta magistrum eius loco deligendum eadem auctoritate voluit. Verum..... Paulus II ei suffectus Martialem..... sic affectum iniuria diutius non sustinuit. Quapropter volente pontifice coactis Novariae anno 1465.... comitiis, una omnium electorum voce priori loco restituitur ». SSOP. I, 811.

simus et committimus curam edificacionis et procuracionem conventus in oppido Bruxellensi sub titulo vite regularis fr. Iohanni de Namurco conventus Leodiensis provincie Francie, dantes eidem plenam facultatem recipiendi fratres de quacumque provincia, quos sibi necessarios iudicaverit, exhortantes fratres conventuum circumstancium, quod accommodent sibi libros divini officii ad copiandum (1).

Item. Committimus reverendo provinciali provincie Theutonie reformacionem sub observancia regulari conventus Aquensis eiusdem provincie dantes eidem plenam potestatem in capitibus et in membris in spiritualibus et in temporalibus.

Item. Ad instanciam ducis serenissimi regni Polonie committimus reformacionem conventuum Cracoviensis, Posnaniensis, Tornensis, Candonensis (2) reverendo provinciali Polonie; cui eciam damus auctoritatem recipiendi fratres pro dicta reformacione necessarios de conventu Wllanensi (3).

Item. Committimus regimen et reformacionem conventus Vezlariensis provincie Saxonie reverendo provinciali eiusdem provincie.

Item. Commissionem de conventibus terre peregrinancium per duo capitula precedencia immediate reverendis provincialibus Hungarie, Polonie et Grecie ratificamus, approbamus et confirmamus (4).

Item. Committimus reverendis provincialibus et diffinitoribus presentis capituli, quod possint duos apostatas sue provincie ad ordinem recipere, et duos alios graciis ordinis privatos ad dictas gracias restituere; et eciam, quod possint tres fratres ad recepcionem ordinum sacrorum licenciare, eorum discrecioni committimus.

Item. Committimus reverendissimo magistro, quod in casibus, que sibi videbuntur expedire, super premissis dispensare aut disponere valeat, prout iudicaverit optimum.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro papa Pio ordini nostro affecto, qui sanctam Katherinam de Senis canonizavit, quil. sac. unam mis.

Item. Pro reverendissimis dominis cardinalibus videlicet domino de Avinione, ordinis nostri protectore, s. Sixti et Tranensi, quilibet sacerdos unam missam.

---

12) Tornensis] Trocensis BP. — 28) ista — missam, *ante* sentencias] item suffragia etc. C.

---

(1) De fundatione conventus Bruxellensis cf. De Jonghe *Belgium Dominicanum*. Bruxellis 1719 pag. 326 sqq.

(2) « Candonensis » forte legendum « Gedanensis ».

(3) Legendum esse arbitror « Wratislaviensi ».

(4) Cf. supra pag. 275.

Item. Pro serenissimo imperatore et ceteris principibus ordini nostro affectis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Grossetano et insigni civitate Senarum et civibus eiusdem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Iacobo Beneventano, qui dedit eleemosinas capitulo, et recipitur ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo domino et communitate Senarum et felici eorum statu, pro priore eciam conventus Senarum et laborantibus pro recepcione capituli, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro animabus patrum et fratrum et sororum ordinis nostri, qui a precedenti capitulo generali obierunt nec non habencium litteras beneficiorum ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus eorum, quorum intuitu eleemosine huic capitulo porrecte sunt, quilibet sacerdos unam missam.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale quod erit diffinitorum ad tres annos immediate sequentes id est a festo Pentecostes immediate sequenti ad duos annos in eodem festo in alma civitate Mediolanensi provincie Lombardie assignamus.

Expliciunt acta capituli generalis celebrati die et loco supradictis.

21) acta — supradictis] etc. C. — capituli — supradictis *om.* P.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD NOVARIAM PROVINCIE LOMBARDIE CELEBRATI IN FESTO PENTHECOSTES DIE II^a MENSIS IUNII ANNO DOMINI · M^o· CCCC^o· LXV°·

Sub reverendissimo patre sacre theologie professore celeberrimo fratre Marciali Auribelli (1) de Avenione provincie Provincie, tocius ordinis predicatorum generali magistro iterum assumpto.

Fr. Martialis Auribelli fratribus scribit, se iterum esse electum in magistrum generalem ordinis. [Novariae 1465].

Universis et singulis patribus venerandis prioribus provincialibus, diffinitoribus et electoribus provinciarum in presenti generali capitulo congregatis fr. Marcialis Auribelli Avinionensis, tocius ordinis predicatorum humilis magister et servus salutem, et omnium virtutum plenitudinem.

Cogitanti michi sepenumero, fratres charissimi et in Christo Ihesu dilectissimi, quot incommodis, angustiis et ruinis sacer ordo predicatorum a capitulo Senis celebrato oppressus sit, lacrymas sepius pre dolore continere non potui. Eius namque libertate in eodem capitulo penitus excisa, ac me ab ordinis nostri magisterio sine iure, sine causa, sine ulla mea offensione deposito, alioque per vim spretis nostrarum constitucionum institutis electo, quis sane mentis fuit, qui sibi non persuaserit religionem nostram funditus ruituram; neque id iniuria quidem, vidistis enim fracta ordinis pace, et extinctis legibus, repulsis patrum consiliis, sectas internas et dissensiones crescere, fratres et patres de or-

3) apud Novariam] fratrum predicatorum in conventu Novariensi P. — 5) die — iunii *om.* P. — 6) reverendissimo] clarissimo P. — celeberrimo] in Christo *add.* P. — 7) de — assumpto] Avinionensi eiusdem ordinis generali magistro in eodem capitulo ad ipsum magisterium in restitucionem libertatis prefati ordinis atque reitengrascionem eiusdem patris clare fame pristinique honoris ac decoris ab universis ac singulis patribus reverendis provincialibus, diffinitoribus et electoribus provinciarum, qui ob hoc ipsum ad huiusmodi generale capitulum convenerunt, unanimiter et concorditer ac nemine penitus discrepante reelecto et reassumpto, existentibus diffinitoribus infrascriptis venerandis patribus

Fr. Iuliano Naldi Florentino, magistro procuratore in Romana Curia eiusdem ordinis et priore provinciali provincie Romane

Fr. Christiano Bolee magistro provinciali provincie Francie

Fr. Salvatore de Summa magistro provinciali provincie regni Sicilie. P.

Fr. Bartholomeo Penates magistro provinciali Aragonie *e* Diaco *additur. add. in marg.* P. — 11) Universis — consequemur *om.* AB.

(1) De fr. Martiali Auribelli cf. supra pag. 287.

dine meritos opprimi. Priores provinciales optimos quidem viros sine ulla eorum culpa deponi, aliosque improbos eorum loco per violentas electiones adhiberi, viros optimos in provinciales unanimiter electos repelli, universos pene subditos continuis conturbacionibus affici atque alia permulta in nostre religionis ruinam fieri, quorum causa vos quoque pro vestra in eam charitate sepius ingemuisse non dubito. Sed iam tandem immortales deo gracie agende sunt, qui ex alto prospiciens, nostrosque clamores audiens, calamitates quibus afficiebamur, miseratus fuisse cernitur; cuiusque inspiracione reverendus pater magister Conradus Astensis (1) nostri ordinis pacem affectans, et eam suis commoditatibus preferens magisterio eiusdem nostri ordinis sponte cessit renunciavitque. Agende et gracie sunt sanctissimo domino nostro Paulo pape secundo, [qui] predicatorum ordinem iamdudum in servitutem actum pristine libertati restituit. Agende, inquam, gracie sunt reverendissimo domino Alano Avinionensi cardinali, nostro protectore dignissimo, cui nostre religionis dignitas non secus ut sua cure fuit, ipsumque ad eam erigendam nichil pretermisisse cognovimus. Verum quoniam libertati in hoc capitulo restituti me pro humanitate vestra in magistrum ordinis uno omnium consensu elegistis, vobisque visum est, ut debiles humeri mei tam gravi sarcina premerentur, vestrum omnium humanitates supplex oratas velim, ut vos diffinitores in hoc generali capitulo, provinciales in suis provinciis, priores in suis conventibus, quibus presunt, in adiumento esse studeatis, quo religionem nostram in omnibus, honestate, religione ita instituere valeamus, ut hii qui huic seculo morem gerunt, a nobis constitucionum nostrarum habitam esse racionem non dubitent, eorumque vita exemplis edificari queat, atque ad bene beateque vivendum norma sanctissima preberi videatur. Sic enim facientes et hic graciam et in futura vita eternam gloriam consequemur.

Iste sunt inchoaciones.

In primis inchoamus hanc, quod de festo s. Blasii martiris fiat festum simplex per totum ordinem; adiicientes, quod si festum trium lectionum in sabbatho vel dominica vel in tercia feria evenerit, si infra octo dies immediate sequentes celebrari non poterit, de eo tantum memoria fiat. Et quia per tria capitula generalia ita ordinatum est, ideo in ordinario nostri ordinis reverendissimi magistri consensu annotari presencium tenore decernimus.

31) ordinem] nostrum huic *add.* P. — 32) vel] in *add.* P. — 35) nostri ordinis *om.* P. — consensu] nostri P.

(1) De fr. Conrado de Ast cf. l. c. pag. 279.

Item. Quod de festo transfiguracionis domini fiat totum duplex per totum ordinem in crastino scilicet beati patris Dominici id est sexta die mensis augusti. Et hec habet duo capitula generalia. De quo festo officium a reverendissimo patre magistro Iacobo Egidii (1), sacri palacii magistro, ad iussionem fel. rec. domini Calixti tercii pape, qui huiusmodi festum celebrari per totum ordinem instituit, compositum tenore presencium approbamus; mandantes universis et singulis ordinis nostri provinciarum et conventuum presidentibus, ut tale officium transcribi, quam primum fieri poterit, procurent et uniformiter ab omnibus tam publice quam privatim dici faciant.

Item. De festo s. Anne, matris sanctissime domine nostre, fiat similiter festum totum duplex per totum ordinem in crastino sancti Iacobi apostoli id est die ·xxvi· iulii. Et hec habet similiter duo capitula generalia. De quo festo, quia nondum officium, quod dici debet, ordinatum est, dicatur interim officium aliquod, prout fieri commodius poterit, donec reverendissimus magister ordinis providerit, cui de talis officii ordinacione communi consensu ordinacionem seu commissionem fecimus.

Item. De festo corporis Christi non fiant octave solemnes, sed sicut de aliis sanctis in nostro ordine fieri consuetum est; ita tamen quod si festum simplex infra dictas octavas evenerit, ipsum festum post dictas octavas transferatur.

Item. In conventibus ac provinciis, in quibus festum visitacionis b. Marie celebrari consuevit, post festum ipsum fiat officium octavarum sanctorum Petri et Pauli, deinde octave dicti festi perficiantur.

Iste sunt ordinaciones.

In primis a divino cultu exordium sumentes fratres omnes et singulos nostre religionis hortamur, ut officium divinum diurnum pariter et nocturnum secundum ordinis notam cum pausa in medio versus ac debitis inclinacionibus dicant, prout in nostris constitucionibus fuit a sanctis patribus institutum; admonentes omnes et singulos provinciarum conventuumque presidentes, ut circa divinum cultum dent operam efficacem, precipue circa mundiciam vestium et altarium et aliarum rerum, que ad usum sacramenti dominici deputari consueverunt. Ad hec adicientes, quod singuli fratres missam debeant devote celebrare, servatis

---

1) quod *om.* P. — 2) scilicet] festivitatis P. — patris *om.* P. — 3) hec *om.* P. — 4) reverendissimo] venerando B. — Egidii] Eligii P. — 5) ad — pape *om.* P. — 6) totum] universum P. — instituit] constituit P. — 11) item *om.* P. — 13) id — iulii *om.* P. — 14) quia *om.* P. — officium *om.* P. — 18) item] quod *add.* P. — 23) octavarum] de octavis P. — 27) hortamur] exortamur P. — diurnum] diuturnum P. — 30) admonentes] monentes P. — 34) missam] suam *add.* P.

---

(1) De fr. Iacobo Egidii cf. SSOP. I, 831 et supra pag. 231.

cerimoniis, prout in nostris rubricis de huiusmodi ceremoniis plenius continetur. Et ob reverenciam, quam ad beatissimam virginem Mariam a prima ordinis institucione nostri patres habere soliti sunt, decernimus, ut in singulis conventibus, ubi competens fratrum numerus reperitur, post completorium salve regina aut alia ipsius virginis antiphona cum processione extra sedes chori devote et alta voce cantetur. Hortamur quoque memoratos presidentes, ut suos subditos, cuiuscumque gradus extiterint, compellere debeant, ut huiusmodi processionibus intersint, necnon matutinali officio eiusdem virginis, a quo et ab officio ceterarum horarum et a conventuali missa nemo habeatur exemptus, nisi decumbens teneatur vel lectionibus, predicacionibus, confessionibus ceterisque honestis exerciciis ac publicis officiis fuerit occupatus.

Item. Proprietatis vicio, quo sepe contingit, ut nonnulli in laqueum dampnacionis incidant, pro viribus obviare cupientes, omnibus et singulis nostri ordinis fratribus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie presencium tenore precipimus, ut secundum antiquam ac laude dignam nostri ordinis consuetudinem semel in anno hoc est in festo omnium sanctorum usque ad quindecim dies immediate sequentes priori provinciali vel conventuali omnia bona eis ad usum concessa in scriptis redacta consignent, tamquam seipsos talibus bonis ex voluntatis proposito spoliantes. Ad quod faciendum prelati subditos suos congruo tempore admonere non negligant. Si qui vero de huiusmodi consignacione commoniti tam sancto instituto obedire contempserint, bonis ipsis tamquam proprietarii priventur aliisque penis afficiantur, quibus affici a suis prelatis merito videbuntur. Precipue tamen quoad hoc statuimus, ut, si forte tales inobedientes et obstinati decesserint, ecclesiastica sepultura priventur, ut eorum punicio esse debeat aliis insolentibus in exemplum. Huiusmodi autem bonorum inventaria sigillata in communi conventuum deposito conserventur, nec ullo modo sine reverendissimi magistri ordinis aut prioris provincialis auctoritate, nisi casus mortis evenerit, aperiantur.

Item. Sanctorum patrum nostrorum sancte consuetudini nos conformantes, volumus, ut memoria de beato Dominico patre nostro ceterisque ordinis nostri sanctis in matutinis et vesperis de tempore cantentur, quemadmodum et hactenus cantari consueverunt.

Item. Diversorum capitulorum generalium institutis tamquam sanctissimis et maxime necessariis nos conformantes, omnibus et singulis

2) beatissimam] beatam P. — 4) reperitur] reperiatur B. — 9) a — ceterarum] et eciam estivarum P. — 10) exemptus] exceptus P. — nisi] vel *add.* P. — 11) lectionibus] vel *add.* P. — 12) honestis] legitimis P. — 14) incidant] decidant P. — cupientes] volentes P. — 16) antiquam *om.* P. — ac *om.* P. — 19) vel] aut P. — 25) quoad — decesserint] careant P. — 26) priventur *om.* P. — 27) esse debeat] cedat P. — huiusmodi — aperiantur *om.* P. — 33) et *om.* P.

fratribus, cuiuscumque status extiterint, in virtute spiritus sancti et sancte obediencie premisse tenore presencium precipimus, ut nemo quibuscumque personis tam ecclesiasticis quam secularibus extra nostri ordinis obedienciam constitutis ordinis aut fratrum secreta et peccata, sique commissa fuerint aut per aliquorum infamiam conficta fuerint, verbo vel litteris, per se vel per interpositam personam, directe vel indirecte, revelare vel manifestare aut alias contra alicuius fratris et nostre religionis honorem, honestatem et libertatem recursum quemlibet habere presumat. Si quis autem huic instituto ausus fuerit contraire, ipso facto a suis presidentibus pena gravioris culpe coarceatur.

Item. Nostre religionis honestati consulentes, omnes et singulos provinciarum et conventuum presidentes hortamur et strictius admonemus, ut dent operam clausure conventuum, ut videlicet nec ad eorum beneplacitum egredi, nec seculares utriusque sexus, presertim que sunt persone et videntur esse infames et inhoneste vite, eorundem conventuum clausuram ingredi possint.

Item. Quorumdam fratrum insolenciam et temeritatem compescentes memoratis presidentibus iniungimus, ut aliorum conventuum et provinciarum fratres, qui testimoniales litteras sue vagacionis aut itineris non ostenderint, non recipiantur ullo modo, imo discursus et itineris causas sciscitari diligentissime studeant. Et si scandalosi et fugitivi esse deprehensi fuerint, mancipentur carceribus. Huic adiicientes, quod si fratres de congregacione fratrum vite regularis ad conventus vite communis sine suorum licencia vicariorum et habita facultate transfugerint, ad suos conventus et prelatos penitus remittantur.

Item. Ut a nobis paci futureque tranquillitati nostre religionis consulatur, inhibemus, ne quis conventuum et provinciarum presidencium aliquem illegitime natum ad nostrum ordinem deinceps recipiat, cum plerumque tales esse soleant suis fratribus inquieti. Volentes, ut secundum laude dignam maiorum nostrorum consuetudinem novicii recipiendi non solum de moribus et litteris, sed eciam de legitima nativitate diligencius examinentur. Quod si secus a presencium actorum publicacione tentatum aut factum ab aliquo fuerit, tamquam contemptor laudabilis huius institucionis habeatur et quicumque sine tali examinacione recepti fuerint, pro non receptis habeantur.

Item. Ut heretice pravitatis inquisicionis officium commodius exerceatur, removemus ordinacionem in quibusdam generalibus capitulis factam

2) premisse *om.* P. — 4) et] aut P. — 5) per — verba] ab aliquo pro infamia conficta P. — 8) quemlibet] quomodolibet P. — 11) item — possint *om.* P. — 17) temeritatem] levitatem P. — 20) non *om.* P. — ullo] nullo P. — 21) sciscitari] scire P. — 22) si *om.* P. — fratres] qui *add.* P. — 24) licencia *om.* P. — et *om.* P. — 33) a] ad P. — publicacione] publicacionem P. — 34) tamquam — fuerint *om.* P. — 36) item — teneantur *om.* P.

et volumus, [quod] priores conventuales huiusmodi inquisitores deinceps institui non debeant; et si qui hactenus fuerint instituti ex nunc pro absolutis ab altero officiorum secundum prioris provincialis aut vicarii generalis beneplacitum et iudicium penitus habeantur. Et nichilominus volumus, quod quilibet heretice pravitatis inquisitores de sui officii administracione debeant suis prioribus provincialibus aut generalibus vicariis conventuum reformatorum exactam reddere racionem; quam quidem provinciales et vicario reverendissimo magistro ordinis in scriptis redactam tempore generalium capitulorum aut alias, si necesse fuerit, mittere teneantur.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus universis et singulis fratribus nostri ordinis per orbem universum constitutis, omnes et singulas gracias a generali capitulo Senensi inclusive usque ad inchoacionem presentis capituli generalis, similiter omnes et singulas censuras eodem tempore fulminatas a nobis quibusdam racionabilibus causis fuisse revocatas. Gracias autem a reverendissimo, qui nunc est reassumptus, nostri ordinis generali magistro, a tempore sue prime assumpcionis hoc est a capitulo Nanetensi usque ad presens tempus omnes et singulas in suo robore permanere.

Item. Denunciamus, sanctissimum dominum nostrum Paulum ·II· iustis de causis magistrum Conradum Astensem (1) ab ordinis magisterio suspendisse, capitulum autem generale olim in conventu Mediolanensi assignatum propter periculum imminentis pestis ad conventum Novariensem transtulisse, in quo capitulo idem magister ordinis Conradus dicto magisterio cessit et penitus renunciavit. Qua cessione et renunciacione honestis quibusdam ac racionabilibus de causis libenter admissa processum est a nobis ad electionem alterius magistri. Qua reverendissimum in Christo patrem fratrem Marcialem Auribelli (2) s. theol. clarissimum professorem ab omnibus nobis fuisse unanimiter electum et concorditer, universis nostri ordinis fratribus per universum mundum constitutis presencium tenore denunciamus.

Item. Denunciamus, sanctissimum dominum nostrum Pium olim papam secundum per bullam sub pena excommunicacionis late sentencie incurrende tam nostri ordinis quam minoribus et ceterorum ordinum

13) constitutis] quod *add.* P. — 15) generalis] et *add.* P. — et singulas *om.* P. — censuras] et excommunicacionis sentencias *add.* P. — 17) generali *om.* P. — 20) dominum] papam B. — 22) autem *om.* A. — 24) ordinis *om.* P. — 26) renunciacione] a nobis *add.* P. — 28) reverendissimum] reverendum P. — patrem *om.* P. — 33) sub pena *om.* P.

(1) De fr. Conrado de Ast cf. supra pag. 291.
(2) De fr. Martiali Auribelli cf. l. c. pag. 290.

fratribus mandasse, ne aliquam vel predicando vel disputando mencionem faciant de materia illa sanguinis Christi per passionem effusi, que superioribus annis fuit in Romana curia ventilata, donec a sede apostolica, quid tenendum sit, fuerit diffinitum (1).

Item. Denunciamus omnes et singulos fratres conventuum reformatorum congregacionis Lombardie sentenciam excommunicacionis incurrisse ipso facto, quocienscumque ab eorum vicariornm obediencia, non petita licencia et obtenta, discesserint.

Item. Denunciamus fr. Franciscum de Lino, qui se pro magistro theologie presumpsit ingerere, non esse magistrum. Quamobrem universis et singulis nostri ordinis fratribus mandamus, ut ipsum pro magistro aut alias graduato non habeant. Quod si a presencium actorum noticia pro magistro se denuo ingerere deprehendatur, a provinciarum et conventuum presidentibus carceri mancipetur, donec de eius liberacione per reverendissimum magistrum disponatur.

Item. Denunciamus reverendos patres infrascriptos episcopos, qui ex ordine nostro fuerunt assumpti, videlicet dominum Iohannem de Inodio Christopolitanum (2), dominum Franciscum de Stylo episcopum Liparensem, dominum Blasium Constantini de Ragusio (3) episcopum Marcanensem, dominum Leonardum de Neapoli (4) episcopum Matensem (?), dominum Paulum suffraganeum domini episcopi Cracoviensis, dominum Michaelem Reutheleem (5) episcopum Cimbalensem, dominum Inguerardum Sinart (6) episcopum Salubriensem, confessorem illustrissimi ducis Burgundie, dominum Bartholomeum de Sulmone (7) episcopum Sulmonensem, dominum Gasparem (8) suffraganeum domini Salseburgensis episcopi, dominum Iohannem episcopum Laudunensem, dominum Iohannem de Capella (9) episcopum Villiacensem (?) et dominum Raymundum de Rota (10) episcopum Acconensem, suffraganeum domini episcopi Lausanensis, ad beneficia ac suffragia ordinis esse receptos.

4) diffinitum] ordinatum P. — 7) quocienscumque] quo P. — 9) item — translatum *om.* P. — 18) Liparensem] Piparitanum BP. — 20) Marcanensem] Mercanensem B.

(1) Cf. BO. III, 421 n. 56 et SSOP. I, 822 sqq.
(2) De fr. Iohanne de Inodio (*BO.* Obim) cf. l. c. pag. 436.
(3) De fr. Blasio cf. supra pag. 244, 251 et BO. l. c. pag. 439.
(4) De fr. Leonardo de Neapoli cf. l. c. pag. 436.
(5) De fr. Michaele cf. l. c. pag. 438.
(6) BO. III. l. c. pag. 439 Ingerandus Seignart.
(7) De fr. Bartholomaeo cf. l. c. pag. 438.
(8) De fr. Gasparo cf. l. c. pag. 477.
(9) De fr. Ioanne cf. l. c.
(10) De fr. Raymundo cf. l. c. pag. 437.

Item. Denunciamus magistrum Iohannem Vatat (1) Cathalaneum per vicarium ordinis supranominatum inquisitorem heretice pravitatis generalem Francie sub titulo Parisiensem esse et fuisse institutum et omnem alium sub eodem titulo absolutum et pro tali a nobis fuisse sentencialiter acceptatum.

Item. Denunciamus magistrum Christianum Bolee (2), provincialem Francie, et magistrum Iulianum Naldi (3) provincialem Romanum, in officio procuratoris ordinis nonnullas expensas in negocio canonizacionis s. Catharine de Senis fecisse, prout nobis veraciter per calculos ostenderunt, ad quorum satisfactionem conclusimus singulas provincias in ·vii· ducatis eisdem obligari preter provincias Portugallie, Bohemie et Trinacrie, quas ad ·v· ducatorum solucionem taxamus. Mandatur itaque provinciarum presidentibus, ut huiusmodi pecuniam mittere debeant ad reverendissimum magistrum ordinis, prout fidelius, cicius et expedicius fieri poterit.

Iste sunt declaraciones.

In primis declaramus fratres Gerardum Raynerii et Iohannem Maricii ut filios nativos conventus Aquensis provincie Provincie, prout alias per reverendissimum magistrum ordinis, qui nunc est, fuerat ordinatum, quemadmodum nobis ex sue paternitatis litteris clarissime constat, omnem declaracionem in oppositum factam penitus revocando.

Item. Declaramus fr. Ambrosium de Bononia, baccalaureum Panormitanum, fuisse et esse de conventu Bononiensi ad conventum Panormitanum provincie Trinacrie translatum.

Iste sunt acceptaciones.

In primis acceptamus pro conventu locum Bruxellensem et Alcamensem provincie Trinacrie, qui opera fratris Hieronymi Odonis ac auctoritate summi pontificis fuit superioribus annis noviter edificatus.

Item. Acceptamus locum s. Marie Graciarum Mediolani; locum Savose et Thermarum in provincia Trinacrie.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus omnia et singula, que reverendus magister Iulianus Naldi (4), provincialis Romanus, procurator et vicarius generalis temporibus superioribus egit tamquam vicarius et procurator, non solum quoad ordinaciones, si quas fecit alicubi, sed eciam quoad gracias fra-

26) et Alcamensem *om.* A. — ac *om.* A. — 28) graciarum] de graciis P. — 29) Savose *om.* A; Savose] s. Filadelli *add.* AP.

(1) De fr. Ioanne Vatat cf. SSOP. I, 812.

(2) De fr. Christiano Polee cf. supra pag. 295.

(3) De fr. Iuliano Naldi cf. l. c. pag. 279; 290.

(4) De quo supra l. 7.

tribus quibuscumque concessas; et similiter quoad confirmacionem quorumcumque presidencium et prelatorum ordinis et aliorum officiorum distribucionem, et breviter quidquid predictorum officiorum auctoritate quomodolibet confirmamus, ratificamus et roboramus.

Item. Approbamus omnia et singula, que ab reverendo magistro Gregorio a Siracusa [diffinitoris] presentis capituli acta sunt quoad disposicionem provincie Trinacrie ex speciali sibi facta apostolica commissione, ad que acta nos per omnia referimus.

Item. Approbamus magisterium illorum, qui ob subsidium presentis capituli a reverendo magistro Hieronymo Vicecomite (1), provinciali huius provincie Lombardie, auctoritate apostolica magistralia insignia susceperunt.

Item. Approbamus magisterium fratris Luce de Ungaria (2), presentis capituli diffinitoris.

Item. Approbamus reformacionem conventus Coloniensis et Altivillaris ac reformacionem factam per provincialem Polonie in provincia sua.

Iste sunt commissiones.

In primis committimus reverendissimo magistro ordinis, quod in casibus, qui sue reverendissime paternitati videbuntur expedire super premissis et aliis occurrentibus dispensare et disponere possit, prout iudicaverit opportunum; suisque verbis vel litteris indubia fides per omnia et in omnibus habeatur.

Item. Committimus reverendo provinciali Theutonie, ut locum Lauffen, qui fuit monasterium sororum nostri ordinis, quarum negligencia fuit derelictus, pro reformato conventu recipiat.

Item. Committimus reverendo provinciali Lombardie, ut super terminis questuum conventus Bugelensis taliter provideat, quod omnis turbacionis occasio tollatur.

Item. Committimus provinciali provincie s. Dominici, ut diligencius inquirat super excessu fratris Peregrini de Regio, qui in magistrum Thomam de Ferraria presentis capituli diffinitorem, famosum librum dicitur confecisse, ipsumque puniat secundum nostri ordinis instituta.

Item. Committimus magistro Paulo de Tomacellis reformatorum conventuum provincie regni Sicilie generali vicario et presentis capitulo diffinitori punicionem fratris Stephani de Salerno, qui varios excessus et decepciones in nostri ordinis dedecus multis in locis dicitur commisisse.

2) quorumcumque] quorumdam P. — 3) quidquid] suorum *add.* P. — 5) item — diffinitoribus *om.* P. — 21) opportunum] optimum P. — suisque] eiusque P. — 23) item — iudicum approbamus *om.* P.

(1) De fr. Hieronymo Vicecomite cf. SSOP. II, 24.

(2) De fr. Luca de Ungaria cf. supra pag. 283.

Item. Committimus provinciali Trinacrie punicionem illorum fratrum, qui Salvi Chiese complices et tempore capituli sentenciam (!), libertatem (!) et quorundam patrum ordinis infamiam (!) fuerunt, ut de ipsorum penis disponat, prout in nostris constitucionibus continetur.

Iste sunt penitencie.

In primis quoniam magister Andreas Schiarensis de Florencia provincie Romane ausu temerario quedam acceptare presumpsit, que in personam reverendi provincialis Romani (1), procuratoris [ordinis] atque vicarii predicti et per consequens tocius ordinis nostri dedecus et infamiam cessisse dignoscuntur, ideo magisterio ipsum sentencialiter privamus. Qua eciam penitencia afficimus magistrum Franciscum de Furlivio propter nonnulla ab ipso in dedecus ordinis perpetrata, quem carcerali mancipacione sentencialiter condempnamus; nec liberetur, donec per magistrum ordinis aut generale capitulum aliter provideatur.

Item. Quia frater Iohannes de Tridino tamquam publicus nostre religionis proditor quedam in Romana curia per dolos procuravit et tractavit, propter que noster ordo multumque venerandi patres ordinis maxima confusione iniustissime passi sunt, falsificando eciam apostolica rescripta, propter quod sanctissimus dominus noster olim Pius II. maximam indignacionem accepit, ideo ipsum graciis ordinis omnibus et beneficiis sentencialiter presencium tenore privamus perpetuoque carceri deputamus et excommunicacione maiori innodatum esse denunciamus.

Item. Quia magister Salvus Chiesa de Panormo (2) non solum in perturbacionibus ac ruinis provincie Trinacrie suis sedicionibus ac tractatibus a multis iam temporibus multos patres ordinis turbavit, verum eciam, quia nostri ordinis libertatem una cum dicto fratre Iohanne de Tridino ante et post Senense capitulum maiores suos et quosdam dominos prelatos in Romana curia et in multis aliis locis os in celum ponens infamando, obloquendo plurimum lesit, aliaque permulta inhoneste vivendo perpetravit, que honestatis causa omittimus, ideo ipsum ordinis ac magisterii graciis, honore ac nomine privamus ipsumque perpetuo carceri mancipari presencium tenore sentencialiter deputamus (3).

Iste sunt assignaciones.

In primis conventui Bononiensi provincie s. Dominici de regente reverendissimus magister ordinis providebit. Ad legendum sentencias pro forma et gradu pro secundo et tercio anno fr. Petrum de Bergamo (4). Ad

---

(1) Iuliani Naldi scilicet, de quo supra pag. 297.

(2) De fr. Salvo Chiesa cf. supra l. 2.

(3) Qua de re cf. supra pag. 287 not. 2.

(4) De fr. Petro de Bergamo cf. supra pag. 277.

legendum bibliam pro primo anno fr. Iohannem de sancto Miniate (1); pro secundo fr. Hieronymum de Belluno; pro tercio fr. Cherubinum de Fabriano. In magistrum studencium pro primo anno fr. Dominicum de Garignano; pro secundo fr. Antonium de Florencia; pro tercio fr. Thomam de Fossano. In studentes theologie fratres Thomam de Fossano, Thomam de Bergamo, Antonium de Brixia (2), Angelum de Verona, Bartholomeum et Hieronymum de Bononia et fr. Vincencium de Castronovo.

Iste sunt concessiones.

Concedimus prioribus provincialibus, qui presenti capitulo interfuerunt, ut eorum quilibet ad gracias ordinis tres fratres restituere possit in sua provincia, illis exceptis, quorum punicio fuit in presenti capitulo denunciata.

Sentencias iudicum approbamus.

Ista sunt suffragia pro vivis: decem misse.

Ista sunt suffragia pro defunctis: quinque misse.

Sequens capitulum generale, quod erit provincialium ad tres annos immediate sequentes in festo pentecostes in civitate Aquensi provincie Provincie assignamus.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROME CELEBRATI AD SANCTAM MARIAM SUPRA MINERVAM ANNO DOMINI · M°· CCCC°· LXVIII°· (3)

Sub reverendissimo in Christo patre fratre Leonardo de Perusio (4) sacre theologie eximio professore, generali vicario tocius ordinis, vice reverendissimi magistri ordinis fratrum predicatorum (5) existentibus diffinitoribus reverendis prioribus provincialibus:
mag. Thoma de Ferraria (6) s. theol. prof. provinciali prov. s. Dominici, magistro Salvatore (7) provinciali provincie regni Sicilie,

14) ista — quinque misse *om.* A. — 24) vice — ordinis *om.* P. — 26) prioribus] patribus P.

(1) De fr. Ioanne de s. Miniate cf. l. c. pag. 258.

(2) De fr. Antonio de Brixia cf. SSOP. I, 892.

(3) Huius capituli acta in actis sequentis capituli declarantur nulla « declaramus capitulum Romanum, in quo magister fr. Leonardus de Perusio non potuit preesse, cum non esset de corpore capituli, fuisse et esse nullum ac acephalum ac omnia in illo ordinata nulla esse ». Cf. infra pag. 324 l. 23 sqq.

(4) De fr. Leonardo de Perusio cf. supra pag. 235.

(5) Martialis scilicet Auribelli, de quo supra pag. 295.

(6) De fr. Thoma de Ferraria cf. l. c. 298.

(7) De fr. Salvatore cf. l. c. pag. 290.

magistro Iacobo de Valencia provinciali Grecie,
magistro Hieronymo de Vicecomitibus (1) provinciali Lombardie,
magistro Bernardo de Dulmen (2) provinciali Saxonie,
diffinientibus ut sociis provinciarum in absencia suorum provincialium:
fratre Guterio socio Hyspanie, s. theol. baccalario,
fratre Antonio Martini, socio provincie Tholosane, magistro,
fratre Philiberto, socio provincie Francie, magistro,
fratre Antonio Boyleti, socio prov. Theutonie, s. theol. baccalario formato,
fratre Augustino de Zagrabia, lect. et predic. gen. socio prov. Hungarie,
fratre Hugone, socio provincie Anglie,
fratre Nicolao, socio provincie Polonie,
fratre Nicolao Merula, socio provincie Aragonie, magistro,
fratre Mattheo Tonsonne, socio provincie Bohemie,
fratre Andrea Dauflori, socio provincie Provincie, magistro,
fratre Salvo Panormo (3), socio provincie Trinacrie, magistro.

Iste sunt inchoaciones.

Inprimis inchoamus et volumus, ut in singulis nostri ordinis conventibus in martyrologiis nostris nonis aprilis natalis beati Vincencii confessoris scribatur hoc modo: Natalis beati Vincencii confessoris, qui de civitate Valencie ortus in adolescencie sue annis mundi illecebras prudenter declinans ordinem fratrum predicatorum ingressus est, in qua religione plurimum in moribus et studio proficiens, verbum dei ut vir apostolicus signis et prodigiis corruscans multarum annnnciavit terrarum populis; tandem in Britanniam ingressus in civitate Venetensi plenus dierum et spiritu prophetico preclarus animam deo reddidit, cuius sanctitatem ad tumulum eius crebra miracula protestantur. Festum totum duplex.

Item. Secundo volumus et inchoamus, ut in martyrologiis nostri ordinis secundo kalendas maii natalis beate Catharine de Senis inseratur hoc modo: Rome sancte Catharine virginis. Hec de civitate Senensi provincie Etrurie oriunda septimo etatis sue anno virginitatem suam domino dedicat. Postea in adolescencia sancte conversacionis habitum de penitencia beati Dominici assumpsit, que crebris revelacionibus et aparicio-

3) Bernardo] Bertrando P. — de *om.* B. — 4) ut *om.* P. — 5) Guterio] Guiterreo P. — 8) Boyleti] Belleni P. — formato *om.* B. — 9) Zagabria] Sagina P. — 12) Merula] Merollia B. — 13) Tonsonne] Tonsarum P; *in marg.* Tonsaris P. — 14) Andrea *om.* P. — 15) Panormo] Damflori P; *in marg.* de Panorma P. — 17) in primis *om.* B. — 19) scribatur] conscribatur P. — 20) sue *om.* P. — 22) qua religione] quo P. — 25) deo] celo P. — 26) protestantur] attestantur P. — festum *om.* P. — 27) et] atque P. — 30) domino] deo P. — 31) postea] post que P. — 32) beati] sancti P.

(1) De fr. Hieronymo Vicecomite cf. l. c. pag. 298.
(2) De fr. Bernardo de Dulmen cf. l. c. pag. 279.
(3) De fr. Salvo Cassetta cf. l. c. pag. 280.

nibus a domino Iesu Christo sibi factis et ab ipso visibiliter annulo desponsata, doloribusque Christi ac vulnerum particeps effecta, vitam ab omni mortali crimine duxit immunem. Tandem multis clarens miraculis, multarum eciam epistolarum et librorum doctrina refulgens diabolique plurima temtamenta et verbera superans anno etatis sue trigesimo tercio Rome quievit tercio kalendas maii et in ecclesia s. Marie super Minervam est sepulta. Dominus autem Pius papa II., qui eam sanctorum catalogo adscripsit, mandavit festum ipsius prima dominica maii perpetuis temporibus solemniter celebrari. Totum duplex.

Item. Ne devocio fratrum amittatur et studium eorum minime negligatur, statuentes inchoamus et volumus, ut consuete memorie ordinis de beata virgine et de sancto patre nostro Dominico solito more in matutinis et vesperis dicantur. Relique vero memorie sanctorum nostrorum in cursu beate virginis dicantur, necnon et sequentes antiphone in matutinis et vesperis de tempore cum suis versiculis et oracione cum nota post memoriam beati patris nostri Dominici cantentur. Ad vesperas antiphona: Christi pia gracia sanctos sublimavit, quos patris Dominici ordo propagavit, nos eorum meritis petimus iuvari atque suis precibus deo commendari. Vers.: Predicatores incliti, sanctitate mirifici, pro nobis intercedite. Resp.: Ut digni efficiamur promissionibus Christi. In laudibus antiphona: O quam felix gloria semper est sanctorum, quam preclara sunt merita predicatorum, quorum verbo et opere mundus decoratur, eorumque munere mens consolidatur. Vers.: Exultabunt sancti in gloria. Resp.: Letabuntur in cubilibus suis. Oracio: Deus, qui ecclesiam tuam sanctorum tuorum Petri, Thome, Vincencii et Catharine meritis illustrare dignatus es et doctrinis, presta, quesumus, ut eorum semper intercessionibus adiuvemur, quorum commemoracione letamur. Per dominum nostrum.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis a divinis inchoantes volumus et ordinamus, quod divinum officium in singulis conventibus nostris diurnum pariter et nocturnum iuxta tenorem nostrarum constitucionum distincte et cum pausis debitis in nota ordinis cantetur, quando cantari debet, a fratribus nostri ordinis; hortantes presidentes conventuum, quatenus invigilent et singularem apponant diligenciam et non minus circa matutinum virginis, ut devote in dormitorio dicatur.

Item. Volumus et ordinamus, ut quicumque frater nostri ordinis

---

4) et librorum *om.* P. — refulgens] prefulgens P. — 7) est *om.* P. — 11) ordinis *om.* P. — 13) sanctorum] patronorum *add.* P. — 14) necnon] ac non P. — 20) resp. *om.* P. — promissionibus Christi *om.* P. — 21) antiphona] dicendum P. — 24) resp. — suis] etc. P. — 25) illustrare] illuminare P. — 27) per] Christum *add.* P. — 32) quando cantari debet *om.* P. — 34) matutinum] matutinas beate P. — 36) ut] quod P.

tante temeritatis fuerit, quod in sermone publico aut quocumque modo contra sanctissimum dominum nostrum aut aliam personam ecclesiasticam proferre verbum presumpserit, talem vel tales iuxta nostrarum seriem constitucionum carcerali custodie mancipari mandamus, nec tales liberari possint, nisi per capitulum generale.

Item. Cum communitas rerum ex voto paupertatis pertineat ad religionis essenciam, pro remocione omnis vicii proprietatis mandamus omnibus et precipimus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie, quatenus nullus fratrum, cuiuscumque gradus aut condicionis extiterit, ad mercimonia et negociaciones quascumque aut campsores seu bancos retineat vel retineri faciat quoquomodo. Quod si aliquis repertus fuerit contraveniens, omnia bona sibi ab ordine concessa et permissa ad usum vite sue ex nunc prout ex tunc ipso facto deputamus conventui suo, volumusque eundem seu eosdem delinquentes tamquam denigrantes paupertatem nostri ordinis et votum carceri mancipari et extra claustrales sepulturas fratrum sepeliri.

Item. Cupientes pro viribus et optantes pacem et concordiam inter fratres vite regularis ac ceteros fratres conventuales nostri ordinis procurantes manutenere, et quoad possumus augere, precipimus et mandamus, ne aliquis presidencium nostri ordinis vicariis observanciarum fratres subditos sine litteris testimonialibus et licencia suorum prelatorum audeat retinere sub quocumque colore, sed ad eos, unde venerunt, remittere studeant et teneantur. Quod si secus fecerint, penam suspensionis a suis officiis ipso facto noverint se incurrisse. Et sub eadem pena presidentibus observanciarum precipimus et mandamus, ne fratres suorum presidencium penas subterfugere volentes acceptare presumant, nisi de expresso consensu suorum prelatorum, quorum penas et correctiones subterfugere curaverunt. Et ut occasio discursus et evagacionis fratrum nostri ordinis tam observancialium quam aliorum penitus evitetur, precipimus et mandamus generaliter omnibus presidentibus et prelatis in nostro ordine constitutis sub pena absolucionis a suis officiis, quam contraveniendo ipso facto incurrant, ne aliquem fratrem vel fratres sic vagantem vel vagantes absque licencia suorum prelatorum de provincia ad provinciam et de congregacione ad congregacionem discurrentes acceptare presumant, sed eosdem pena gravioris culpe puniant et tandem ad suos presidentes, unde venerunt, facta penitencia, remittant, non obstantibus privilegiis, graciis et litteris quibuscumque.

---

1) publico] publice P. — 6) paupertatis] professionis P. — 9) aut] seu P. — extiterit] existat P. — 13) nunc] tunc P. — tunc] nunc P. — 14) volumusque] volentes quod P. — 19) procurantes] procuratores B. — 21) licencia] licenciis P. — 22) sed ad] ac P. — 27) consensu] assensu P. — penas] penitencias P. — 32) contraveniendo] contravenientes P. — 35) tandem] tradant B.

Item. Propter utilitatem et singularem instructionem studencium et promovendorum ad studia nostri ordinis pro gradu et forma magisterii sive ad biblicatum sive ad baccalariatum volumus et ordinamus, quod nullus promoveatur nec habilitetur ad prefatos gradus, nisi prius fuerit per provinciales et diffinitores suarum provinciarum seu per eos, quos ipsi deputaverint, presentatus capitulo generali, reddentes testimonium de idoneitate et sufficiencia ipsius, irritum declarantes et inane, quidquid in contrarium fuerit per quempiam attentatum; mandantes prioribus provincialibus cum suis diffinitoribus sub pena suspensionis a suis officiis, ne aliquem insufficientem promoveant et exponant, cassantes, annullantes et irritantes omnes promociones extraordinarias per quascumque litteras seu eciam brevia aut alio quocumque modo per saltum factas usque ad magisterium inclusive iuxta constitucionem felicis recordacionis Bonifacii IX. constitucionibus nostris insertam, que per nostrum ordinem nullatenus valeat immutari, tenoris infrascripti:

Auctoritate apostolica tenore presencium perpetua et irrefragabili constitucione statuimus et eciam ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus dicti ordinis predicatorum absque litteris seu assignacione capituli generalis iuxta morem eiusdem ordinis ad legendum pro forma seu ad honorem magisterii in theologia promoveri seu gradu huiusmodi magisterii fungi possit aut debeat, nisi per dictum capitulum fuerit approbatus vel promotus. Contrarium vero facientes eo ipso excommunicacionis sentenciam incurrant; et si per capitulum predictum reprobatus extiterit, pro non magistro habeatur. Constitucionibus apostolicis et statutis et consuetudinibus provinciarum et locorum dicti ordinis, necnon privilegiis et concessionibus apostolicis in genere vel in specie quibuscumque fratribus in provinciis vel in locis concessis seu factis aut concedendis vel faciendis sub quavis forma et expressione verborum, eciamsi de hiis de verbo ad verbum habenda esset in presentibus mencio specialis, et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque, nunc sicut ex tunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Item. Quia non parum dedecoris et detrimenti suscepit sacer ordo noster ex promocione indignorum, tenore presencium in virtute sancte obediencie firmiter precipimus et mandamus, quatenus omnes fratres pro-

6) presentatus] presentandos P. — reddentes] reddencium P. — 11) et *om.* P. — promociones] promotos P. — extraordinarias] extraordinarie P. — 19) iuxta morem] sive more P. — 20) in theologia] inchoandum B. — 21) seu] nec P. — 22) dictum] predictum P. — 23) facientes] faciens P. — incurrant] incurrat P. — 26) dicti] predicti P. — 27) quibuscumque] quibusvis P. — 31) nunc — tunc] nos ex nunc P.

moti per saltum et per litteras quascumque, eciamsi sint brevia apostolica, a capitulo Novariensi citra emanatas per tres annos continuos in universitatibus, in quibus promoti sunt, legant sentencias, aliosque actus secundum ritum suarum universitatum perficiant, vel gravando consciencias priorum provincialium legant, ubi eis videbitur. In Italia vero promoti iuxta consuetudinem studii Bononiensis compleant ac in singulis capitulis provincialibus publice disputent aut in universitatibus; precipientes prioribus provincialibus in virtute sancte obediencie, quatenus talem ordinacionem observare faciant cum effectu. Quod si quis sic per saltum promotus obedire contempserit, omni gradu et gracia ordinis ipso facto sit privatus.

Item. Volentes providere provinciis ac conventibus ordinis, qui pro parte propter mortem patrum et fratrum deficiunt et amplius deficerent, nisi de remedio opportuno provideatur, necnon propter varia scandala, que per certos fratres extra obedienciam constitutos perpetrantur, districte precipiendo mandamus de expresso mandato domini nostri quatenus omnes fratres extra obedienciam ordinis quocumque modo constituti infra duos menses a noticia presencium ad obedienciam ordinis se transferant et ad suorum prelatorum obedienciam se reducant. Quod si qui recusaverint, precipimus et mandamus provincialibus et presidentibus nostri ordinis, in quorum provinciis vel terminis tales commorantur, quatenus tales ad ordinem redire compellant, eciam, si opus fuerit, invocato ad hoc brachio seculari. Nolentes, quod reverendissimus magister nostri ordinis amplius talem licenciam fratribus dare presumat.

Item. Cupientes providere utilitati animarum iuxta conscienciam et formam nostri ordinis, volumus et ordinamus, quod nullus frater nostri ordinis nec predicare nec confessiones audire debeat nec possit, nisi per provinciales vel discretos patres, quos provinciales seu vicarii observanciarum duxerint eligendos, fuerint examinati et pro sufficientibus habiti et deputati. Si qui vero propria temeritate et ambicione contra ordinacionem iam factam se ingesserint, ipso facto eosdem carceri et pene gravioris culpe per mensem macerandos subiicimus.

Item. Volumus et ordinamus ex speciali mandato et concessione sanctissimi domini nostri et apostolice sedis, quod in singulis capitulis generalibus tam provincialium quam diffinitorum, diffinitores, qui pro tempore erunt, diffinientes absque omni conspiracione sepositoque omni amore, odio, passione, timore vel favore, diligenter examinent et perquirant vitam, regimen, mores et facta tam generalis magistri quam sociorum et

2) citra *om.* P. — 5) priorum] suorum P. — 13) pro parte propter] per P. — 14) scandala] evitanda *add.* P. — 15) districte *om.* P. — 16) mandato] sanctissimi *add.* P. — 21) tales *om.* P. — 24) talem licenciam] tales licencias P. — 33) concessione] commissione P.

tocius familie sue. Quod si cognoverint in ruinam, scandalum, desolacionem vel dissolucionem ordinis nostri secundum tenorem nostrarum constitucionum, ubi agitur de defectibus magistri, de unanimi consensu aut maioris partis eorumdem suspendant, amoveant ac deponant. Quibus precipimus et mandamus auctoritate apostolica sub pena excommunicacionis late sentencie, una pro trina canonica monicione premissa, quam sentenciam pro nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc nos sedentes pro tribunali contra tales diffinitores ferimus in hiis scriptis, a qua, si contrafecerint, non possint absolvi nisi per sedem apostolicam. Precipiendo insuper generali magistro pro tempore existenti, quatinus in capitulo coram diffinitoribus, dictis suis culpis, sigillum, libros cum registro ordinis libere in manus diffinitorum deponat et consignet.

Item. Volumus et ordinamus, ne generalis magister nostri ordinis in visitando provincias et conventus ordinis ultra sex ducatos in expensis gravare presumat. In itinere vero constitutus, volumus, ut de expensis contribucionum suarum vivat. Hoc idem intelligimus de provincialibus, quando conventus sue provincie visitaverint, excepta provincia Grecie, quam in antiqua consuetudine volumus permanere, ut videlicet unus conventus usque ad alium conventum provideat de expensis propter singulorum distanciam. Admonemus nichilominus priores provinciales, quando conventus sue provincie visitaverint, ne gravent in expensis conventus, ad quos pro tempore declinaverint, et specialiter provincialem Aragonie, qui nunc est et pro tempore fuerit, cum sue provincie conventus visitaverit, ultra duos florenos gravare non audeat.

Item. Observantes nonnullas contenciones, iurgia et plures contenciones, divisiones facile suboriri propter absoluciones tam priorum provincialium quam conventualium, non concernentibus votis priorum, sociorum et patrum aliorumque fratrum vocalium provinciarum et conventuum, interdicendo et inhibendo ordinamus, quod magister generalis pro tempore existens priores provinciales absolvere non audeat neque possit, nisi adveniente peticione provincialium vel assensu maioris partis vocalium provincie; neque priores provinciales aut eorum vicarii priores conventuales sine maiori parte vocalium sui conventus, ubi debitus numerus fratrum vocalium fuerit, absolvere non presumant. Quod si per reverendissimum magistrum generalem aut provincialem pro tempore existentes contrarium attemptatum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item. Ne prelature nostri ordinis prioratuum provincialium seu con-

1) quod si] qui si que P. — 5) mandamus] de *add.* P. — 6) monicione] ammonicione P. — 11) registro] registris nostri P. — 13) ne] quod P. — 14) in *ante* visitando *om.* P. — 15) gravare] non *add.* P. — 18) unus *om.* P. — 19) usque] eiusdem P. — de expensis *om.* B. — 20) admonemus] admonentes P. — 23) et] aut P. — 25) observantes] considerantes P. — 28) fratrum *om.* P. — 31) peticione *om.* P.

ventualium aliquid labis simonie et suspicionis avaricie incurrant, volumus et ordinamus, quod prelati, ad quos spectat talis confirmacio vel absolucio, nichil a fratribus exigere presumant. Quod si per quempiam contrarium attemptatum fuerit, eandem sentencia excommunicacionis pena innodamus; quam excommunicacionem super talem vel tales ferimus in hiis scriptis, a qua non possit absolvi, nisi previo facta restitucione sic accepti.

Item. Ad evitandum vicium proprietatis in nostro ordine, precipimus omnibus et singulis nostri ordinis fratribus, cuiuscumque gradus, officii seu condicionis fuerint, in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis late sentencie, quam ferimus in hiis scriptis, quatenus quilibet eorum semel in anno de rebus, pannis, libris, elemosinis quomodolibet acceptis, eisdem ab ordine concessis et ad usum permissis, prout ex constitucionibus in capitulo de studentibus haberi potest, scrutinium seu inventarium bonorum predictorum seu rerum non fecerint et suo prelato non presentaverint, vel si prelati conventuum fuerint, senioribus patribus conventus in absencia provincialium exhibere debeant et teneantur annuatim per totum mensem novembris. Et si in hoc negligentes reperti fuerint, ultra dictam sentenciam excommunicacionis bona ipsorum ex nunc prout ex tunc infirmariis conventuum pro necessitatibus fratrum applicamus, mandantes prioribus conventuum et presidentibus nostri ordinis sub pena absolucionis suorum officiorum, quam contraveniendo ipso facto incurrant, ut circa infirmos adhibeant diligenciam, ut eisdem tam de medicis quam de medicinis ac refectionibus et servitoribus secundum facultatem domus provideatur.

Item. Optantes et summopere desiderantes profectum in plantulis ordinis tam in noviciis quam in professis iunioribus fratribus, qui secundum graciam dei ad honorem ordinis lapides vivi esse possunt, ordinamus et districtius, quo possumus, curam et diligenciam prelatorum et presidencium adhiberi volumus, ut instruantur primo in religione quoad ceremonias ordinis, ut cum professi fuerint in litteris et studiis tam grammaticalibus quam aliis scienciis instructorem habere digni reputentur. Fratres vero professi, qui previo discretorum consilio digni fuerint reputati, ad studia generalia sacre theologie pro studentibus mittantur secundum consuetudinem ordinis approbatam, eisque provideatur secundum consuetudinem suarum provinciarum, et admoneantur, ut religiose et fructuose tam in itinere quam in locis studiorum, ubi fuerint assignati

---

4) pena *om.* P. — 6) previo] primo P. — 13) acceptis] denarii *add.* P. — concessis et *om.* B. — 20) conventuum] ipsorum *add.* P. — 21) conventuum *om.* B. — 22) nostri ordinis *om.* B. — 24) ac *om.* P. — 25) provideatur] provideant B. — 27) iunioribus] iuvenibus P. — 29) et *om.* P. — curam — volumus *om.* P. — 32) digni] dignam P. — 33) previo] patrum P.

vivant, mandantes prioribus et presidentibus locorum studiorum, ut eos, qui pro rata suarum provinciarum fuerint assignati, caritative recipiant et pertractent, eosdem in eorum libertatibus et exempcionibus consuetis conservando.

Item. Desiderantes providere honestati incessus, status et habitus fratrum nostri ordinis intus et extra, statuimus, ut nullus frater incedat in habitu nimis pomposo vel indecenter in civitatibus sine cappis nigris et socio, cum comis et sine debita tonsura iuxta nostrarum seriem constitucionum, vel in diploidibus ad modum secularium seu in camisiis vel sotularibus alterius quam nigri coloris, prohibendo eosdem ferre arma invasiva intus vel extra monasteria vel in cellis retinere, necnon ut monasteria ordinum quorumcumque frequentare seu alias quascumque domos suspectas. Item ad taxillos seu chartas intus vel extra conventus ludere, nec extra monasteria cum secularibus pernoctare, sed nec infra septa monasteriorum ad dormiendum seculares vel religiosas personas dissolute vite introducere et retinere quovis modo sub pena gravioris culpe, quam contrafaciendo ipso facto declaramus incurrisse; mandantes prioribus tam provincialibus quam conventualibus, quod ad correctionem talium, si opus fuerit, libere possint invocare auxilium brachii secularis.

Item. Ne senectus et dignitas patrum ordinis veniat in contemptum, precipimus et mandamus sub pena privacionis omnium graciarum ordinis, quam contrafaciendo ipso facto incurrant, quatenus fratres iuniores debitam reverenciam exhibeant magistris et patribus senioribus nostri ordinis. Idem dicimus de sororibus nostri ordinis, que suis provincialibus obedire contempnunt; adiicientes, quod si que sorores rebelles suis provincialibus extiterint, neque aliquo modo ad obedienciam ordinis redire voluerint, prioribus provincialibus precipimus et mandamus, quatenus contra tales per censuras ordinis primo procedant cum rigore; quod si obedire noluerint, prioribus provincialibus committimus, ut meliori modo, quo poterunt, de remedio provideant opportuno; hortantes presidentes, ut circa monasteria sororum de singulari clausura provideant tam in portis quam in cratibus, ne per aperturam alicuius dissolucionis aut irreligiositatis viam secularibus et advenientibus personis aperiant; nolentes, aliquam egredi nec seculares mulieres, que non intendunt seculum relinquere et habitum religionis sumere, nullo modo inter eas permanere; precipientes priorissis et presidentibus monasteriorum sub pena absolu-

1) studiorum *om.* P. — 2) caritative — pertractent *om.* B. — 5) incessus — habitus] in incessu, statu, habitu P. — 7) indecenter] indecenti P. — 9) vel] seu *post* camisiis P. — 12) quascumque] quaslibet P. — 14) nec] neque *ante* extra P. — 22) iuniores] minores P. — 25) adiicientes *om.* B. — 30) hortantes] exhortando P. — 32) cratibus] cratis P. — aut] et P. — 33) viam *om.* P. — 34) seculum] secularem statum P. — 35) nullo] ullo quovis P.

cionis a suis officiis, quam contraveniendo incurrant ipso facto, sororibus vero [sub] privacione omnium graciarum ordinis ipso facto et veli, ut presentes ordinaciones observent cum effectu.

Iste sunt denunciaciones.

Inprimis denunciamus universis et singulis fratribus nostri ordinis sanctissimum dominum nostrum Paulum divina providencia papam II. ex sua mera liberalitate ob devocionem singularem, quam ostendit habere ad nostram sacram religionem verbo et opere, quod concessit per bullam omnibus porrigentibus manus adiutrices pro subvencione capituli generalis indulgenciam septem annorum et totidem quadragenarum et a primis vesperis festivitatis pentecostes usque ad secundas concessit de sua clemencia et misericordia omnibus porrigentibus manus adiutrices plenariam remissionem omnium peccatorum; opere vero singularem caritatem ostendit, reficiendo fratres singulos in presenti capitulo constitutos a prima die capituli usque ad finem eiusdem in omnibus necessariis et in omni habundancia. Et ideo sacer ordo noster obligatur gracias agere et pro felici statu sue sanctitatis continuas ad deum preces fundere.

Item. Denunciamus omnes gracias et litteras graciarum et exempcionum sub quacumque forma verborum nostri ordinis fratribus concessas, que sunt in preiudicium et impedimentum obediencie prelatorum et presidencium provinciarum et conventuum revocatas, cassatas et annullatas; nolentes, quod reverendissimus magister ordinis, qui pro tempore fuerit, huiusmodi gracias fratribus nostri ordinis amplius quovis modo concedere presumat; quod si contrarium factum fuerit, totum decernimus irritum et inane.

Item. Denunciamus omnibus et singulis fratribus nostri ordinis excommunicacionem fore latam a sede apostolica super omnes fratres, qui ante vigesimum quintum annum gradum sacerdocii susceperint, nec posse absolvi nisi a sede apostolica, quos eciam suspensos denunciamus a suis gradibus ipso facto; quare precipimus omnibus et singulis nostri ordinis presidentibus, ne aliquem fratrem in etate et sciencia minus aptum aliquo modo ad sacerdocium promovere presumant.

Item. Denunciamus omnes fratres questuarios et in terminis predicantes tam conventuum reformatorum quam non reformatorum subiectos esse in omni eventu prelatis, in quorum terminis pro tempore predicando et questuando discurrunt; concedentes eisdem licenciam et auctoritatem, ut si tales fratres in aliquibus excessibus reperti fuerint, eosdem puniant

---

1) sororibus] sorores P. — 6) divina providencia *om.* P. — 13) omnium *om.* P. — 19) concessas] concessarum B. — 21) annullatas] anihilatas P. — 23) amplius *om.* B. — 26) nostri ordinis *om.* B. — 35) in omni eventu *om.* P. — 36) discurrunt] decurrunt P. — concedentes] concedendo B.

et, si necesse fuerit, captivent et incarcerent iuxta excessus et delicta ipsorum.

Idem intelligimus de fratribus predicantibus in questibus terminorum conventuum sine licencia et assensu prelatorum, in quorum terminis reperti fuerint.

Item. Denunciamus omnes priores provinciales nostri ordinis extra suas provincias precedere debere priores conventuales in loco et in dicendo « fidelium ».

Item. Denunciamus omnes presidentes nostri ordinis, qui ter requisiti fuerint pro solucione contribucionum et non solverint, ipso facto fore suspensos a suis officiis, a qua absolvi non possint, nisi facta solucione vel cum provincialibus composuerint.

Item. Denunciamus magistrum Salvum Cassetam de Panormo (1), provincie Trinaclie, diffinitorem presentis capituli, institutum fore per sanctissimum dominum nostrum inquisitorem heretice pravitatis per totum regnum Sicilie ultra farum.

Item. Denunciamus fr. Antonium de Rupefideli et fr. Iohannem Michelis provincie Hispanie, quia per breve apostolicum promoti sunt ad gradus et non fecerunt cursus suos ordinarios, si bachalarii sunt pro non bachalariis, si magistri pro non magistris haberi debere.

Item. Denunciamus fr. Dominicum de Mantua conventus Bononiensis provincie s. Dominici translatum in fratrem nativum conventus Salamantini provincie Hispanie.

Item. Denunciamus fr. Andream Valentini, magistrum de Sicilia (!), provincie Trinaclie translatum esse ad conventum Anconitanum provincie s. Dominici et fr. Casparum de conventu Utinensi ad conventum Riminensem eiusdem provincie.

Item. Denunciamus fr. Thomam de Aquila conventus Aquilani provincie Regni ad conventum Perusinum provincie Romane, et fr. Angelum de Florencia de conventu Fesolano ad conventum Perusinum translatos fuisse et in eisdem conventibus tamquam filios originales esse.

Iste sunt commissiones.

Inprimis committimus reverendissimo magistro generali nostri ordinis pro tempore existenti, ne contra ordinaciones presentis capituli alicui fratri litteras graciarum audeat concedere nec cum aliquibus dispensare

1) necesse] opus P. — excessus] excessum B. — 3) idem — fuerint *om.* B. — 6) priores] reverendos patres B. — 13) magistrum] fratrem *add.* P. — Cassettam] Casseta B. — 15) nostrum] in *add.* P. — 16) farum] pharum P. — 17) item — originales esse *om.* B. — 33) reverendissimo *om.* P.

(1) De fr. Salvo Cassetta cf. supra pag. 301.

et presertim de promocionibus ad gradum seu formam magisterii; quod si contrarium factum fuerit, totum decernimus irritum et inane.

Item. Committimus reverendissimo magistro nostri ordinis, quod acceptare possit pro conventu ordinis locum s. Marie de Graciis in Mediolano.

Item. Committimus curam conventus Maioricarum in provincia Aragonie magistro Nicholao Merula (1) presentis capituli diffinitori, quem ibidem vicarium facimus usque ad capitulum generale.

Item. Committimus reverendis provincialibus nostri ordinis, ut possint acceptare loca pro ordine erigenda, oblata eisdem tam a principibus quam a communitatibus.

Item. Committimus disposicionem terminorum pro conventu Thabie provincie congregacionis Lombardie posito et locato infra terminos conventus Aniciensis provincie Provincie et terminos conventus Albingenensis reverendis patribus provinciali Lombardie et vicario congregacionis Lombardie cum assensu et voluntate prioris et patrum conventus Aniciensis, ut meliori modo, quo possunt, provideant eidem.

Item. Committimus reverendo patri provinciali provincie Regni, ut acceptet in hospicium ordinis locum Oleastri titulo et vocabulo s. Leonardi nuncupatam.

Item. Committimus fr. Iohanni Vendli provincie Aragonie auctoritatem, qua possit acceptare domum sancte trinitatis in regno Maioricarum ad peticionem illustrissimi regis Aragonie ad regularem observanciam, quem ibidem vicarium facimus cum plenaria potestate, dando sibi facultatem ad accipiendum duos vel tres fratres sibi placabiles et gratos.

Item. Committimus reverendo patri provinciali Hungarie, ut sorores nostri ordinis in insula leporum prope Budam existentes admoneat et requirat, ut, si dicte moniales et priorissa ibidem se obediencie ordinis subiicere voluerint graciisque et privilegiis apostolicis sibi concessis resignare, eisdem de fratribus necessariis provideat; quod si ordini obedire contempserint, ex tunc eidem concedimus liberam facultatem per presentes dictum monasterium et sorores ibidem commorantes a nostro ordine penitus rescindendi et absecandi (et) tamquam inobedientes et indignas filias religionis; ammonentes eas in domino Iesu Christo, cui sincerum debent exhibere famulatum, ut ad obedienciam quam ordini professe sunt, redire debeant et teneantur.

3) nostri *om.* B. — 6) item — generale *om.* P. — 7) Merula] Merollia P. — 12) item — capituli generalis *om.* B.

(1) De fr. Nicolao Merula cf. l. c.

Item. Committimus reformacionem conventuum Scocie fr. Andree de Oroden predicatori generali et magistro arcium ad instanciam serenissimi regis Scocie, non obstantibus graciis et litteris quibuscumque et sub quacumque forma verborum datis vel dandis.

Item. Committimus venerabili patri fratri Constancio de Fabriano (1) et priori s. Dominici de Ausculo et fr. Dyonisio de Cingulo, ut perquirant, si possunt reformare conventum Cammarinensem provincie s. Dominici; quod si nequiverint, restituatur dictus conventus obediencie provincialis s. Dominici.

Item. Committimus reverendo licenciato fr. Iohanni Excuria (2) nunc pro presenti vicario congregacionis Hollandie curam et administracionem prefate congregacionis Hollandie cum plena auctoritate consueta usque ad sequens capitulum nostrum generale.

Item. Reverendo patri provinciali Regni pro tempore existenti committimus curam conventus sancti spiritus de Neapoli extra muros constituti, in quo habeat providere de priore et fratribus opportune.

Item. Committimus curam loci de Palaciis (?) provincie Hispanie fr. Guterio de Walduerno (3) diffinitori presentis capituli generalis.

Iste sunt declaraciones.

Inprimis declaramus universos fratres beneficiatos nostri ordinis, qui bona et redditus suorum beneficiorum non ponunt ad usum fratrum et conventus utilitatem, non esse vocales in electionibus nec vocem habere debere in ordine nisi in sua accusacione, nec cellas in conventibus nostris; et similiter alios quoscumque fratres, qui sub novis licenciis et litteris prelatorum sunt in cappellis seu ecclesiis tamquam non beneficiati, sed ut simplices cappellani deputati, eosdem nolumus in conventibus cellas seu alia loca posse retinere, sub quacumque forma litterarum gracias habuerint, quas ex nunc prout ex tunc revocatas declaramus. Idem dicimus de fratribus existentibus in monasteriis sororum ordinis.

Item. Declaramus baccalarios pro forma et gradu magisterii promotos non debere gaudere privilegiis et graciis, quibus magistri theologie in nostro ordine consueverunt.

Item. Declaramus, lectores, qui non fecerunt sua principia vel ad minus per quadragesimam continue non predicaverunt in conventibus, in quibus est consuetudo, pro non lectoribus haberi debere; nolentes lectores

6) Ausculo] Espolo BP. — 22) conventus] ordinis P. — 26) nolumus] eciam B. — 27) loca] non B. — 28) idem — ordinis *om.* B. — 32) in nostro ordine] gaudere hinc P. — 34) continue *om.* P.

(1) De fr. Constantio de Fabriano cf. SSOP. I, 858.

(2) De fr. Ioanne Excuria cf. SSOP. I, 870, Hoogland *Conspectus Historicus et Statisticus Provinciae Germaniae inferioris Rotterdami* 1895, pag. 10 sqq.

(3) De fr. Guterio cf. supra pag. 301.

estivales, qui per capitulum provinciale non sunt promoti pro lectoribus, nominari nec ad consilium conventuum admitti debere, nisi actu fuerint priores, lectores atque regentes.

Item. Declaramus in provinciis Aragonie et Trinaclie graciis iubilariorum gaudere non debere, nisi eos qui per litteras reverendissimi magistri generalis ad gracias iubilariorum sunt habilitati.

Item. Declaramus fratres . . . . provincie Regni translatos esse a nativitate conventus Salernitani ad conventum Aquile, dempto reverendo magistro fr. Angelo de Nuceria, intelligendo, quod bona eis ab ordine ad usum concessa transferantur cum fratribus.

Item. Declaramus venerandum magistrum Iulianum Naldi (1) de Florencia absolutum ab officio procuracionis ordinis nostri et ab officio provincialatus Romane provincie.

Iste sunt acceptaciones.

Inprimis acceptamus locum Thabie pro conventu ordinis, cui instituimus priorem fr. Baptistam de Curredo.

Item. Ob devocionem illustrissimi principis Salernitani acceptamus pro conventu ordinis locum titulo s. Iohannis insignitum in castro s. Severini, cui instituimus in priorem fr. Iacobum de Marsico sub vita regulari.

Item. Acceptamus conventum novum in Gretz fundatum per gloriosissimum dominum imperatorem Romanorum et declaramus eundem ad provinciam Theutonie pertinere.

Item. Acceptamus in conventum nostri ordinis locum iuxta muros insignis oppidi Zwolensis, Traiectensis diocesis, erectum sub titulo sancti Thome de Aquino, cuius curam committimus vicario congregacionis Hollandie, ut eidem de priore provideat et fratribus opportunis.

Item. Acceptamus in conventum ordinis in dominio Novifundensis in Walcaria comitatus Zelandie, Traiectensis diocesis, cuius curam committimus vicario congregacionis Hollandie, ut eidem de priore et fratribus provideat opportunis.

Item. Acceptamus locum Serapi provincie s. Dominici.

Item. Acceptamus ad gracias ordinis reverendum patrem Eustachium abbatem Belensem.

Item. Acceptamus ad gracias ordinis reverendum patrem dominum Bertholdum [de] Oberch, episcopum Panadensem (2).

---

3) priores] et *add.* P. — 4) item — Hungarie *om.* B. — 8) Aquile] Anglie P.

---

(1) De fr. Iuliani Naldi cf. supra pag. 297.

(2) De fr. Bertoldo de Oberch cf. BO. III, 478.

Iste sunt approbaciones.

Inprimis approbamus lecturam sentenciarum et licenciaturam fratrum Iohannem Palbeles provincie Francie et Geraldi Rotundi provincie Tholosane.

Item. Approbamus vicariatum et vicarium congregacionis reformatorum conventuum provincie Theutonie, cum graciis, privilegiis et litteris in favorem vite regularis eisdem a magistro generali concessis, volentes, quod reverendus provincialis eiusdem provincie habeat facultatem confirmandi auctoritate reverendissimi magistri vicarium iuxta ordinaciones eiusdem congregacionis postulandum.

Item. Approbamus translacionem factam de fr. Bartholomeo de la Rapide, bachalario, de conventu Balagari ad conventum Valencie, et de fr. Antonio Castelli presentato a conventu sancti Mathei ad conventum Giennensem, quos ibidem filios nativos approbamus.

Item. Approbamus translacionem fr. Laurencii de Faudo provincie Hungarie de conventu Segedinensi ad conventum Quinque ecclesiarum eiusdem provincie factam per quondam reverendum patrem provincialem Petrum eiusdem provincie.

Item. Magisterium et lecturam magistri fr. Petri Salamanda provincie Aragonie.

Item. Approbamus cursum et lecturam fr. Adulterii Delcon factam pro gradu et forma magisterii in studio Salamantino, concedentes eidem licenciam in aliqua universitate sibi grata acceptare insignia magistralia.

Item. Approbamus et confirmamus ordinaciones et facta per provinciam Theutonie et Bohemie in conventibus reformatis per vicarium eorumdem fr. Innocencium de Vienna (1).

Item. Approbamus reformacionem conventuum tam fratrum quam sororum in oppido Brunensi provincie Bohemie, committentes eosdem conventus vicario conventuum reformatorum provincie Theutonie, nolentes, quod provincialis Bohemie se de eis intromittere . . . . sibi secundum registrum provincie eiusdem debitis.

Item. Approbamus translacionem fr. Arnoldi Leid de provincia sancti Dominici ad provinciam Saxonie, quem conventui Ziricsensi eiusdem provincie pro fratre nativo incorporamus.

Item. Approbamus reformacionem conventus Weisburgensis provincie Theutonie et conventus Maguntini eiusdem provincie.

---

14) Giennensem] Scianne P. — Segedinensi] Secitze P. — 17) quondam] quemdam P.

---

(1) De fr. Innocentio cf. I. ASCHBACH *Geschichte der Wiener Universität* I, 239.

Item. Approbamus clausuram monasteriorum reformatarum et reformandarum in provincia Theutonie iuxta consuetudinem provincie eiusdem hactenus observatam. Volentes, quod monasteria eadem reformata et reformanda clausuram eciam aspectus cum effectu teneant iuxta ordinaciones magistri fratris Raimundi (1) dudum desuper factas auctoritate Bonifacii pape (2).

Item. Approbamus (ad) iubilariatum fratrum Alfonsi Legionensis, Iohannis de sancto Iuliano, quos provincialis Hispanie . . . . set iubilarios, fr. Francisci.

Item. Approbamus ordinacionem factam in capitulis generalibus Parisiensi scilicet et Bononiensi de sociis provinciarum, qui veniunt ad capitulum generale in anno provincialium, cuius tenor talis est: Si priorem provincialem aliquo modo impediri contigerit, quod non possit ire ad capitulum generale in anno provincialium, socius a diffinitoribus capituli provincialis sibi datus admittatur ad omnia tractanda et diffinienda, ac si provincialis presens cum prioribus provincialibus, sicut admittitur socius diffinitoris capituli generalis in absencia diffinitoris capituli generalis.

Item. Approbamus applicacionem factam conventuum peregrinancium provincie Grecie, omnium scilicet conventuum non applicatorum provinciis Polonie et Hungarie.

Iste sunt assignaciones.

Primo conventui Aquensi damus in regentem pro primo anno magistrum Gacianum Ovardi; pro secundo magistrum Iohannem de Rupe (3); pro tercio magistrum Guillelmum Quessi. Ad legendum sentencias pro primo anno fr. Antonium Salvaga; pro secundo fr. Elzearium Legerii; pro tercio anno fr. Iohannem Bullodii. In magistrum studencium pro primo anno fr. Elzearium Legerii; pro secundo fr. Iohannem Bullodii; pro tercio anno committimus magistro Andree Dauflori (4), diffinitori presentis capituli. Ad legendum bibliam pro primo anno fr. Iohannem Bullodii; pro secundo fr. Iacobum de Bauliolis; pro tercio fr. Stephanum Drome, quem assignavit predictus magister Andreas ex commissione sibi data in capitulo generali.

In conventu Avenionensi committimus reverendissimo magistro ordinis, quatenus provideat de cunctis.

---

23) primo — cunctis *om.* P.

---

(1) Raymundi scilicet Capuani, de quo supra pag. 23, 34, 108.
(2) Cf. BO. II, 373, 376.
(3) De fr. Ioanne de Rupe cf. supra pag. 269.
(4) De fr. Andrea Dauflori cf. l. c. pag. 301.

Conventui Parisiensi provincie Francie assignamus pro primo anno inchoante in festo beate Euphemie extraneis debito ad legendum sentencias pro gradu magisterii in magnis scholis fr. Faustinum provincie Lombardie, cui substituimus fr. Thomam Heron conventus Constanciensis provincie Francie.

Item. Conventui Coloniensi provincie Theutonie damus in regentem usque ad sequens capitulum generale reverendum fr. Geraldum de Elten (1), magistrum; in magistrum studencium pro primo anno fr. Simonem Travers (2); ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii fr. Iacobum Sprenger (3); ad legendam bibliam fr. Adrianum de Haga comitis.

Pro anno secundo in magistrum studencium fr. Iacobum predictum; ad legendum sentencias fr. Adrianum predictum; ad legendam bibliam fr. Iohannem Welsbach, cui substituimus fr. Michelem de Insulis.

Pro tercio anno in magistrum studencium fr. Adrianum de Haga comitis; ad legendum sentencias fr. Iohannem Welsbach, cui substituimus fr. Michelem de Insulis; ad legendum bibliam fr. Iohannem Schiltel.

In studentem honoris pro secundo anno fr. Iohannem de Deca et fr. Sciltel, in studentem generalem pro rata provincie Polonie fr. Vincencium de conventu Cracoviensi.

Item. Conventui Mediolanensi provincie Lombardie damus in regentem pro primo anno fr. Bernardum Catanensem, magistrum; pro secundo anno fr. Franciscum de Ripa, magistrum; pro tercio prior provincialis provincie providebit.

Pro primo et secundo anno damus in cursorem fr. Augustinum de Crema; pro tercio prior provincialis providebit.

Item. Conventui Papiensi pro primo anno damus in regentem fr. Benedictum de Bugella (4), magistrum, pro secundo fr. Isnardum de Cincio, cui damus licenciam, ut magistrari possit.

Iste sunt absoluciones.

Inprimis absolvimus hos priores conventuales provincie Romane: Calliensem, in quo propter carenciam vocalium instituimus in priorem fr. Nicolaum Malatesta civitatis Castelli.

Item. Priorem Pratensem, cuius curam committimus magistro Amadeo de Pisis.

1) conventui — magistrari possit *om.* B. — 30) iste — Hispanie *ante* iste *om.* P.

(1) De fr. Geraldo Elten cf. SSOP. I, 858.
(2) De fr. Simone cf. supra pag. 283.
(3) De fr. Iacobo Sprenger cf. SSOP. I, 170; MOPH. VII, indicem.
(4) De fr. Benedicto de Bugella cf. supra pag. 285.

Item. Priorem Terracinensem, cuius conventus curam committimus fr. Iussio de Raceno.

Item. Priorem Maioricarum provincie Aragonie, cuius conventus curam committimus fr. Christophoro Vigeti.

Item. Priorem Aquensem provincie Provincie, cuius conventus curram committimus suppriori dicti conventus.

Item. Priorem Rupisfidelis provincie Hispanie.

Item. Priorem de sancto Babylo provincie Hispanie.

Iste sunt concessiones.

Inprimis concedimus reverendo vicario presentis generalis capituli et omnibus reverendis provincialibus et ceteris diffinitoribus capituli generalis, ut quilibet possit unum fratrem ad gracias iubilariorum sue provincie promovere. Quos promotos volumus iubilariorum graciis et exempcionibus gaudere; et tres apostatas sue provincie ad ordinem et gracias ordinis, quibus privati fuerant, restituere.

Item. Concedimus magistro Philiberto Vulliodi (1), diffinitori presentis capituli, ut possit dare duobus conversis habitum album.

Iste sunt penitencie.

In primis quia fratres Rodrigus, Caspar Corbonensis, Bartholomeus Pij, Franciscus Martini, Usianus Martini et Iohannes Molgo omnes provincie Aragonie contra provincialem suum et aliquos magistros apud seculares de falsis criminibus infamarunt ad magnum vituperium ordinis, ipsos penitenciandos dimittimus provinciali provincie Aragonie et diffinitoribus futuri capituli provincialis eiusdem provincie.

Item. Quia nonnulle querimonie graves venerunt ad aures diffinitorii presentis capituli super conversacione fr. Antonii Bremundi in conventu Aquensi, super quibus monitus non obedivit, eidem sub pena carceris precipimus, ut a noticia presencium post triduum omni excusacione postposita recedat de eodem conventu nec redeat sine licencia reverendissimi magistri ordinis aut capituli generalis.

Item. Qui fr. Petrus de Parusco et fr. Petrus de Nigro ponte contra provincialem Grecie maliciose et inique conspiraverunt cum magno scandalo ordinis, presumpseruntque in eum manus violentas imponere, sicut ex processibus et testibus et litteris iudicum et propriis scriptis eorum clare omnibus innotuit, eosdem carceribus et pene gravioris culpe adiudicamus, quousque provinciali predicto satisfecerint. Mandantes prioribus

---

10) presentis *om.* B. — et — provincialibus *om.* P. — 11) diffinitoribus] presentis *add.* P. — 15) ordinis *om.* B. — 16) item — album *om.* P. — 18) iste — generalis *ante* ista *om.* B.

---

(1) De fr. Philiberto Vulliodi cf. supra pag. 301.

provincialibus et singulis nostri ordinis presidentibus sub eadem pena, quatenus, ubicumque reperti fuerint, carceribus mancipentur; precipientes omnibus et singulis fratribus sub eadem pena, ne amplius prefato provinciali Grecie de predictis aliquo modo seu quocumque quesito colore audeant detrahere.

Item. Quia frater Guillelmus Prarati conventus Poliniaci triginta annis per diversas regiones et provincias in confusionem tocius ordinis furta, sacrilegia commisit, fueritque carthusiensis decem et octo vicibus et tandem post alia predicta sub dolo accedens ad curiam insignia magisterii suscepit sine licencia nostri ordinis, eundem magisterio et bireto privamus per presentes; mandantes omnibus nostri ordinis presidentibus, ubicumque repertus fuerit, quatenus ipsum carceri mancipent nec emittant sine licencia reverendissimi magistri vel capituli generalis.

Ista sunt suffragia vivorum.

In primis pro sanctissimo domino nostro papa, qui totum capitulum recepit tam solemniter et abunde, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro omnibus aliis, qui bona fecerunt, et omnibus fratribus quilibet sacerdos decem missas.

Item. Pro felici statu sacrosancte universalis ecclesie et statu collegii reverendissimorum dominorum cardinalium, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu gloriosissimi imperatoris Romanorum quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo domino rege Hungarie, indefesso pugile christiane fidei, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu reverendissimi domini domini sancti Sixti, qui bonam eleemosinam fecit capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu reverendissimi domini domini Vincencii, qui singulari affectione afficitur ad ordinem, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu reverendissimi protectoris ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu reverendissimi domini cardinalis Reatini, qui bonam eleemosimam dedit capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu reverendissimorum patrum episcoporum Florencie, Turonensis, Sibinicensis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu reverendissimi magistri quilibet sacerdos unam mis.

Item. Pro statu magnifici domini Petri de Medicis de Florencia, qui bonam elemosinam dedit, quilibet sacerdos unam missam.

---

15) papa *om.* P. — 17) item — missas *om.* P. — 19) item — missam *ante* ista *om.* B. — 35) Sibinicensis] Sibimarensis P.

Item. Pro bono statu civitatis Romane et salubri statu civium, qui fecerunt bona capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendo vicario presentis capituli et prioribus provincialibus et diffinitoribus et statu ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro mortuis.

In primis pro animabus fratrum et sororum et eorum, qui admissi sunt ad beneficia ordinis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum, qui in presenti capitulo discesserunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro omnibus aliis generaliter quilibet sacerdos quatuor missas.

Item. Pro anima regine illustrissime Aragonie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima reverendissimi in Christo patris domini domini cardinalis Mathei de Ursinis (1), qui perpetuam elemosinam dimisit capitulis generalibus, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima serenissimi imperatoris quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima illustrissimi principis Burgundie quilibet sacerdos unam missam.

Sentencias iudicum approbamus, et volumus et mandamus suum sortiri effectum.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, ad tres annos immediate sequentes in festo pentecostes committimus reverendissimo magistro ordinis, qui pro tempore extiterit.

Expliciunt acta capituli generalis apud Romam celebrati anno domini die, mense quibus supra.

---

10) item — missas *om.* P. — 11) item — missam *ante* sentencias *om.* B. — 20) et] item *ante* volumus; mandamus] ordinamus P. — 25) apud — supra *om.* B.

---

(1) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. supra pag. 241.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS AVINIONE PROVINCIE PROVINCIE CELEBRATI IN FESTO PENTECOSTES DIE ·X· MENSIS IUNII ANNO DOMINI · M°· CCCC°· LXX°·

Sub reverendissimo patre et eximio s. theol. professore fr. Marciali Auribelli (1) tocius ordinis predicatorum generali magistro, diffinientibus ex dispensacione sanctissimi domini nostri Pauli pape secundi reverendis prioribus provincialibus una cum diffinitoribus provinciarum :

Fr. Iohanne Vassoris (2) s. theol. professore provinciali prov. Tholosane,
Fr. Iohanne de Curte s. theol. magistro procuratore ordinis et diffinitore,
Fr. Claudio Burnonis s. theol. professore provinciali provincie Francie,
Fr. Thoma de Ferraria (3) s. theol. profess. provinciali prov. s. Dominici,
Fr. Christophoro de Viterbio s. theol. professore provinciali prov. Romane,
Fr. Angelo de Nuceria (4) s. theol. profess. provinciali prov. regni Sicilie,
Fr. Petro Parentis s. theologie professore provinciali provincie Aragonie,
Fr. Mathurino Espiardi (5) sacre theologie professore provinciali provincie Terre sancte ac socio reverendissimi magistri ordinis,
Fr. Bertrando Grimaudi s. theol. professore provinciali provincie Provincie,
Fr. Donato de Ragusio s. theol. professore provinciali provincie Dalmacie,
Fr. Reginaldo de Bevascui s. theol. professore provinciali prov. Trinaclie,
Fr. Petro de Thauro in s. theol. presentato diffinitore provincie Hispanie,
Fr. Iohanne Coste s. theol. magistro provinciali diffinitore prov. Tholozane,
Fr. Iuliano Clerici s. theol. magistro provinciali diffinitore prov. Francie,
Fr. Dominico de Padua s. theol. mag. provinciali diff. prov. s. Dominici,
Fr. Gabriele de Florencia s. theol. magistro provinciali diff. prov. Romane,
Fr. Bernardo de Calaminido in sacra theologia bachalario provinciali diffinitore provincie regni Sicilie,
Fr. Iohanne Milvi s. theol. magistro provinciali diffinitore prov. Theutonie,
Fr. Alberto de Polonia s. theol. bachalario provinciali diff. prov. Polonie,

---

1) in — amen *om.* B. — 3) provincie Provincie *om.* P. — 8) sanctissimi *om.* B. — nosstri Pauli *om.* B. — secundi *om.* B. — 9) una — provinciarum] videlicet P. — 10) fratre — Portugalie *om.* B.

---

(1) De fr. Martiali Auribelli cf. supra pag. 295.
(2) De fr. Ioanne Vassoris cf. l. c. pag. 268.
(3) De fr. Thoma de Ferraria cf. l. c. pag. 300.
(4) De fr. Angelo de Nuceria cf. l. c. pag. 313.
(5) De fr. Mathurino Espiardi cf. SSOP. I, 831, 895.

Fr. Laurencio Nicolai (1) lectore provinciali diffinitore provincie Dacie,
Fr. Antonio Calberto s. theol. magistro provinciali diff. provincie Aragonie,
Fr. Bartholomeo de Rigetis s. theo. mag. provinciali diff. prov. Provincie,
Fr. Augustino Farrer lectore provinciali diffinitore provincie Boemie,
Fr. Andrea s. theologie magistro provinciali diffinitore provincie Saxonie,
Fr. Brandino de Faudo diffinitore provincie Trinaclie,
Fr. Alfonso Garsie s. theol. bachalario diffinitore provincie Portugalie.

Iste sunt inchoaciones.

In primis quia tante sunt sanctitates et devociones sanctorum nostri ordinis, quod merito eorum continua invocacione auxilium divinum sperare possimus, statuimus, quod de b. Dominico, Petro martyre, Thoma ac Vincencio Ferrerio fiant memorie singulares, sicut hactenus per priscos patres nostros devotos in vesperis et mattutinis actum est. De b. vero Catharina Senensi fiat tantum memoria per octavas suas.

Iste sunt ordinaciones.

In primis a divinis laudibus exordium sumentes volumus et ordinamus, quod divinum officium diurnum pariter et nocturnum in conventibus, in quibus sunt duodecim fratres clerici, cantetur cum nota ordinis breviter et succincte secundum formam nostrarum constitucionum cum pausa in medio versus; et mattutine beatissime virginis devote dicantur. Qui vero ab eis defuerit, pro penitencia prima vice abstineat a vino, pro secunda sedeat in terra, pro tercia vice in eadem septimana sedeat in terra in pane et aqua indispensabiliter. In cuius execucione caveant priores, ne sint negligentes.

Item. Honestati religionis magnopere curantes providere volumus et secundum formam nostrarum constitucionum ordinamus, quod nullus frater, cuiuscumque gradus et condicionis existat, presumat aliquam mulierem ad communia servicia et particularia fratrum infra septa conventuum inducere vel retinere, si prior sub pena absolucionis, si magister vel simplex frater sub pena privacionis panis et vini; prohibentes, ne aliquis de cetero aliquem vel aliquos seculares retineat in conventibus in gravamen et scandalum conventuum; volumusque, quod ab hora prandii usque post nonam nullus frater egrediatur a conventu sine magna necessitate et tali tempore stent conventus clausi, ita quod non pateat aditus extraneis tali hora ad ipsos conventus, et stet unus custos tali tempore maxime ad porte custodiam, sitque tempus istud a festo pasche usque

9) in primis *om.* P. — sanctorum] sancti P. — 11) martyre] ac *add.* P. — 12) ac] sanctoque P. — Ferrerio *om.* P. — 17) ordinamus] mandamus P. — 20) beatissime] beate P. — 21) penitencia *om.* P. — 22) pro *om.* P. — secunda] vice *add.* P. — 23) in *ante* cuius — negligentes *om.* B. — 26) formam] seriem P. — 27) et] aut P. — 28) et] vel P. — 35) tali hora *om.* B.

(1) De fr. Laurentio Nicolai cf. Wedel-Iarlsberg l. c. pag. 162 sq.

ad festum s. crucis de septembri; alio vero tempore semper porta conventus custodiatur.

Item. Quia religionis firmitas maxime ex obediencia consurgit, animi unitate proficit, castitate perficitur, volumus et ordinamus, quod secundum tenorem nostrarum constitucionum omnia bona, que sunt ad usum singulis fratribus concessa, presententur ad pedes priorum sub inventario singulis annis circa festum omnium sanctorum, taliaque inventaria serventur in loco depositi sub pena privacionis omnium suffragiorum ordinis in vita et in morte; si qua autem non integra omnia posuerit, tamquam proprietarius ecclesiastica careat sepultura; aperientes autem talia inventaria ipso facto suis officiis sint privati; districtius mandantes prioribus provincialibus et conventualibus, quatenus omni cura studeant in suis conventibus communitatem reformare et iuxta antiquum morem nostrarum constitucionum, sicut eciam ex officio tenentur.

Item. Quia facilitas promocionum profectum impedit studiorum, que res plurimum ignominie religioni nostre infert, volumus huic rei magnopere providere, statuimus et ordinamus, quod nulla deinceps extraordinaria promocio fiat pro gradu et forma magisterii, sed assignaciones fiant per capitulum generale in locis et universitatibus alias consuetis; nec tales promoti gradum magisterii presumant assumere, nisi prius sue lecture per capitulum generale fuerint approbate, licenciamque tribuant magistrandi; promoti vero deinceps aliis viis pro non promotis habeantur; si quis autem contrarium attemptaverit, ipso facto sit gradu privatus.

Item. Reverendissimo magistro ordinis ac reverendis provincialibus magna irreverencia hactenus est exhibita contempnendo eorum litteras tam patentes quam clausas, illas occultando ac eas a suis effectibus impediendo; volentes tanto excessui de oportuno remedio providere, statuimus, quod ubicumque frater aliquis, cuiuscumque status et condicionis existat, ausus erit litteras reverendissimi magistri ordinis, reverendorum provincialium ac reverendi procuratoris ordinis patentes (litteras) de suis effectibus impedire vel eorum litteras privatas occupare, sentenciam excommunicacionis, quam ferimus in hiis scriptis, una pro trina canonica monicione premissa, ipso facto incurrat peneque gravioris culpe subiaceat, quousque tanto excessui dignas penas dederit.

Item. Quia uniformitas morum et habitus nobis primo nostrarum constitucionum fronte mandatur, adversus quam multifarie per multos irreligiose contravenitur, volentes omni voto nostras assequi constitucio-

4 animi unitate] communitate P. — 8 omnium *om.* P. — 13) suis] singulis P. — 14 tenentur] facere *add.* P. — 27 clausas] secretas P. — 29 ubicumque] quicunque P. — aliquis *om.* P. — 32) impedire] prepedire P. — eorum] eorumdem P. — 37) multifarie] multifariam P.

nes, mandamus in virtute sancte obediencie reverendis provincialibus, prioribus conventualibus sub pena privacionis a suis prioratibus, quatenus circa vestes, zonas, calciamenta, comas omnis fiat reformacio secundum nostras constituciones, ita quod argentum in zonis, puncti in sotularibus, in diploide nulla difformitas inveniatur; rasura eciam fiat sine comis, prout in capitulo de rasura habetur, quod volumus firmiter observari.

Item. Quia multorum fratrum impaciencia non potest ferre iugum obediencie, sed eos ad propria vota assequenda peregrina principum ac prelatorum suffragia cum magno ordinis scandalo mendicare compellit, tante novitati opportune volentes obviare, presenti statuto decernimus omnes et singulos fratres, cuiuscumque ordinis, gradus ac condicionis existant, qui litteras principum aut prelatorum et comitum seu officialium cuiuscumque instinctu quomodolibet in scandalum prelatorum ordinis ac conventuum privatorumque fratrum infamiam procurare presumpserint, in sentenciam excommunicacionis incidere, quam ferimus in hiis scriptis, una pro trina canonica monicione premissa, talesque tamquam destructores ordinis nostri omnibus graciis ac suffragiis ordinis tam in vita quam in morte secundum nostrarum seriem constitucionum volumus esse privatos.

Item. Quia fratres multiplices sibi causas vagandi inveniunt, quibus ordo multipliciter deformatur, volumus, quod secundum nostras constituciones nullus vadat de conventu ad conventum sine littera sui prioris testimoniali, neque de provincia ad provinciam sine littera testimoniali sui provincialis; prohibentes, quod nullus prior conventualis in suo conventu et provincialis in sua provincia aliquem talem recipiant ultra tres dies sub pena prioribus suspensionis, provincialibus precepti debita. Nullus sub pena carceris, quam dabit procurator ordinis omnibus transgressoribus, audeat curiam Romanam petere, non habita licencia a priore suo provinciali vel vicarii reverendissimi magistri ordinis, qui eis subsunt, et se representent procuratori ordinis secundum nostras constituciones expositurí causas, quas habent in curia, nec incedant sine cappa vel mantello honesto, et in hiis erit reverendus procurator bene cautus.

Item. Quia ex frequentibus reprehensionibus pravi mores corriguntur, secundum nostras constituciones volumus, quod saltim de quindena in quindenam fiant capitula conventualia de culpis; et si aliqui presidentes inventi fuerint negligentes huiusmodi capitula facere, priores provinciales eos volumus, ut absolvant.

---

12) ac] aut P. — 13) et comitum] vel communitatum P. — 16) in *ante* sentenciam *om.* P. — 21) inveniunt] perquirunt P. — 23) littera] licencia P. — 24) sine — provincialis *om.* B. — 33) hiis] aliis P. — 37) negligentes] negligere P. — facere *om.* P.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus omnibus fratribus nostri ordinis, quod sanctissimus dominus noster ob singularem benevolenciam, qua in ordinem nostrum ducitur, ordinem nostrum omni libertate donavit tam in ordinandis et agendis quam in constituendis et stabiliendis nostris constitucionibus.

Item. Denunciamus omnibus fratribus predicatoribus et confessariis, quod faciant in suis predicacionibus et confessionibus populis et personis diversarum nacionum conscienciam de libertate ecclesiastica secundum tenorem bulle, que per sanctissimum dominum nostrum publicetur in die Iovis sancta. Cuius copiam reverendissimus magister ordinis de mandato predicti sanctissimi domini nostri dedit provincialibus (1).

Item. Denunciamus, quod dominus noster nostris laboribus compaciens de sibi innata clemencia omnibus capitulo intervenientibus omnium peccatorum suorum plenariam remissionem est elargitus in forma ecclesie consueta semel tantum valituram.

Iste sunt declaraciones.

In primis quia constituciones nostre volunt, quod absente vel impedito magistro ordinis, diffinitores unum de suo numerum eligant in vicarium, qui vices reverendissimi magistri ordinis gerat sitque capituli vicarius; cum igitur sanctitas domini nostri semper nos voluerit liberos esse secundum nostras constituciones, quas longa consuetudo firmavit, declaramus capitulum Romanum, in quo magister fr. Leonardus de Perusio (2) non potuit preesse, cum non esset de corpore capituli, fuisse et esse nullum ac acephalum ac omnia in illo ordinata nulla esse, quorum tamen aliqua in hoc capitulo mature reformata statuimus observari, que de mente sanctissimi domini nostri videntur emanasse.

Item. Declaramus conventus reformatos teneri ad solucionem integram antiquarum contribucionum ordinis, reverendosque provinciales posse per censuras ecclesiasticas tamquam ordinarios prelatos eos ad solvendum compellere, nec eis possint suffragari alique composiciones, que non possunt in preiudicium provincie fieri minusque observari.

Item. Declaramus, quod bona fratrum, quos patres de observancia a se abiiciunt vel licenciant nudos vel cum aliquibus bonis ad usum con-

---

2) omnibus] patribus et *add.* P. — 3) sanctissimus dominus noster] sanctitas domini nostri P. — 4) nostrum *om.* P. — 5) et agendis *om.* P. — 10) sanctissimum dominum nostrum] sanctitatem domini nostri P. — 12) predicti *om.* P. — 13) dominus noster] sanctitas sua P. — 15) elargitus] largitus P. — 18) in primis *om.* P. — 20) ordinis *om.* P. — 23) declaramus] denunciamus P. — 28) item *om.* P. — 32) provincie *om.* P.

---

(1) Cf. BO. III, 465 n. 35.

(2) De fr. Leonardo de Perusio cf. supra pag. 300.

cessis, cum in aliis conventibus sunt conventuales assignati, ad illos conventus spectant, qui eos recipiunt ac nutriunt.

Item. Declaramus, quod provinciale capitulum celebratum in provincia Lombardie non fuit capitulum, quia auctoritas provincialis per litteras reverendissimi magistri firmatas litteris reverendissimi domini viceprotectoris fuerat suspensa a tali celebracione capituli in tali tempore et nacione propter querelas dicte provincie super regimen habitas, propter quas vere intelligendas volebat reverendissimus magister ordinis interesse nec potuit preventus per contemptum ac propter alias raciones, quas silencio continemus.

Item. Declaramus, quod appellaciones que fiunt in ordine secundum nostras constituciones sint ipso facto nulle, irrite et inanes maxime a sentenciis sive penitenciis datis per reverendissimum magistrum ac reverendos provinciales.

Quia capitulum Romanum fuit accephalum, in quo tamen iustissime frater Iulianus Naldi (1) fuit iudicatus, sentenciam contra eum latam per priores provinciales et diffinitores dicti capituli Romani, eandem ferimus, pronunciamus de verbo ad verbum ac firmamus, cuius tenor sequitur et est talis:

Nos priores provinciales ac socii provinciarum diffinitores infrascripti presentis capituli generalis Romani ordinis predicatorum, auditis querelis adversus magistrum fr. Iulianum Naldi de Florencia, provincialem Romanum et procuratorem ordinis, coram nobis et diffinitorio propositis et per magistros et patres sue provincie Romane repetitis vicibus allegatis, qui dictum magistrum fr. Iulianum Naldi non idoneum ad capitulum provinciale dicte provincie celebrandum hic cum generali capitulum assignatum representabant, quin imo penas constitucionis incurrisse multipliciter asserebant, pro eo quod contra suum in ordine superiorem prelatum conspirasset, practicasset et laborasset, taliaque fecisset, quod merito deberet ab omni officio removeri. Super quibus petebant instancius et instantissime sibi de alio pastore provideri. Considerantibus nobis itaque liberalitatem et benignitatem sanctissimi domini nostri pape, qui nos ad constituciones nostras in omnibus agendis et iudicandis libere processuros remisit, et attenta gravitate querele, que in nostris constitucionibus non minime computatur causam hanc diebus quam pluribus mature ac diligenter examinavimus et discutere ac deliberare voluimus, ob-

---

1) illos] dictos P. — 3) item *om.* P. — 5) domini *om.* P. — 7) dicte provincie *om.* P. — regimen] provincie *add.* P. — 11) item *om.* P. — 12) secundum nostras constituciones *om.* B. — 15) quia — robore perseveret *om.* B.

---

(1) De fr. Iuliano Naldi cf. l. c. pag. 313.

servatis, que apud nos solita sunt in talibus observari et comperto, ostenso ac probato contra eum tam litteris sua propria manu scriptis ac suorum complicum, quam aliis testibus fide dignis secundum formam iuris, prout nobis constitucio mandat, quod ipse per conspiracionem et maliciosam concordiam contra reverendissimum patrem magistrum fr. Marcialem Auribelli de Avinione (1) s. theologie clarissimum professorem, ordinis nostri generalem meritissimum se erexit scribendo, practicando et ad ipsius deposicionem ab officio generalatus machinando et ordine caritatis pretermisso, que sua sunt querendo, necnon ad turbacionem, infamiam et nostri ordinis divisionem laborando, qui eciam coram nobis in iudicio mentitus est atque officio procuracionis ordinis post prohibicionem prefati patris et magistri generalis nostri uti et ipsum exercere presumpsit. Certis eciam racionabilibus causis bonis iustisque respectibus animos nostros moventibus dicto magistro fr. Iuliano Naldi coram sedentibus pro tribunali vocato et audito, nec se sufficienter excusante seu purgante per hanc nostram diffinitivam sentenciam vigore nostrarum constitucionum prefatum magistrum fr. Iulianum Naldi ab officio provincialatus provincie Romane et procuracionis generalis ordinis absolvimus, privamus et ammovemus, et ad penam gravioris culpe sustinendam, prout in nostris constitucionibus continetur, simpliciter contempnamus eundem, necnon ad quodcumque officium in ordine habendum, suscipiendum seu exercendum ipsum inhabilem et inidoneum reddimus, usque ad sequens et immediatum capitulum generale; absolutum, privatum, ammotum, condempnatum et inhabilitatum esse denunciamus, decernimus et declaramus presencium per tenorem. Data lecta et acta fuit hec sentencia in diffinitorio huius capituli Romani nona mensis iunii anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.

Ratificacio predicte sentencie per ipsum delatum:

Ego magister fr. Iulianus Naldi de Florencia ordinis predicatorum saluti ac paci tocius ordinis nostri attendens, sentenciam diffinitivam per diffinitores huius capituli generalis Romani contra me iuridice latam tam super absolucione officiorum provincialatus provincie Romane quam procuracionis generalis ordinis, necnon super inflictione pene gravioris culpe et inhabilitacione ad quodcumque officium ordinis suscipiendum, habendum vel exercendum in ordine usque ad capitulum generale immediate futurum contra me certis et bonis respectibus datam, accepto et huic sentencie adhereo, illam approbo, misericordiam ordinis implorando.

In cuius rei testimonium hanc cedulam mee confessionis et approbacionis sentencie ac adhesionis eidem manu mea propria signavi et signeto

(1) De fr. Martiali Auribelli cf. l. c. pag. 320.

meo, quo utor, munivi die ·xii· mensis iunii a. dom. ·m°·cccc°·lxviii°·, et insuper appellacioni per me interiecte ad sanctissimum dominum nostrum papam supra predictis tamquam frivole, eciamsi aliquod ius haberem, renuncio et eam nullius esse roboris vel momenti volo, atque correctioni et emendacioni ordinis me submitto.

Subscripcio dicti magistri fr. Iuliani supradicti delati.

Ego magister fr. Iulianus Naldi suprascriptis assensum prebui et propria manu subscripsi anno et die ut supra, et signetum parvum, quo utor, apposui.

Hanc igitur sentenciam innovamus volumusque, quia nullam execucionem [habuit], quod in suo robore perseveret.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus magisteria infrascripta: magistri Bernardi de Mediolano, mag. Bartholomei Viglieveno et mag. Eduardi de Saviliano provincie Lombardie cum suis lecturis.

Item. Approbamus lecturas infrascriptorum fratrum baccalariorum videlicet: fr. Cherubini de Fabriano (1) provincie s. Dominici, fr. Iordanis et fr. Thome de Bergamo (2), fr. Simonis de Papia, omnes provincie Lombardie, fr. Mariani (3) de Roma provincie Romane, que omnes sunt pro forma et gradu magisterii.

Sentencias iudicum ac penas cum remissionibus in [eis] contentas approbamus et volumus suum sortiri effectum.

Iste sunt absoluciones.

In primis absolvimus reverendum magistrum Hieronymum Vicecomitem (4) ab officio provincialatus provincie Lombardie et damus in vicarium magistrum Ugonem de Albinis, usquequo provincialis sit electus et confirmatus et presens in provincia.

Item. Fr. Thomam de Leuco vicarium congregacionis utriusque Lombardie absolvimus ab officio vicariatus propter racionabiles causas nos moventes, et nolumus, quod aliquo officio utatur usque ad sequens capitulum generale; et ne illa sua societas sit acephala, damus eidem congregacioni vicarium venerabilem patrem fr. Franciscum de Mediolano usque ad futuram communem congregacionem, in qua hortamur omnes illos congregacionis patres, ut talem sibi nominent in vicarium, qui eos

---

13) iste sunt *om.* P. — 14) in — magisterii *om.* P. — 21) sentencias — effectum *om.* B. — 23) iste — ordinis *ante* iste *om.* P.

---

(1) De fr. Cherubino de Fabriano cf. supra pag. 300.
(2) De fr. Thoma de Bergamo cf. l. c.
(3) De fr. Mariano de Roma cf. Masetti pag. 443 sqq.
(4) De fr. Hugone Vicecomite cf. supra pag. 301.

pacifice in domini timore regat et gubernet secundum nostrarum seriem constitucionum.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Bononiensi de regente providebit reverendissimus magister; in bachalarium pro primo, secundo et tercio anno fr. Iacobum de Mediolano (1); in biblicum pro primo anno fr. Bartholomeum de Bononia (2), pro secundo fr. Thomam de s. Nazario, pro tercio fr. Antonium de Tridento; in magistrum studencium pro primo anno fr. Vincencium de Castro novo (3), pro secundo fr. Thomam de Fossano (4), pro tercio fr. Ludovicum de Bononia; in studentes theologie fr. Ambrosium de Alemania (5), Thomam de Brixia (6), Archangelum de Brixia, Urbanum de Bergomo, Matheum de Lulmo (7), Gasparem Ianuensem et fr. Iulianum de nigro ponte provincie Grecie.

Iste sunt penitencie.

In primis fr. Hieronymum de Belluno (8) et fr. Antonium de Brixia (9) tamquam infamatores nostre religionis declaramus in penas gravioris culpe incidisse, a quibus non possunt absolvi nisi per capitulum generale vel reverendissimum magistrum ordinis.

Iste sunt commissiones.

In primis committimus reverendis provincialibus ac diffinitoribus presentis capituli, quod possit recipere quilibet eorum unum apostatam ad ordinem et unum privatum graciis ordinis ad illas restituere et unum iubilarium facere.

Item. Quod reverendi provinciales in suis provinciis possint recipere loca pro ordine, si tamen ea sint per apostolicam sedem concessa.

Item. Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem addendi, minuendi, immutandi, prout sua reverendissima paternitas iudicaverit expedire, omnes suas litteras approbantes volentesque, quod litteris sue reverendissime paternitatis prebeatur plena fides et obediencia.

---

22) graciis — restituere] ad gracias ordinis P. — 25) ea *om.* P. — 26) item — obediencia *om.* P.

---

(1) De fr. Iacobo de Mediolano cf. l. c. pag. 277.
(2) De fr. Bartholomaeo de Bononia cf. l. c. pag. 300.
(3) De fr. Vincentio de Castronovo cf. l. c.
(4) De fr. Thoma de Fossano cf. l. c.
(5) De fr. Ambrosio de Alemania cf. SSOP. II, 30.
(6) De fr. Thoma de Brixia cf. l. c. pag. 26.
(7) De fr. Matthaeo de Lulmo cf. l. c. pag. 25.
(8) De fr. Hieronymo de Belluno cf. supra pag. 300.
(9) De fr. Antonio de Brixia cf. l. c.

Item. Committimus reverendo diffinitori Francie, magistro fr. Iuliano Clerici (1), vicario nacionis Pictavie, quod non paciatur in nacione sua erigi aliquam domum ordinis, que cedat in detrimentum aliorum conventuum.

Ista sunt suffragia vivorum.

Pro sanctissimo domino.

Pro statu reverendissimorum dominorum cardinalium.

Item. Pro pugnatoribus fidei.

Item. Pro reverendissimo domino protectore.

Item. Pro reverendissimo domino s. Marci viceprotectore.

Item. Pro statu civitatis Avinionensis.

Item. Pro christianissimo rege Francie.

Item. Pro rege Renato.

Item. Pro illustrissimo domino duce Burgundie.

Item. Pro statu illustrissimi ducis Mutine.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis, reverendis provincialibus et diffinitoribus presentis capituli.

Item. Pro statu ordinis.

Sub quolibet articulorum precedencium erat scriptum: quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia mortuorum.

Pro anima illustrissimi olim Philippi ducis Burgundie.

Pro anima reverendissimi domini Mathei de Ursinis (2), qui nostro capitulo elemosinam reliquit.

Pro anima Petri de Medicis.

Pro animabus omnium fratrum, sororum et benefactorum ordinis.

Pro animabus benefactorum capituli presentis.

Pro anima genetricis reverendissimi magistri ordinis.

Cuilibet dictorum articulorum additum erat:

Quilibet sacerdos unam missam.

Sequens capitulum generale, quod erit post triennium et diffinitorum celebrabitur ob reverenciam sancti Thome doctoris de Aquino apud Tholosam.

1) item — missam *ante* sequens *om.* B. — 31) et diffinitorum *om.* B. — 32) sancti *om.* P. — de Aquino *om.* P. — 33) Tholosam] Tholoze tamen habitum non est, sed Basilie anno 1473 neque in hoc ms. continetur, est tamen Insulis in magno volumine non ligatum cum aliis capitulis generalibus nimirum Romano sub Leonardo ibidem electo 1474, Romano item sub Bartholomaeo ibidem electo 1484 et aliis. *add. in marg. cod.* P. ECHARDUS NOSTER.

(1) De fr. Iuliano Clerici cf. supra pag. 320.

(2) De Matthaeo de Ursinis cf. l. c. 319.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS BASILEE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· LXXIII°· (1).

Declaramus quia sepe contingit fratres aliquos priores conventuum extra huiusmodi conventus ad legendum sentencias, bibliam pro forma et gradu magisterii assignari, tales ipso facto quo assignati sunt a presidencia et officiis, quibus fungebantur esse absolutos presencium tenore.

Item. Quum suis exigentibus demeritis in penas et censuras a constitucionibus taxatas et appositas et fulminatas priores incidere comperiuntur, quas ex ignorancia vel ignavia vel alias presidens in aliam si (similem) commutant aut imponere pretermittunt, declaramus huiusmodi presidens nichil posse de penis et censuris huiusmodi in constitucionibus taxatis in alias commutare aut pretermittere, preter id quod sibi a constitucionibus est concessum.

Declaramus solum provincialem fratribus sue provincie aut suum vicarium generalem in eius absencia extra provinciam suam concedere posse et non inferiores licenciam exeundi.

Declaramus bona fratrum qui per patres observancie a se abiiciantur vel licenciantur, cum in aliis conventibus sunt assignati, ad dictos conventus spectare, in quibus recipiuntur vel assignantur. Et hec habet duo capitula generalia.

Officium compositum a papa Pio de sancta Katerina de Senis, quod incipit « Immortali laude » ordo acceptavit et per totum ordinem ipsum teneri, haberi et cantari mandat reprobando quodcumque aliud de ipsa sancta officium compositum.

Inhibemus presidentibus nostri ordinis universis sub pena absolucionis a suis officiis, ne novicios solos vel sine cappa per civitates vel castra vel binos nec cum fratre alio aliquo, cuiuscumque condicionis existat, nisi racione predicacionis vel celebracionis aut visitacionis infirmorum casu quo socius alius dari non possit, domum exire nec extra dormitorium noviciorum nec alias fratrum cellas eos intrare permittant.

---

(1) Sequentia fragmenta transcripsi e cod. Lipsien. 768.

ACTA CAPITULI GENERALIS ROME CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· LXXIV°· (1).

Iste sunt inchoaciones.

Primo inchoatum, quod octave corporis Christi fiant solempnes sicut octave pasche ita quod, si festum simplex vel maius infra dictas octavas occurrerit, post ipsas transferatur; responsoria horarum cum alleluia dicantur absque memoriis consuetis intermittaturque officium de beata virgine ac defunctorum ipsis durantibus.

Item. Quod festum beati Dionysii et sociorum eius celebretur sub toto duplici.

Item. Quod cantus de semiduplici cantetur in missis dominicalibus adventus et quadragesime in festis semiduplicibus ac eciam in festis, in quibus fit communio generalis, nisi aliud festum maius occurrerit.

Item. Et hanc de memoriis sanctorum ordinis, concedentes, ut iuxta cuiuslibet devocionem sub una antiphona, aut sub pluribus velud extitit consuetum in choro libere decantentur. Qui tamen sub una dixerint, reliquas cum officio virginis gloriose persolvant.

Iste sunt confirmaciones.

Secundo confirmatum est, quod omnes fratres impedientes litteras magistri ordinis ac priorum provincialium et procuratoris ordinis, ne suam sorciantur effectum, sentenciam excommunicacionis incurrant ipso facto.

Item. Quod bona fratrum eiectorum aut licenciatorum a vita regulari sint illorum conventuum, in quibus fuerint assignati. Et hec habent tria capitula generalia, et ideo ponenda sunt in constitucionibus.

---

14) item — persolvant *e cod Ragusino.*

---

(1) Anno 1474 die XXIX maii celebratum Rome, in quo electus est magister ordinis frater Leonardus de Mansuetis, fuitque provincialium. In eo sedit prior provincialis frater Donatus Georgius Ragusinus [*cf. supra pag. 320*], qui pariter earundem ecclesiarum [*scilicet Marcanen. et Tribunien.*] episcopus fuit. Diffinitor vero Dalmatie fuit frater Vitus de Ragusio. In eodem assignati fuere in Theologia studentes in Coenobio Perusino frater Vincentius et frater Stephanus de Ragusio. In Coenobio pariter Neapolitano Provincie Regni assignati fuere studentes theologiae fr. Martinus et fr. Thadaeus de Ragusio. In iisdem Comitiis approbata fuit translatio fratrum Viti et Pauli de Ragusio de conventu Ragusino ad conventum Iadrensem per capitulum provinciale Provincie Dalmatie de assensu omnium Patrum et fratrum dicti conventus Iadrensis facta. Tandem quod ad nos attinet, remissus fuit et absolutus ab officio prior Ragusinus provincie Dalmatie. *E catalogo codicum manuscriptorum conventus Ragusini.*

Iste sunt acceptaciones.

Acceptatus est locus s. Marie de Quercu, locus Stucardie, Heidelberge provincie Theutonie pro conventibus; loca Marsalie, Moug( ), Savoce et Termarum provincie Trinacrie pro conventibus, locus Vici nacionis Apulie, locus s. Marie de Gracia in Tripalda (1) nacionis terre laboris, locus Tabernarum nacionis Calabrie omnes regni Sicilie pro conventibus; locus s. Marie nove in Lendenaria provincie s. Dominici pro conventu; item locus sororum Divionis sub provincia Francie secundum intencionem ducis Caroli Burgundie sub nomine s. Sophie; item conventus Zagrabiensis provincie Ungarie translatus ad civitatem Montem Grecensem ad gracias et privilegia ordinis acceptatur.

Iste sunt ordinaciones.

Ordinatum est in isto capitulo, ut nomen et obitus magistri Marcialis olim magistri ordinis ponatur in kalendariis nostris vigesima prima die mensis septembris (2).

Divinum officium diurnum pariter et nocturnum impretermissa devocione fratres persolvant, negligentesque puniantur secundum acta precedentis capituli generalis ultimo celebrati apud Basileam, cuius acta in presenti capitulo confirmata fuere, ac si de novo ordinata forent, et precipue ordinacio adversus eos, qui litteras magistri ordinis, priorum provincialium et procuratoris ordinis impediunt, ne suum sorciantur effectum, ut superius dictum est.

Quod fratres more ceretanorum per terminos conventuum discurrentes per conventuum presidentes et hoc sub precepto et sub pena absolucionis a suis officiis tales girovagi et discursores ad ordinis gremium reducantur, capiantur et incarcerentur, nec sine licencia magistri ordinis vel priorum provincialium aut vicariorum eorundem liberentur, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Iste sunt denunciaciones.

Dominus papa Sixtus IV. ob benevolenciam et affectum, quem ad ordinem nostrum gerit singularem, ipsum in omnibus peragendis stabiliendisque et constituendis, omni libertate donavit; suaque sanctitas hoc capitulum generale abundanter recepit omnesque expensas atque sumptus exsolvit.

Magistri ordinis precibus inclinatus omnibus et singulis fratribus, qui presenti interfuerunt capitulo, concessit, quod quilibet frater ab omnibus, a quibus sua sanctitas posset, valeant absolvi semel dumtaxat et super irregularitatibus dispensari, bigamia dumtaxat excepta.

---

(1) Forte legendum est « Tropea ».

(2) De fr. Martiali Auribelli cf. supra pag. 326.

Omnibus et singulis fratribus ac sororibus nostri ordinis, quod semel in vita et in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem consequi possint, clementer indulsit.

Omnibus et singulis fratribus ac sororibus ordinis nostri annum iubileum misericorditer indulsit; qui tantis gaudeant indulgenciis ac si hiidem urbem Romanam ecclesiasque ac loca Romana personaliter visitarent, penitenciam pro supradictis salubriter iniungendam magistro ordinis committens. Quapropter ipse magister ordinis quoad primum labores itineris et penas pro penitencia assignavit; pro secundo quilibet sacerdos et clericus septem psalmos penitenciales cum litaniis semel, conversi et laici centum pater noster et totidem ave Maria dicerent; pro anno iubilei septem psalmos in choro conventus aut monasterii cum litaniis generaliter diebus quindecim tantum a volentibus indulgencias obtinere, et nichilominus a fratre vel sorore, qui in choro non fuerint, in speciali dicerentur. Conversi autem et laici centum pater noster et centum ave Maria sub silencio et cum devocione dicerent.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI IN CIVITATE PERUSII IN FESTO PENTHECOSTES DIE DECIMA MENSIS MAI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· LXXVIII°·

Sub reverendissimo patre sacre theologie professore Leonardo de Mansuetis de Perusio (1) generali magistro tocius ordinis predicatorum. Diffinientibus reverendo patre Sanxio diffinitore Tholosano sacre theologie professore,
Rev. patre fratre Iohanne Bachachat s. theol. professore diffinitore Francie,
Rev. patre Iohanne de Ymola s. theol. profess. diffinitore prov. s. Dominici,
Fr. Anthonio Sciatesia de Florencia (2) s. theol. profess. pro prov. Romana,
Fr. Iacobo de Nola s. theol. professore pro provincia regni,
Fr. Chrisostomo de Wienna (3) s. theol. professore pro prov. Theutonie,
Fr. Laurencio de Valle rosarum s. theol. professore pro provincia Ungarie,
Fr. Michaele de Culmine s. theol. [professore] pro provincia Bohemie,

21) decima] quarta P. — 22) professore] magistro fratre *add.* P. — 24) diffinientibus — Portugallie *om.* P.

(1) De fr. Leonardo de Mansuetis de Perusio cf. supra pag. 300.
(2) De fr. Antonio de Florentia cf. l. c.
(3) De fr. Chrysostomo de Wienna cf. SEB. BRUNNER l.c. pag. 3.

Fr. Petro Eme s. theol. professore pro provincia Polonie,
Fr. Laurencio Magni s. theol. professore pro provincia Anglie,
Fr. Cherubino de Salmoni s. theol. professore socio reverendissimi magistri pro provincia Grecie,
Fr. Iacobo Bogeti de Alesto s. theol. professore pro provincia Provincie,
Fr. Iacobo Tonso de Ianua s. theol. prof. pro prov. Lombardie superioris,
Rev. patre Lucone predicatore generali pro provincia Bohemie,
Fr. Hermanno Meyger s. theol. professore pro provincia Saxonie,
Fr. Benedicto de Panormo s. theol. professore pro provincia Trinaclie,
Fr. Vincencio predicatore generali pro provincia Dalmacie,
Fr. Roderico de Crata s. theol. professore pro provincia Portugalie.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus hanc de octavis corporis Christi domini nostri, ut ob populi devocionem, indulgenciarum obtencionem et ceteris ecclesiasticis conformitatem fiant omnino paschales. Et hec habet duo capitula. Quod tamen ita intelligendum esse declaramus, ut omnes versus et responsoria horarum cantentur cum alleluia et non dicatur officium virginis, nec fiant memorie consuete. Et [si] intervenerit festum simplex aut duplex transferatur, servata tamen rubrica de festo s. Iohannis Baptiste, si tunc occurrerit, et ita quod in missa dicatur Credo.

Item hanc: quod cantus festorum semiduplicium in diebus dominicis adventus et quadragesime, et in quibus fit communio generalis, quando tunc occurrat solempnius festum, decantetur ab omnibus conventibus. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: De beato Dyonisio Ariopagita, cuius officium volumus sub toto duplici celebrari. Et hec eciam habet duo capitula.

Item. Approbamus translacionem magistri Conradi de Berna ad conventum Lantzhutensem provincie Theutonie.

Item. Translacionem fratris Theobaldi Hesse de conventu Columbariensi ad conventum Sletzstatensem eiusdem provincie Theutonie.

Item. Approbamus reformacionem conventus Ratisponensis, Butvicensis et Eslingensis eiusdem provincie Theutonie.

Item. Approbamus magisterium fratris Stephani Morelli conventus Turonensis provincie Francie; fr. Symonis Berti de Florencia (1) provincie Romane; fr. Georgii Baiuli provincie Tholosane; fr. Anthonii de Molinis eiusdem provincie; fr. Benedicti de Panormo provincie Trinaclie diffinitoris presentis capituli; fr. Benedicti de Perificario de Panormo eius-

---

27) item — inchoaciones *om.* P. — 36 Panormo] Benorma A. — 37) Panormo] Benorma A.

---

(1) De fr. Simone Berti cf. SSOP. I, 875.

dem provincie; fr. Laurencii Magni provincie Dacie, diffinitoris presentis capituli; fr. Michaelis de Culmine, [provincie Polonie] diffinitoris presentis capituli, et fr. Vincentii de Cracovia (1) eiusdem provincie; fr. Rodorici de Crata, diffinitoris presentis capituli provincie Portogalie, et fr. Salwari de Turre eiusdem provincie; fr. Iacobi de Nola provincie regni, diffinitoris presentis capituli; fr. Hermanni Meiger (2) et fr. Georgii Fabri, fr. Nicolai Leier provincie Saxonie; fr. Baldassar Stoll conventus Argentinensis provincie Theutonie; fr. Sebastiani Nicolai conventus Cystarici; fr. Bernardi Coderci conventus Allesti et fr. Dyonisii Vetrusdetis conventus Montispessulani provincie Provincie; fr. Casparis Carboneli conventus Valencie provincie Arragonie; fr. Thome Troath, fr. Iacobi de Bria conventus Antisiodorensis; fr. Karoli conventus Trecensis; fr. Iohannis Barberini conventus Nibornensis; fr. Gwlhemi Mathei conventus Constanciensis provincie Francie.

Item. Approbamus lecturam sentenciarum fr. Thome de Florencia provincie Romane; fr. Dominici Anthonii de Florencia eiusdem provincie; fr. Dominici de Glarasco provincie Lombardie superioris; fr. Domiciani de Ast et fr. Philippi de Prato eiusdem provincie; fr. Bertrandi de Pedato provincie Tholosane; fr. Iohannis Fontesii et fr. Francisci Pogeti eiusdem provincie et fr. Anthonii provincie Ungarie.

Item. Approbamus translacionem fr. Ulrici Zwingrer de conventu Ratisponensi ad conventum Frisacensem provincie Theutonie.

Item. Translacionem magistri Iohannis Milvi (3) a conventu Traiectensi ad conventum Triverensem eiusdem provincie.

Item. Approbamus filiacionem magistri Petri de Firma pro conventu Montis Silicis provincie s. Dominici et fr. Anthonii Benedicti de Veneciis et fr. Georgii de Sibinico (4) pro conventu ss. Iohannis et Pauli de Veneciis eiusdem provincie.

Item. Approbamus et edificamus assignacionem terminorum parrochiarum iam factam conventui Fiborgensi provincie Dacie per duo capitula provincialia eiusdem provincie.

Item. Approbamus magisterium fr. Ulrici Curii provincie Theutonie conventus Eslingensis.

Item. Approbamus reformacionem conventus Ebroicensis provincie Francie.

Item. Iubileum fr. Petri Caponis conventus Burgi eiusdem provincie.

---

(1) De fr. Vincentio de Cracovia cf. supra pag. 316.
(2) De fr. Hermanno Meiger cf. supra pag. 334.
(3) De fr. Ioanne Milvi cf. l. 320.
(4) De fr. Georgio de Sibenico cf. l. c. pag. 274.

Item. Filiacionem fr. Petri Lami de Neapoli in conventu Summano provincie regni.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc, quod festum gloriosi confessoris s. Leonardi in toto ordine sub festo duplici [celebretur].

Item. Hanc de memoriis sanctorum nostri ordinis, ut iam est in locis pluribus introductum, quatinus in toto ordine uniformitas observetur, quod ad Benedictus fiet de eis memoria per antiphonam « O quam preciosa felix gloria semper est sanctorum, quam preclara merita sunt predicatorum, quorum verbo et opere mundus decoratur, eorumque munere mens consolidatur » cum versu « exultabunt sancti in gloria » et resp. « et letabuntur in cubilibus suis » et oracione: Concede, quesumus, omnipotens deus, ut ad meliorem vitam sanctorum tuorum Petri, Thome, Vincencii semper nos provocent, quatinus quorum memoriam agimus, eciam actus imitemur » ad magnificat autem per antiphonam: « Christi pia gracia sanctos sublimavit, quos patris Dominici ordo propagavit, nos eorum meritis petimus iuvari atque suis precibus deo commendari » cum versu « Sapienciam sanctorum narrant populi » et responsorio « et laudem eorum nunciat ecclesia » cum oracione prefata.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus sanctissimum dominum nostrum Sixtum divina providencia papam IV. confirmasse ac de novo concessisse omnia et singula privilegia apostolica hactenus ordini nostro a suis predecessoribus indulta et preter illa nonnulla alia addidisse, prout in eius super inde confectis litteris continetur (1).

Item. Denunciamus sanctitatem suam ex singulari affectione ad sustentacionem ordinis nostri et fratrum ad supplicacionem reverendissimi magistri ordinis indulsisse per bullas patentes, ut conventus nostri et loca, redditus et possessiones retinere possint salva consciencia, constitucionibus nostris vel aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Qui eciam per breve indulget declarans, ut de pecuniis fratribus et domibus nostris collatis bona stabilia per nos emi possint. Cuius quidem brevis tenor sequitur et est talis (2).

Item. Ad preces eiusdem concessit breve subsequentis tenoris (3).

Item. Pariformiter supplicante reverendissimo magistro ordinis denunciamus a prefata sede apostolica emanasse breve infrascripti tenoris (4).

---

(1) Cf. BO. III, 516 n. 52.
(2) Cf. l. c. pag. 550 n. 92.
(3) Cf. l. c. pag. 551 n. 93.
(4) Cf. l. c. pag. 561 n. 103.

Item. Denunciamus omnibus et singulis fratribus conventuum reformatorum provincie Theutonie, qui a suis conventibus sine suorum superiorum licencia fugerint, hinc inde vagantes vel in conventibus de vita communi dies agentes, quatinus infra annum ad suos redeant conventus vel de alio sibi conventu provideant; quod si non fecerint, a suis conventibus nativis et reformatis noverint se omnino extraneos et alienos atque nequaquam nativos.

Item. Denunciamus omnibus et singulis fratribus, quod ingredientes monasteria sororum ordini nostro subiectarum extra casus in earum constitucionibus concessos sunt ipso facto excommunicati, non obstante consuetudine vel pocius perniciosa corruptela quacumque; ea de re hortamur confessores circa huiusmodi monasteria constitutos, quatinus vigilent atque ad talia monasteria venientibus huiusmodi penas posito omni timore insinuent.

Iste sunt declaraciones.

In primis declaramus quoscumque promotos ad baccalariatum seu eciam ad magisterium per bone memorie reverendum quondam patrem fra Christoforum de Fitrania (1) s. theologie professorem et tunc priorem provincialem provincie Romane et commissarium vel vicarium reverendissimi magistri ordinis in provincia Tholosana non esse nec habendos aut nominandos esse baccalarios seu magistros neque eos aliqua exempcione aut privilegio baccalariorum seu magistrorum uti posse, cum talis facultas prefato magistro Cristoforo in suis commissionibus expressa non fuerit nec hanc sibi facultatem concedere reverendissimus magister ordini intenderet, penitus insuper annullantes omnem translacionem factam ab eodem de quocumque fratre ad monasterium Pruliani, vel ad quemcumque conventum, et omnem exempcionem a suis ordinariis prelatis ab eodem cuicumque fratri concessam.

Item. Declaramus et volumus, quod cum contingit fratres aliquos suis demeritis [per] ordinacionem prelatorum ordinariorum carcerari extra ipsorum fratrum conventus originales, ipsi originales conventus teneantur prefatis conventibus in expensis, quas in huiusmodi carceracione aut detencione fieri contigerit, ad arbitrium ipsorum ordinariorum prelatorum.

Item. Declaramus fr. Iohannem Casinon de conventu Nurembergensi translatum esse ad conventum Grecensem provincie Theutonie.

Item. Declaramus fr. Iohannem de Vercellis nullo modo pertinere conventui Pinaroli, cum numquam fuerit receptus in eo, ymmo attentis

16) in — concessam *om.* P. — 18) Fitrania] Siteria B. — 34) item — dicti capituli *om.* P.

(1) De fr. Christophoro cf. Masetti l. c. pag. 441 sq. et supra pag. 320.

peticionibus capituli provincialis provincie Lombardie superioris declaramus eum privatum illa provincia propter nonnulla agitata contra eum in diffinicione dicti capituli.

Item. Declaramus fr. Iohannem de Angelo (1) magistrum conventus Insulensis Francie nacionis Picardie translatum esse ad conventum Valencianensem eiusdem nacionis.

Item. Declaramus fr. Anthonium de Aquilone esse filium nativum et originalem conventus s. Dominici de Messana.

Item. Declaramus fr. Franciscum de Glaris esse filium nativum conventus Galatanizete, qui non habet fratres nativos, quemadmodum ipsum sic in dicti conventus filium facimus et creamus.

Item. Declaramus fr. Ambrosium Cauda de Como translatum esse a conventu Comensi provincie Lombardie superioris ad conventum s. Dominici de Ianua ipsius provincie.

Item. Declaramus fr. Iohannes Carmelis translatum esse de conventu s. Flori Francie ad conventum Cadurcensem provincie Tholosane.

Item. Declaramus fr. Demetrium de Durachio provincie Dalmacie translatum esse de dicta provincia ad provinciam s. Dominici et esse filium nativum conventus Montis Silicis eiusdem provincie.

Item. Declaramus fr. Blasium conversum de Ungaria translatum esse filium conventus s. Petri martiris de Ascolo.

Item. Declaramus revocatas esse quascumque licencias datas sub quacumque verborum forma quibuscumque predicandi indulgencias, [et] eos qui in posterum predicare ausi fuerint, ex nunc prout ex tunc sedendo pro tribunali excommunicacionis sentencia innodatos, quam sentencialiter proferimus in hiis scriptis.

Iste sunt ordinaciones.

In primis a divinis inchoantes statuimus et ordinamus, ut totum officium diurnum pariter et nocturnum cum nota ordinis servato in medio versus metro cum pausa devote et cum exemplaritate ad seculum atque cum inclinacionibus et prostracionibus pro tempore a nostris fratribus persolvantur, nolentes, quod aliquis, cuiuscumque gradus, officii vel condicionis existat, sit exemptus a completorio et missa conventuali, nisi sit actu legittime et racionabiliter occupatus iuxta tenorem constitucionum nostrarum et prout frequenter in precedentibus capitulis generalibus commemoratum fuit et ordinatum.

---

5) Valencianensem] Valentinensem P. — 6) nacionis] provincie P. — 7) item — Ascolo *om.* P. — 12) Como] Zona A. — 13) Comensi] Zonensi A.

---

(1) De fr. Ioanne de Angelo cf. supra pag. 283.

Item. Quia vivendi uniformitas servari non potest, nisi et vivendi regula uniformis inveniatur, universos et singulos provinciales requirimus in domino atque eorum singulis mandando precipimus, quatinus ad sequens generale capitulum singuli singulos libros rubricarum ac constitucionum, quas emendaciores et compleciores in provinciis suis invenerint, defferant vel transmittant, quateuns maturo consilio possit circa huiusmodi librorum varietatem et defectum de opportuno remedio provideri, et ne virtutum et doctrine claritas nostri ordinis in discreto silencio supprimatur et ex maiorum probitate fratrum animi ad virtutum ymitacionem facilius invitantur, requirimus eosdem ac eciam quoscumque alios superstistes, quatinus fratres defunctos, de quibus in libello, qui dicitur vitas fratrum, mencio non habetur, qui scilicet sanctimonia vite et doctrine claritate floruerunt, ad sequens generale capitulum descriptos cum eorum nobilioribus actibus virtutum et sciencie aut miraculorum deferant vel trasmittant, quatinus ex illorum gestis prefatus libellus ad dei et ordinis exaltacionem et fratrum exemplum continuari possit (1).

Item. Constitucionum nostrarum ac actorum plurium generalium capitulorum vestigiis inherentes districte precipiendo iniungimus universis fratribus nostri ordinis, cuiuscumque gradus vel condicionis fuerint, quatinus sic suis predicacionibus et aliis quibuscumque sermonibus aut locucionibus de privilegiis et indultis ac exempcionibus ordinis aut aliis huiusmodi suas linguas cohibeant, ut per verba sua quibuscumque ecclesiasticis prelatis vel eciam laycis principibus nullatenus detrahere videantur aut ullam scandali vel cuiuscumque dissensionis materiam ministrare; omnes contrafacientes ac eciam eos, qui recessum habent ad prelatos aut quoscumque principes vel dominos aut magistratus quacumque de causa ordinem aut conventum vel eciam fratrem aliquem diffamaverint, penas taxatas in constitucionibus ipso facto incurrisse declarantes.

Item. Quoniam qui scienciam dei repellunt, repelluntur merito et ipsi a domino, ne sacerdocio fungantur, monemus universos priores provinciales ac conventuales, ne aliquem presentent vel presentari permittant pro sacris ordinibus suscipiendis, nisi ipsos diligenter examinantes in grammalicalibus et cantu atque divino officio competenter instructos invenerint ac eciam bonis moribus adornatos, et ne deficientibus per obitum vivis lapidibus sacre religionis edificium ad nichilum redigatur, mandamus ac volumus, ut presidentes circa noviciorum recepcionem eorum-

---

14) nobilioribus] notabilibus P. — 18) capitulorum *om.* B.

---

(1) Cf. supra pag. 185 l. 16 sqq.

que ac aliorum iuniorum instructionem in moribus et cerimoniis ordinis atque in litteratura diligenter intendant, nec mittantur ad studia generalia in studentes theologie nisi in artibus competenter studuerint. Volumus autem et ordinamus, ut studentes deputati in studiis generalibus completo termino studii sui secundum tenorem constitucionum statim a studio absoluti intelligantur, nec confirmari aut reassignari possint in eisdem nisi adveniente consensu maioris partis studii et patrum. Quod in omnibus studiis, sed signanter in conventu s. Thome de Papia volumus observari.

Item. Ne fratres presertim originales seu nativi propter reformacionem, pro qua tam cesarea maiestas quam ceteri nonnulli alii principes et magistratus insistunt, suis conventibus priventur, et debilis reddatur domino famulatus, volumus et ordinamus monentes reverendissimum magistrum ordinis ac eciam districte precipiendo mandantes universis prioribus provincialibus et conventualibus, quatinus omnes conventus et fratres eis creditos efficaciter exemplo, verbo et opere reformare procurent, tam in substancialibus votis quam eciam in cerimoniis ordinis, et presertim quoad communitatem et uniformitatem vite, indulgentes tamen, ut in locis, in quibus est notabilis penuria piscium aut lacticiniorum, fratres extra refectorium, prout expediens fuerit, sic recreentur carnibus, ut possint labores ordinis sustinere, quemadmodum ex constitucionibus ordinis sumitur.

Item. Negociacionis abusum ex nostro ordine penitus removere cupientes, quecumque bona per cuiuscumque gradus vel condicionis fratres negociacioni aut mercancie exposita, quando id legitime constiterit, provisioni infirmorum et noviciorum aut eciam sacristie suorum conventuum tenore presencium irrevocabiliter applicamus, nisi admoniti infra octo dies huiusmodi negociaciones retraxerint. Quod si recidivari deprehensi fuerint, sint ipso facto prefatis bonis ac omnibus graciis ordinis privati.

Item. Ordinacionem et constitucionem alias factam in capitulo Romano circa studium et promocionem fratrum per omnia observari precipimus et mandamus, que est subsequentis tenoris: Propter utilitatem et singularem instructionem studencium et promovendorum ad studia nostri ordinis pro gradu et forma magisterii sive ad biblicatum sive ad baccalariatum volumus et ordinamus, quod nullus promoveatur nec habilitetur ad prefatos gradus, nisi prius fuerit per provincialem et diffinitores suarum provinciarum seu per eos, quos ipsi deputaverint, presentatus capitulo generali, reddencium testimonium de ydoneitate et sufficiencia ipsorum, irritum declarantes et inane, quidquid in contrarium fuerit per quempiam attemptatum; mandantes prioribus provincialibus

---

24) aut] vel P. — 25) et] vel P.

cum suis diffinitoribus sub pena suspensionis a suis officiis, ne aliquem insufficientem promoveant et exponant, cassantes, annullantes et irritantes omnes promociones extraordinarie per quascumque litteras seu eciam brevia apostolica aut alio quocumque modo per saltum factas usque ad magisterium iuxta constitucionem Bonifacii noni nostris constitucionibus insertam, que per totum ordinem nullatenus valeat immutari, tenoris infra scripti: Auctoritate apostolica tenore presencium perpetua et irrefragabili constitucione statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus dicti ordinis predicatorum absque licencia seu assignacione capituli generalis secundum morem eiusdem ordinis ad legendum pro forma seu honore magisterii in theologia promoveri nec gradu huiusmodi magisterii fungi possit aut debeat, nisi per dictum capitulum generale fuerint approbati vel promoti, contrarium vero faciens eo ipso excommunicacionis sentenciam incurrat, et si per capitulum predictum reprobatus fuerit, pro non magistro habeatur, constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus provinciarum et locorum dicti ordinis necnon privilegiis, graciis et concessionibus apostolicis in genere vel in specie quibusvis fratribus in provinciis seu locis concessis seu factis aut concedendis vel faciendis sub quavis forma et expressione verborum, eciamsi de eis de verbo ad verbum habenda esset in presentibus mencio specialis, et contrariis non obstantibus quibuscumque. Nos igitur ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari (1).

Item. Ordinamus prohibentes sub pena suspensionis ab officiis, ne inquisitores nostri ordinis instituant vicarios suos in eodem officio aliquos extra nostri ordinis obedienciam constitutos.

Item. Ordinamus, quod fratres, qui obtinuerint perpetuaciones aut originarii fieri, in aliis conventibus infra annum conventum eligere possint, unum dumtaxat et non plura quodque bona immobilia fratres huiusmodi seu eorum conventus contingencia pertineant ad primos conventus, mobilia vero ad conventus electos.

Item. Ut debita provincie Theutonie persolvi possint, districtius mandamus atque sub pena suspensionis ab officio, quam ipso facto contrafacientes incurrant, precipimus omnibus et singulis provincie Theutonie prioribus ordinis nostri, quod a noticia presencium usque ad festum s. Michaelis solvant integram contribucionem cum dimidia atque suis

25) item — constitutos *om* P. — 33) item — contentas *om.* P.

(1) Cf. supra pag. 304.

presentent vicariis, et vicarii quam tocius reverendo provinciali, eos eciam, qui non solverunt terciam iuxta disposicionem capituli Lantzhutensis iam ultimo celebrati in prefata provincia, declaramus per presentes incurrisse penas in actis iam dicti capituli contentas.

Item. Cum sanctissimus dominus iam oportunam provisionem fecerit, ut superius patet, circa illos, qui a sede apostolica abilitacionem ad beneficia obtinent, eos eciam, quantum in nobis est, paci conventuum, quorum fratres officiandi extra ordinem licenciam habent, providere pro viribus cupientes statuimus et ordinamus, ut dicti fratres, quamdiu sic extra ordinem officiaverint, nec cellam nec vocem activam aut passivam in conventibus ordinis habere possint, nec conventus eis teneantur nisi ad suffragia in morte. Succedant autem in bonis dictorum fratrum iuxta constitucionum nostrarum tenorem et hec eadem circa penitenciores (!) extra urbem ubilibet volumus intelligi et servari.

Item. Ne inter fratres sacri ordinis minorum ac nostri, qui discordias debemus ad unitatis federa revocare, (ne) alicuius unquam turbacionis materia ex indiscreto sermone possit oriri, sed tamquam boni ymitatores sanctorum patrum utriusque professionis inviolabili caritatis vinculo complectamur, presencium tenore districtius precipimus universis fratribus nostri ordinis, cuiuscumque gradus aut officii vel condicionis existant, quatinus in publicis sermonibus ad populum neque alia quacumque causa in ordinem aut fratres ipsius ordinis inpingant vel eciam de superexcellencia meritorum aut insigniorum seu titulorum applaudant utriusque ordinis et signanter de stigmatibus beate virginis Katherine Senensis predicare aut contendere audeant, districtius iniungentes presidentibus, quatenus sic contra facientes cohibeant, ut de cetero ad talia linguam non audeant relaxare, et quoniam totis viribus et omni cum devocione votis et intencioni sanctissimi domini nostri et apostolice sedis, cui omnes potestates caput inclinant, humiliter assentire debemus, sub pena carceris et privacionis a suis officiis, quas ipso facto incurrant, mandamus universis et singulis prioribus provincialibus et conventualibus et aliis quibuscumque nostri ordinis presidentibus, quatinus nullam ymaginem prefate virginis Katherine cum signis stigmatum in ecclesiis seu aliis locis nostro ordini subiectis pingere aut formare faciant vel permittant. Inposuimus reverendissimo magistro generali nostri ordinis, ut ad pedes eiusdem sanctitatis sue se conferens referat nonnulla per nos sibi credita, quibus reverendissime sanctitati super premissis et quibusdam aliis plenius satis fiat.

23) applaudant] et laudum et sanctarum *add.* P. — 38) fiat] faciat P.

Iste sunt penitencie.

Quia fr. Conradus de Mepis conventus Madeburgensis provincie Saxonie invective et nimis pernicose laxans linguam in sermonibus contra conventum Osnaburgensem ordinis nostri et contra Monasteriensem ordinis minorum, unde plures in illis regionibus exorte sunt dissensiones, sibi imponimus, ut satisfaciendo famam restituat, quam primum ista ad noticiam suam pervenerint, quod si non fecerit, statim sit predicacionis officio privatus.

Item. Quia fr. Gerardus de Luins conventus Bremensis eiusdem provincie inane commisit sacrilegium in sacristia dicti conventus et suffragiis innitens secularium penitenciam debitam recusat sufferre, idcirco ipsum condempnamus ad penam carceris, donec satisfecerit, et excarceracionem et liberacionem committimus reverendo provinciali eiusdem provincie.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem Witeranum provincie Romane.

Item. Priorem Orthonensem provincie regni.

Iste sunt acceptaciones.

Inprimis acceptamus in conventum ordinis domum s. Katherine Vallis Imelie provincie Lombardie superioris.

Item. Acceptamus et concedimus priori provinciali et capitulo provincie Dacie, ut mittere possit fratres ad proficiendum ad universitatem nuper erectam in civitate Upsalensi provincie Dacie.

Item. Acceptamus locum in oppido Volve in Burgundia provincie Francie diocesis Eduensis pro domo et conventu ordinis, dum ibi competens numerus fratrum residebit, cuius curam reverendissimus magister ordinis venerabili magistro Maturino Espiardi (1) alias commisit, quam sibi et nos committimus per presentes.

Item. Acceptamus conventum Catalanensem provincie Francie et nacionis Campanie pro studio theologie cum studio phylosophie, dantes auctoritatem reverendo provinciali provincie eiusdem providendi de lectore, baccalario et studentibus.

Item. Acceptamus ad beneficia et gracias ordinis reverendum in Christo patrem et dominum d. Iohannem Pilori (2) s. theol. professorem ad presens episcopum Bethleemitanum.

Item. Reverendum in Christo patrem et dominum d. Claudium a Rupe (3) episcopum Claudiopolitanum s. theol. doctorem.

1) iste — ecclesiam s. crucis *om.* P.

(1) De fr. Mathurino Espiardi cf. supra pag. 320.
(2) De fr. Ioanne Pilori cf. l. c. pag. 283.
(3) De fr. Claudio a Rupe cf. BO. III, 633.

Item. Acceptamus reverendissimum in Christo patrem et dominum d. dei et apostolice sedis gracia episcopum Ulysbonensem, sacrosancte Romane ecclesie presbiterum cardinalem.

Item. Reverendum patrem fr. Alphonsum Vellio s. theol. professorem beneficiatum et regentem cathedram theologicalem Ulysbonensem.

Item. Acceptamus reverendum patrem fr. Petrum de Causano provincie Trinaclie, s. theol. professorem, episcopum Lucerinum ac confessorem reverendissimi domini cardinalis Iohannis tituli s. Adriani filii regis Sicilie.

Iste sunt commissiones.

Committimus reverendo provinciali provincie Theutonie examinacionem cause fr. Cristofori et ipsum fr. Cristoforum mittimus ad examinacionem ad conventum Nurimbergensem.

Item. Committimus reverendo provinciali provincie s. Dominici, quod videat, si expediens fuerit, ut acceptet pro ordine ecclesiam s. Crucis.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Parisiensi pro primo anno extraneis debito fr. Arnoldum Depet provincie Tholosane in magistrum studencium, cui substituimus fr. Anselmum conventus Rothomagensis. In eodem anno pro primis scolis fr. Iohannem Simonis conventus Burgensis. Pro secundo anno pro magistro studencium intraneis debito fr. Stephanum de Villaribus (1), cui substituimus fr. Petrum Friseti eiusdem conventus. In primis scolis fr. Iohannem conventus Belvacensis. Pro secundo anno extraneis debito fr. Iohannem Bomelii (2), cui substituimus fr. Iohannem de Orto. In primis scolis fr. Iohannem Pastoris. In primo anno intraneis debito in magistrum studencium fr. Petrum Claustri conventus Neapolitani, cui substituimus fr. Iohannem de Orto. In primis scolis fr. Iohannem de Orto. Ad legendum bibliam pro primo anno committimus reverendo provinciali Francie; pro secundo anno pro nacione Picardie fr. Nicholaum conventus Yprensis, cui substituimus fr. Adrianum conventus Burgensis; pro tercio anno providebit magister Iulianus Clerici (3), socius Francie. Item pro rata provincie Hispanie in studentem theologie fr. Alphonsum conventus Pampilonensis.

Assignamus ad illustrissimos dominos decanum et canonicos Lugdunenses provincie Francie magistrum Iohannem Baltheandrium conventus Lugdunensis in lectorem et regentem cum graciis et libertatibus talibus dari consuetis.

---

(1) De fr. Ioanne cf. supra pag. 277.

(2) De fr. Ioanne de Bomalia cf. SSOP. I, 855.

(3) De fr. Iuliano Clerici cf. supra pag. 329.

Item. Conventui Tholosano damus in baccalarium pro primo anno fr. Bernardum de Plesta, cui substituimus fr. Anthonium de Gleda; pro secundo anno fr. Anthonium de Gleda predictum, cui substituimus fr. Arnaldum Torti; pro tercio anno fr. Arnaldum Torti predictum. In magistrum studencium pro primo anno fr. Anthonium de Gleda predictum, cui substituimus fr. Arnaldum Torti; pro secundo fr. Arnaldum Torti predictum, cui substituimus fr. Bertrandum de Cassa; pro tercio anno fr. Bertrandum de Cassa predictum, cui substituimus fr. Anthonium Reinaldi. In biblia pro primo anno fr. Arnoldum Torti, cui substituimus fr. Bertrandum de Cassa; pro secundo anno fr. Bertrandum de Cassa predictum, cui substituimus fr. Anthonium Reinaldi; pro tercio anno fr. Anthonium predictum, cui substituimus fr. Iohannem de Gunlemoto.

Item. In eodem studio in scholis s. Stephani pro primo anno sub reverendo inquisitore Tholosano fr. Leonardum Modler provincie Theutonie; pro secundo anno fr. Iohannem de Ludo; pro tercio anno fr. Guillelmum Guillelmi.

Conventui Bononiensi provincie s. Dominici damus in regentem fr. Dominicum de Perpiniano magistrum; in baccalareum autem pro primo anno fr. Vincentium de Castronovo (1); pro secundo vero et tercio anno fr. Thomam de Brixia, cui substituimus fr. Bartholomeum de Novis. In biblicum pro primo anno fr. Bartholomeum predictum; in magistrum studencium pro primo anno fr. Nicholaum de Pisis (2); pro secundo fr. Archangelum de Brixia; pro tercio fr. Iohannem de Colonia (3); pro occurrenti autem necessitate substituimus in magistrum studencium fr. Anthonium de Cremona.

Conventui Oxoniensi provincie Anglie magister reverendissimus providebit.

Conventui Cantabrigie magister reverendissimus providebit.

Conventui Florentino provincie Romane damus in regentem pro primo anno et secundo fr. Dominicum de Flandria (4) magistrum; pro tercio magistrum Petrum de Hypolito. In baccalarium pro primo et secundo anno fr. Franciscum Thome de Florencia (5), cui substituimus fr. Sebastianum Rubini. In biblicum pro primo et secundo anno fr. Sebastianum predictum. In magistrum studencium pro primo et secundo anno fr. Iohannem de Pera, pro tercio anno ad legendum sentencias magister or-

(1) De fr. Vincentio de Castronovo cf. l. c. pag. 328 et SSOP. II, 1.
(2) De fr. Nicolao de Pisis cf. SSOP. I, 903.
(3) De fr. Archangelo de Brixia cf. supra pag. 328.
(4) De fr. Dominico de Flandria cf. SSOP. I, 894.
(5) De fr. Francisco Thomae de Florentia cf. l. c. pag. 29.

dinis providebit. In biblicum pro tercio anno fr. Iohannem de Pera. In magistrum studencium fr. Bernardum de Taurino. In studentes theologie fr. Onophrium de Brixia, fr. Petrum de Ungaria, fr. Bartholomeum de Taurino, fr. Bernardum de Taurino, fr. Dominicum de Macro de Ferraria.

In sacro palacio pro primo anno ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fr. Matheum de Pannichis de Florencia; pro secundo fr. Benedictum de Florencia, pro tercio fr. Baptistam de Utino.

Conventui Perusino provincie Romane damus in regentem pro primo anno magistrum Valentinum de Camerino (1); pro secundo magistrum Sebastianum de Perusio (2); pro tercio magistrum Petrum Antonium de Silevia (3). In baccalarium fr. Richardum Richardi provincie Francie, cui substituimus fr. Dominicum de Polonia pro aliis duobus annis. In biblicum pro primo anno fr. Matheum de Ragusio; pro tercio fr. Vincencium de Calia. In magistrum studencium pro primo et secundo anno fr. Vincencium predictum; pro tercio fr. Stephanum de Tabia. In studentes theologie fr. Raymundum de Salina; fr. Iacobum Hipolt conventus Constanciensis; studentes in materialibus fr. Franciscum Runconis provincie Provincie usque ad sequens capitulum generale, et fr. Matheum de Reate.

Conventui Barchinonensi committimus providendum per reverendum patrem provincialem.

Conventui Erfordiensi damus in regentem usque ad sequens capitulum generale magistrum Nicholaum de Genf. Ad legendum bibliam pro primo anno fr. Bartholomeum Hanstat; pro secundo fr. Hugonem de Haga; pro tercio fr. Iohannem Merler. Ad legendum sentencias pro primo anno provisionem committimus reverendo provinciali; pro secundo fr. Bartolomeum Hanstat; pro tercio fr. Hugonem de Haga. De aliis officialibus provisionem committimus reverendo provinciali.

Conventui Cracoviensi provincie Polonie damus in regentem pro primis duobus annis magistrum Albertum. Ad legendum sentencias fr. Ulricum Gestheller. Ad legendum bibliam fr. Martinum Astene. In magistrum studencium fr. Iohannem Sthewertner. In studentes honoris fr. Iohannem Trop et fr. Iohannem de Estamillia et fr. Nicholaum de Paradiso. Pro tercio anno in regentem fr. Vincencium; ad legendum sentencias fr. Nicholaum de Paradiso; ad legendum bibliam fr. Iohannem Trop. In magistrum studencium fr. Iohannem de Asterman.

Conventui Neapolitano provincie regni damus in regentem magi-

(1) De fr. Valentino de Camerino cf. SSOP. II, 32.
(2) De fr. Sebastiano de Perusio cf. l. c. pag. 65.
(3) De fr. Petro Antonii cf. l. c. pag. 3.

strum Petrum Anthonii de Viterbio; in baccalarium pro primo et secundo anno fr. Stephanum de Ragusio (1); pro tercio fr. Hieronymum de Neapoli; in biblicum pro primo et secundo anno fr. Hieronymum de Neapoli, pro tercio fr. Vincencium de Aquaria. In magistrum studencium pro primo anno fr. Vincencium de Aquaria, pro secundo fr. Martinum, pro tercio fr. Anthonium de Panormo. In studentes fr. Marinum de Fracaciis de Neapoli, fr. Iohannem de Asceso, fr. Thomam de Bitonto, fr. Nicholaum de Montemurro, fr. Lucam de Ragusio; fr. Anthonium de Bononia, fr. Emericum de Ungaria, fr. Petrum de Perpiniano, fr. Clementem (2) provincie Arragonie, fr. Raymundum Pistoris, fr. Hermannum Teinsinge provincie Saxonie.

Conventui Mediolanensi provincie Lombardie superioris de regente committimus provisionem reverendo provinciali eiusdem provincie et damus in cursorem pro primo et secundo anno fr. Christoforum de Lignago.

Conventui Papiensi provincie Lombardie superioris damus in regentem pro primo et secundo anno magistrum Paulum de Monelia (3) conventus Ianuensis; pro tercio anno magister ordinis providebit. Ad legendum sentencias pro primo et secundo anno fr. Raphaelem de Nicia, pro pro tercio anno fr. Petrum Andream conventus Alexandrie. Ad legendum bibliam pro primo anno fr. Petrum predictum, cui committimus similiter officium magistri studencium pro eodem anno; pro secundo anno ad legendum bibliam fr. Georgium de Ast, pro tercio vero fr. Stephanum de Papia. In magistrum studencium pro primo et secundo anno fr. Benedictum conventus Alexandrie, pro tercio fr. Bartholomeum de Taurino. In studentem theologie fr. Vincencium de Sicilia pro rata provincie Trinaclie.

Conventui Montispessulani provincie Provincie damus in regentem pro primo anno magistrum Iacobi Pogeti (4), diffinitorem presentis capituli; pro secundo magistrum Iohannem Radulphi; pro tercio magistrum Petrum Gallierii. Ad legendum sentencias pro primo anno fr. Iohannem Rainaldi conventus Arelatensis; pro secundo fr. Raymundum Sagerii conventus Chamberiaci, quem quoniam graviter infirmatur, si contingat decedere, committimus provisionem reverendo provinciali eiusdem provincie; pro tercio fr. Iohannem Avanterii conventus Arelatensis. In magistrum studencium pro primo anno et secundo fr. Iohannem Avanterii conventus Arelatensis; pro tercio fr. Raymundum de Campo conventus

(1) De fr. Stephano de Ragusio cf. supra pag. 331.
(2) Forte idem ac Clemens Ferrer, de quo SSOP. I, 900.
(3) De fr. Paulo de Monelia cf. SSOP. II, 3.
(4) De fr. Iacobo cf. supra pag. 334.

Albenacii. Ad legendum sentencias pro primo anno fr. Raymundum de Campo predictum; pro secundo fr. Gerardum Boccati; pro tercio fr. Bertrandum Iacobi de Montepessulano. Et instituimus in scolis universitatis magistrum studencium ad duos annos fr. Rauletum Laurencii conventus Vapincensis; et pro tercio ad legendum sentencias eundem sub reverendo provinciali; et ad legendum sentencias in scolis s. Eulalie fr. Iacobum Memon provincie Saxonie; ad legendum sentencias extraordinarie fr. Iacobum Ferrarii (1) sub regente primi anni.

Conventui Budensi provincie Ungarie damus in regentem magistrum Seraphinum de Ragusio pro primo anno; pro secundo et tercio providebit reverendus provincialis. In baccalarium sentenciarum fr. Georgium de Quinque ecclesiis; in magistrum studencium fr. Bartholomeum de Corona. In studentes fr. Iacobum de Corona, fr. Iohannem Floris de Corona, fr. Adam Holosthwar, fr. Nicholaum de Cassovia, fr. Thomasinum de Corona, fr. Iacobum de Holosthwar, fr. Petrum de Cade.

Conventui Avenionensi provincie Provincie damus in regentem pro primo anno fr. Nicholaum Suavis; pro secundo magistrum Bartholomeum de Rigeth (2); pro tercio fr. Arnaldum Arnaldi. Ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii pro primo anno fr. Petrum Frezeti provincie Francie conventus Trecensis; pro secundo fr. Nicholaum de Septimis de Iadra provincie Dalmacie; pro tercio fr. Petrum Michaelis provincie Francie conventus Rothomagensis. In magistrum studencium pro primo anno fr. Nicholaum de Septimis de Iadra provincie Dalmacie, pro secundo et tercio anno reverendus provincialis provideat et similiter de biblico pro tribus annis.

Conventui Salamantino provincie Hispanie damus in baccalarium ad legendum sentencias pro primo anno fr. Alphonsum de s. Michaele; pro secundo fr. Anthonium Capleti provincie Arragonie conventus Barchinonensis; pro tercio fr. Bartholomeum Zamorensem, cui substituimus fr. Petrum Legionensem.

Conventui Valisoletano provincie Hispanie damus ad legendum sentencias pro primo anno fr. Petrum Valisoletanum, pro tercio fr. Petrum Fetin conventus Calatajubii provincie Arragonie.

Conventui Taurinensi provincie Lombardie superioris damus in regentem usque ad sequens capitulum generale magistrum Anthonium de dicto conventu. In magistrum studencium pro tribus annis fr. Sebastianum conventus Claraschi. Pro primo anno ad legendum bibliam fr. Petrum Bernardi de Florencia; pro secundo fr. Dyonisium de Modoecia;

---

(1) De fr. Iacobo Ferrarii cf. SSOP. I, 844.

(2) De fr. Bartholomaeo de Rigetis cf. supra pag. 321.

pro tercio magister reverendissimus providebit. Alias autem assignaciones et promociones tam in dicto conventu quam in conventu Papiensi usque ad sequens capitulum generale committimus reverendissimo magistro ordinis.

Conventui vel universitati Ulyssiponensi provincie Portugallie damus ad legendum sentencias pro primo anno fr. Petrum Didaci conventus Elborensis; pro secundo fr. Velascum Elborensem, pro tercio fr. Petrum Egidii conventus Portuensis.

Conventui Ferrarensi ad lecturam pro forma et gradu magisterii fr. Innocencium de Brixia conventus Imolensis; ad legendum bibliam pro tercio anno fr. Petrum de Pisauro.

Conventui Berolinensi provincie Saxonie, quem acceptamus loco studii Magdeburgensis eiusdem provincie, damus in regentem fr. Clementem Boisson. De ceteris officialibus reverendus provincialis providebit.

Concedimus, quod fr. Hieronymus Bonsidel conventus Lipsiensis possit continuare lecturam sentenciarum, quam inchoavit ante introitum religionis in universitate Lipsiensi, et quod fr. Conradus Vallenfenser ibidem legat pro forma et gradu magisterii.

Conventui Aquensi provincie Provincie damus in regentem pro primo anno magistrum Iohannem de Rupe (1); pro secundo magistrum Petrum Rolonis; pro tercio magistrum Pancratium Bernardi. Ad legendum sentencias pro primo anno pro gradu et forma magisterii fr. Franciscum de Rota conventus Vallencenensis provincie Francie; pro secundo fr. Felicem Gaurovis provincie Francie conventus Lugdunensis; pro tercio fr. Thomam Gevisit provincie Arragonie. Committimus autem reverendo provinciali, ut ipse de baccalariis et magistris studencium provideat.

Conventui Coloniensi provincie Theutonie damus in regentem pro primo et secundo anno fr. Michaelem de Insulis (2) magistrum; pro tercio fr. Gerardum Helthen (3).

Hec sunt suffragia pro vivis.

In primis pro felici statu ss. domini nostri Sixti divina providencia pape IV., qui multis privilegiis nostrum ordinem munivit et decoravit, et pro collegio reverendissimorum dominorum d. cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu reverendissimi d. cardinalis s. Cecilie protectoris ordinis nostri, qui multas eleemosinas et beneficia contulit ordini et

---

27) Conventui — Helthen *om.* P.

---

(1) De fr. Ioanne cf. l. c. pag. 315.
(2) De fr. Michaele de Insulis cf. supra pag. 316 et SSOP. II, 7.
(3) De fr. Gerardo de Elten cf. supra pag. 316.

conventui Romano et huic conventui Perusino, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro Cesarea maiestate et pro principibus perpetuo pro fide certantibus quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro christianissimo rege Francie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu serenissimorum regum Hispaniarum, Arragonie et Sicilie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo duce Burgundie et Austrie Maximiliano quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu illustrissimi Britannie et ducis Urbinatis, qui principes eleemosinas capitulo contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro statu illustrissimi ducis et dominii Veneciarum quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro felici statu magnificorum dd. ac consulum, camarariorum auditorumque et conservatorum camere apostolice, aliorum officariorum et nobilium ac civium huius alme civitatis Perusine, que omnium largitate capitulum recepit et infra breve tempus mille florenos huic conventui contulit pro instauracione [ecclesie] et mille alias pro recepcione capituli (1), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro nobilibus et magnificis viris Oracio de Ballionibus et Laurencio de Medicis, qui uberes eleemosinas capitulo contulerunt, cum illorum domibus quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro omnibus aliis in communi, qui capitulo manus porrexerunt adiutrices, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu reverendissimi magistri ordinis et diffinitorum presentis capituli quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendissimi quondam domini cardinalis de Ursinis, qui perpetuam eleemosinam legavit capitulis generalibus, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima reverendissimi magistri Conradi Astensis (2) quondam magistri ordinis et reverendorum quondam provincialium Galvani provincialis Portugallie, magistri Iuliani quondam provincialis Anglie, et magistri Hieronymi Vicecomitis (3) provincialis Lombardie superioris quilibet sacerdos unam missam.

5) Francie *om.* B. — 8) et Austrie *om.* B. — 12) dominii] dominorum B. — 20) Oracio de Ballionibus] Brazio de Baronibus P. — 32) Galvani] fr. Alvarez P. — 33) Iuliani] Guillelmi P.

(1) Quae donatio legitur in *Libris Decemviralibus* asservatis in tabulario Perusino fol. 48 *verso* ad annum 1478.

(2) De fr. Conrado de Ast cf. supra pag. 291.

(3) De fr. Hieronymo Vicecomite cf. l. c. pag. 327.

Item. Pro animabus illustrissimorum quondam ducum Burgundie Caroli et Philippi, qui fuerunt singulariter nostri ordinis protectores et benefactores, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum et sororum et receptorum ad beneficia nostri ordinis et omnium benefactorum quilibet sacerdos unam missam.

Statuentes, ut pro qualibet missa superius notata quilibet clericus septem psalmos penitenciales dicat, conversi vero centum pater noster.

Concedimus singulis diffinitoribus presentis capituli et in capitulo presentibus, quod quilibet eorum possit restituere unum fratrem ad gracias ordinis et unum iubilarium facere et unum apostatam ad ordinem recipere.

Sentencias iudicum approbamus et presertim datam de filiacione magistri Gasparis Bogeti Viraginensis ad conventum Ianuensem, et latam circa filiacionem magistri Guillelmi Nicholai de Aquis, qui dicitur Theutonicus, pro conventu s. Marie Novelle provincie Romane; et has volumus perpetuo et irrevocabiliter in suo robore servari et permanere.

Sequens capitulum generale ad triennium, quod erit diffinitorum, in festo pentecostes celebrabitur Florencie in conventu s. Marie Novelle provincie Romane.

Expliciunt acti capituli generalis celebrati Perusii anno domini · m°· cccc°· lxxviii°·

Hec est quedam sentencia iudicum ad causas in capitulo generali Perusii celebrato anno domini 1478 et per acta capituli predicti confirmata contra quendam Guilielmum Nicolai Theutonicum ordinis predicatorum.

Nos fratres Iohannes de Curte (1). Iacobus Sprenger (2) Coloniensis Petrus Quadrati prior conventus Bitturicensis s. theol. professores et ordinis predicatorum iudices ad causas deputati in capitulo nostro generali Perusii celebrato. Audita peticione conventus s. Marie Novelle de Florencia ac requisicione nobis facta super exequucione aliquarum clausularum contentarum in sentencia lata per reverendissimum magistrum ordinis contra magistrum Guilielmum Nicholai Theutonicum. quarum clausularum prima est ista scilicet declarare. utrum sit nativus predictus Guilielmus prefati conventus. pro cuius probacione fuit eidem magistro Gui-

13) Viraginensis] Ianuensis B. — Ianuensem *om.* B. — 14) Nicolai *om.* P. — 20) celebrati — MCCCCLXXVIII *om.* P., quod tamen ibidem habitum non est sed Rome in conventu ad Minervam *add. in marg.* P. (*Echardus*). — 22) Hec est — dies XI *desumptum est e cod. I conventus s. Mariae Novellae fol.* 71b., *qui codex continet* VITAS FRATRUM ORDINIS *auctore* IOHANNE CAROLI.

(1) De fr. Ioanne de Curte cf. l. c. pag. 320.

(2) De fr. Iacobo Sprenger cf. l. c. pag. 316.

lielmo assignatum tempus usque ad presens capitulum generale, in quo capitulo per prefatam sentenciam mandabatur partibus debere comparere et iura in dicta causa filiacionis ostendere. Volentes iuridice hanc materiam terminare. visis primo racionibus dicti conventus de quibus nominatim constitit per sentenciam et confirmacionem ac addiciones ad dictam sentenciam confirmatam et additas per reverendissimum magistrum ordinis. Visis eciam hoc quod dictus magister non potuit transire de conventu s. Marci ad conventum s. Marie Novelle nisi de consensu maioris partis vocalium prefati conventus constitoque de sua scandalosa conversacione omnibusque diligenter et mature consideratis, cogimur eorum iuste peticioni satisfacere. Quare per presentes iudicamus sentenciamus et decernimus dictum magistrum Guilielmum non fuisse nec esse filium nativum dicti conventus s. Marie Novelle cum in hoc capitulo generali in quo per sentenciam latam per reverendissimum magistrum debuit produxisse omnes raciones facientes pro sua nativitate. In quo quidem capitulo nec per se nec per internuncium minime comparavit nec ullas raciones ad hanc nativitatem adduxit. Verum etsi taxacionem expensarum reservatam per sentenciam reverendissimo magistro intelligamus esse racionabilem. in hac tamen parte humaniter procedendo licet magne ex parte conventus prefati fuerint. dictum magistrum Guilielmum absolvimus et omnino liberamus. dummodo deinceps a molestacione et inquietacione dicti conventus et patrum desistat. Quod si non fecerit. volumus conventum quoad expensas repetendas in suo iure remanere. nolentes. quod aliqua parcium possit alteram circa huiusmodi expensas quoque modo molestare.

In quorum omnium fidem et testimonium presentes has literas fieri iussimus et nostris. quibus utimur. sigillis communiri.

Datum Perusii in nostro generali capitulo ibidem in festo pentecostes celebrato anno dominice incarnacionis · m°· cccc°· lxxviii°·

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROME IN CONVENTU S. MARIE SUPER MINERVAM IN FESTO PENTECOSTES CELEBRATI DIE ·X· MENSIS IUNII ANNO DOMINI ·M°·CCCC°·LXXXI°·

Sub rmo patre fratre Salvo Cassetta (1) de Panormo sacre theologie clarissimo professore tocius ordinis predicatorum generali magistro. In presenti capitulo generali per communem inspirationem unanimiter et concorditer ac pacifice electo.

Diffinientibus communiter reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus suarum provinciarum videlicet:
fr. Andrea de Thauro magistro provinciali Hyspanie.
fr. Petro de Brochario (2) magistro provinciali Tholosano.
fr. Iuliano Clerici (3) magistro provinciali Francie.
fr. Ioachino de Veneciis (4) provinciali s. Dominici magistro.
fr. Mathia de Viterbio (5) magistro provinciali Romano.
fr. Bernardo de Aqua malorum magistro provinciali regni Sicilie.
fr. Iacobo de Stubach (6) magistro provinciali Theutonie.
fr. Vitale de Barchinona provinciali Aragonie magistro.
fr. Michele de Madeis de Ast (7) provinciali Lombardie magistro.
fr. Alberto de Cynna (8) magistro provinciali Polonie.
fr. Petro de s. Cartiano magistro provinciali Dalmatie.
fr. Augustino Farrer (9) magistro provinciali Boemie.
fr. Iacobo de Manzo licenciato provinciali Trinaclie.
fr. Petro de Caritate diffinitore provincie Hyspanie.
fr. Arnoldo Torti (10) diffinitore provincie Tholosane.
fr. Guilielmo Clerici magistro diffinitore provincie Francie.

12) magistero — Grecie *om.* P.

(1) De fr. Salvo Cassetta cf. supra pag. 310.
(2) De fr. Petro Brochario cf. Martène l. c. pag. 436.
(3) De fr. Iuliano Clerici cf. supra pag. 344.
(4) De fr. Ioachimo de Venetiis cf. l. c. pag. 279.
(5) De fr. Matthia de Viterbio cf. Masetti l. c. pag. 442.
(6) De fr. Iacovo de Stubach cf. MOPH. VII, indicem.
(7) De fr. Michaele de Ast cf. SSOP. I, 903.
(8) De fr. Alberto cf. supra pag. 320.
(9) De fr. Augustino Farrer cf. l. c. pag. 321.
(10) De fr. Arnoldo Torti cf. l. c. pag. 345.

fr. Marino de Venetiis (1) magistro diffinitore provincie s. Dominici.
fr. Valentino de Camerino (2) magistro diffinitore provincie Romane.
fr. Barnaba de Neapoli (3) magistro diffinitore provincie regni Sicilie.
fr. Matheo de Buschoducis magistro diffinitore provincie Theutonie.
fr. Iohanne Francho magistro diffinitore provincie Aragonie.
fr. Blasio de Monte Regali (4) magistro diffinitore provincie Lombardie.
fr. Iacobo Raphaelis magistro diffinitore provincie Provincie.
fr. Richardo Vuicerloy magistro diffinitore provincie Anglie.
fr. Nicholao Pulmon magistro diffinitore provincie Saxonie.
fr. Andrea Petriripensis lectore provincie Dacie.
fr. Bartholomeo de Hungaria lectore provincie Hungarie.
fr. Luca Advocati magistro diffinitore provincie Polonie.
fr. Stephano de Sibinicho magistro diffinitore provincie Dalmatie.
fr. Iohanne de Perd'cario magistro diffinitore provincie Trinaclie.
fr. Iohanne Ulixbonensis magistro diffinitore provincie Portugalie.
fr. Spiritu diffinitore provincie Boemie et
fr. Nicholao de Manfredonia diffinitore provincie Grecie.

Epistola generalis magistri.

Universis et singulis fratribus ordinis predicatorum. Fr. Salvus Cassetta de Panormo sacre theologie professor ac eiusdem ordinis humilis magister et servus. Salutem et pacem in domino Iesu omnium Salvatore.

Cum ad hunc supremum ordinis nostri magistratum plus vestra de me existimatione quam merito meo evectum me esse cognoscam: magistri et patres veneratu dignissimi fratresque in Christo dilectissimi ad illud preter cetera invigilandum esse opinor. ut maiorum nostrorum vestigia sectantes digni videamur: qui eorum filii et vere successores et esse et dici mereamur. Si enim ducis nostri beati Dominici sanctitatem. si ardorem in deum. caritatem in proximos et reliqua preclara virtutum opera consideremus. Si patrum nostrorum facta dictaque contemplemur. quibus omnis Christi ecclesia sanctimonia et doctrine lumine illustrata est: plane intelligemus. quanta apud nos iactura. quanta ab eorum semita aversio facta sit. Que quoniam tacite magis nobis deflenda cogitandaque sunt. quam scriptis recensenda. hoc vobis maxime elaborandum existimo ut me duce quem vobis etiam magistrum elegistis. bene meriti

17) Manfredonia] Macedonia B.

(1) De fr. Marino de Venetiis cf. SSOP. I, 855.
(2) De fr. Valentino de Camerino cf. supra pag. 346.
(3) De fr. Barnaba de Neapoli cf. l. c. pag. 267.
(4) De fr. Blasio de Monteregali cf. l. c. pag. 285.

commilitones in vinea domini. optimi agricole et verbi dei veri predicatores iudicari possitis. Ad hoc enim a domino vocati sumus. ad hoc quoque instituta est predicatorum religio. ut pure innocenterque viventes. et nobis in primis et ceteris fidelibus saluti atque utilitati. christiane vero reipublice. decori et ornamento simus. Hoc autem quum sine litterarum studiis minime consequi possumus. hinc vite sanctimonia. sacrarum litterarum peritia adiuncta est. ut illius ope et adminiculo. omnis error. omnisque viciorum caligo tollatur. Nemo enim adeo scelerosus. aut probus infestus est. qui bene vivendi exemplo et doctrine lumine quondam non resipiscat. et ad deum rediens sese non doleat deliquisse. Considerate fratres quanta nos clemencia. quanta benignitate Beatissimus pater Sixtus. Pontifex maximus complexus sit. quam liberaliter foverit. quam humaniter susceperit. quantis nos privilegiis et immunitatibus donaverit. Nihil obmittit sanctissimus pontifex ut ordinem nostrum omni liberalitatis munere illustret, omnique favore et benevolentia prosequatur. Quare agite Christi milites. patres fratresque carissimi. aggrediamur iter patrum nostrorum. et firmo gradu eorum vestigia sequamur. Si quid obmissum aut neglectum usquequaque fuerit. in melius reformemus. Si quid collapsum aut fractum. in integrum redigamus. Si quid sordidum. aut labe corruptum expurgemus. Adversus enim scelera et mundi illececebras. continua pugna. bellum atrox gerendum est. Invigilate in opere virtutis. incumbite latratu predicacionis. ut pulsis fugatisque hostibus que sunt arma demonum virtutes et recte vivendi modus inducantur. Que omnia ut rectius comodiusque fieri possint. nonnulla hic velut leges et regulas que maiores nostri acta dici voluerunt. facilia quidem ac levia factu subscripsimus. Quibus inspectis diligenterque servatis. ad ea quibus hortatus sum promptiores efficiemini. Nihil enim me duce ac magistro. prius aut preclarius. nihil vobis prestabilius quam bene vivendi. vera que noscendi armis honestati ac predicti. utrisque nostrum fructum centuplum et eternam demum gloriam comparetis.

Iste sunt inchoaciones.

In primis inchoamus hanc quod die •viii• decembris fiat festum conceptionis beate virginis sub toto duplici.

Item. Et hanc quod extra tempus paschale in dominicis et simplicibus cantetur. benedicamus domino. conformiter ad Ite missa est. de simplici.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus hanc de octavis corporis domini nostri Iesu Christi ut ob populi devotionem. indulgentiarum obtentionem et ceteris

---

30) comparetis] quam vobis concedat Iesus Christus, virginis filius. Amen. *add.* P.

ecclesiasticis conformitatem fiant sicut sunt octave pascales. in quibus versus et responsoria horarum cum alleluya cantentur. et in missa credo dicatur absque memoriis consuetis et officio beate virginis et defunctorum in choro. Et hec habent tria capitula generalia continua.

Item. Et hanc quod cantus festorum semiduplicium in diebus dominicis adventus et quadragesime et in quibus fit communio generalis. nisi tunc festum sollempnius occurrerit. ab omnibus conventibus cantetur.

Item. Hanc de beato Dyonisio Areopagita. cuius officium volumus sub toto duplici celebrare. et cum hec habeant tria capitula generalia. et per consequens vim constitucionis obtineant. mandamus presidentibus conventuum nostri ordinis universis. ut in ordinariis suorum conventuum faciant sine defectu annotari.

Item. Hanc de memoriis sanctorum nostrorum dicendis sub una antiphona. sicut in capitulis Romano et Perusino notatum fuit. Et hec habent tria capitula generalia.

Item. Confirmamus in priorem provincialem provincie Grecie magistrum Marinum de Tervisio.

Item. Confirmamus in priorem conventus Candie provincie Grecie. fratrem Nicholaum de Manfredonia diffinitorem presentis capituli. quem eciam iubilarium facimus cum graciis talibus dari consuetis.

Item. Reverendissimus magister ordinis auctoritate apostolica specialiter sibi commissa. prioratum magistri Iohannis Caroli (1) prioris conventus s. Marie novelle de Florencia tempore interdicti factum [confirmavit]. Quapropter omnia facta circa eum. et eum in priorem confirmamus.

Iste sunt ordinaciones.

In primis quum cultus divinus nostris debet actionibus anteferri. hinc exordium recte assumimus. statuentes ut in singulis conventibus ordinis. divinum officium diurnum pariterque nocturnum. cum nota. cantu. inclinacionibus. prostrationibus et pausa ordinaria et constitucionibus observatis distincte ac devocius celebretur. negligentes autem aut remissi horis debitis interesse. gravius puniantur. Et illi precipue qui matutinas de tempore vel beata virgine ex consuetudine aut alias pretermiserunt. per presidentes in refectione publica ad terram sedendo indispensabiliter dare compellantur. volentes ut qui breviario carent. si unde habeant infra sex menses. illud emere teneantur. Alioquin bonis sibi ab ordine pro tempore concessis priventur in penam. Super quo presidencium consciencias oneramus. Quos hortamur. ut efficaciter insistant ac laborent circa

7) cantetur] decantetur P. — 13) item — confirmamus *om.* P.

(1) De fr. Ioanne Caroli cf. SSOP. I, 898 et supra pag. 351 *var.* 22.

mundiciam corporalium et panniculorum que ad usum consecrationis divini sacramenti sunt deputata. Et ut fratres singuli missam suam celebrent devote iuxta cerimonias de celebratione missarum in nostris rubricis contentas. ut sicut est conformitas officii et habitus. eciam in cerimoniis. singulis in locis vita ac religio nostra vere cognoscatur esse conformis.

Item. Volumus et ordinamus constitucionem et ordinacionem alias factam in capitulo generali Romano circa studium et promocionem fratrum per omnia observari que est subsequentis tenoris. Propter utilitatem et singularem instructionem studencium et promovendorum ad studia nostri ordinis pro gradu et forma magisterii. sive biblicatum. sive bacalariatum. volumus et ordinamus ut nullus promoveatur. nec habilitetur ad prefatos gradus. nisi prius fuerit per provinciales et diffinitores suarum provinciarum seu per eos quos ipsi deputaverint presentatus capitulo generali. qui testimonium reddant de ydoneitate et sufficiencia ipsorum. Irritum declarantes et inane. quicquid in contrarium fuerit per quempiam attentatum. mandantes prioribus provincialibus cum suis diffinitoribus. sub pena suspensionis ab officiis suis. ne aliquem insufficientem promoveant et exponant. Cassantes. annullantes. irritantes. omnes promociones extraordinarie. per quascumque litteras. seu brevia eciam apostolica. aut alio quocumque modo per saltum factas usque ad magisterium inclusive. usque ad constitucionem felicis recordacionis Bonifacii noni. Constitucionibus nostris insertam. que per nostrum ordinem nullatenus valeat immutari. tenoris infrascripti. Auctoritate apostolica tenore presencium perpetua et irrefragabili constitucione statuimus et eciam ordinamus quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus dicti ordinis predicatorum absque licencia seu assignacione capituli generalis secundum morem eiusdem ordinis ad legendum pro forma. seu ad honorem magisterii in theologia promoveri nec gradu magisterii huiusmodi fungi possit aut debeat nisi per dictum capitulum fuerit approbatus vel promotus. contrarium vero faciens eo ipso excommunicacionis sentenciam incurrat. Et si per capitulum predictum reprobatus extiterit pro non magistro habeatur constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus provinciarum vel locorum dicti ordinis nec non privilegiis. graciis et concessionibus apostolicis in genere vel in specie quibusvis fratribus in provinciis seu locis concessis seu factis aut concedendis vel faciendis. sub quavis forma et expressione verborum. eciam si de eis de verbo ad verbum habenda esset in presentibus mentio specialis. et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane. si secus super hiis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Item. Ad nostrarum seriem constitucionum diligencius attendentes quibus cautum est. ne numerus predicatorum generalium. numerum conventuum excedat. quod eciam per acta precedencium capitulorum continuo prohibitum sed penitus contemptum fuit. unde sepius electiones plurime vitiantur. patrum nostrorum decretis salubribus inherentes. presertim quia iuvenes ignari. insufficientes et discoli instituuntur. precipimus et mandamus. constituciones nostras circa huiusmodi predicatorum generalium institucionem observari. videlicet ut nullus fiat predicator generalis. antequam theologiam audiverit per tres annos et nisi sit maturus et discretus ad negocia ordinis in capitulis pertractanda. declarantes illos non dici nec predicatores generales nominari. neque eciam voce. loco aut preeminentia gaudere debere. qui transgredientes constituciones nostras et acta capitulorum sunt inventi. quos eciam voce et graciis ordinis. nisi destiterint privamus per presentes.

Item. Volumus et ordinamus quod presidentes in kalendariis suorum conventuum infra octo dies a noticia presencium inscribi faciant. obitum bone memorie et sacre theologie professoris. fratris Leonardi de Perusio (1) nostri ordinis olim generalis magistri qui post graves labores quibus non parvum commodum attulit ordini. die ·xxvii· mensis iulii proxime preteriti in conventu beate Marie super Minervam. ubi Rome iacet. diem clausit extremum. pro cuius anima quilibet frater vigore constitucionum satisfaciat sine mora.

Item. Quorumdam magistrorum et fratrum privilegiatorum per quorum exempla ceteri precipue iuvenes ab acquirendis virtutibus retrahuntur. defectibus obviare cupientes presenti statuto precipimus et mandamus inviolabiliter observandum. quatenus completis actibus scolasticis ac susceptis insignibus magistralibus. quilibet ad suam provinciam redeat. vel conventum alium sibi deputandum pro officio lectoratus. vel alterius gradus procuret. nec conventum aliquem vel universitatem occupet aut ibi moretur. nisi presidens. aut regens. aut legens actu extiterit. sub pena privacionis sui gradus. quicumque vero magistri licenciati. bacalarii. doctores. lectores aut alii in nostro ordine privilegiati aut exempti ex consuetudine sive per litteras presidencium ordinis quorumcumque. qui in lecturis. predicacionibus. confessionum audiencie. studio. libris aut tractatibus componendis non vacaverint. vel aliis honestis exerciciis. nisi forte ad utilitatem conventuum essent ad disponenda temporalia institui. ab annotatione missarum in tabula. sequela chori. et aliis infra conventum necessariis. nullatenus excusentur. nec conventum exeant sine licencia presidentis. nec tamdiu utantur privilegiis quibuscumque. quousque iu-

(1) De fr. Leonardo de Perusio cf. supra pag. 333.

dicio presidentis emendaverint sufficienter. Volentes omnino ut antiquioribus promotis et senioribus ubique a iunioribus. honor deferatur. qui ad hoc per presidentes rigidius cogantur.

Item. Cum per instituta nostra ad predicandum verbum dei et confessionum audienciam nullus assumi debeat. nisi sit sciencia ydoneus. etate et moribus approbatus et de casibus sedi apostolice et diocesanis reservatis ac de aliis que ad salutem pertinent animarum fuerit sufficienter instructus. sicut tociens extitit ordinatum. sed minime observatum. Denuo perpetua firmitate statuimus observandum. nullum fratrem de cetero ad predicandum et secularium confessionem audiendum assumi posse. nisi prius per examinatores in provincialibus capitulis a provinciali et diffinitoribus. vel extra capitulum a magistro reverendissimo et provincialibus seu ab eis deputandos diligenter examinatus fuerit et sufficiens inventus iudicio predictorum. Super hiis enim eorum consciencias districtius oneramus. omnes et singulos insufficientes ad predicacionis officium et confessionum audienciam. quavis auctoritate promotos simpliciter privando et a suis officiis absolvendo. Insufficientes autem dicimus. quos magistri ordinis et provinciales vel quibus commiserint inhabiles iudicabunt de consilio discretorum. In quibus dicti priores provinciales sub pena suspensionis ab eorum officiis. curam adhibeant diligentem.

Item. Propter unionem et pacem nostri ordinis. statuimus et ordinamus quod nullus frater. qui receperit habitum et fuerit professus in conventibus qui reformati dicuntur. de cetero non recipiatur in conventibus sue congregacioni non subiectis. mandantes omnibus prioribus provincialibus et conventualibus et vicariis. in virtute spiritus sancti et sancte obediencie. quod tales non recipiantur. Fratribus autem observancialibus mandamus ut non recipiant alios conventuales sine licencia sui prioris provincialis. aut magistri generalis ordinis. Adiicientes quod fratres observanciales reverendos patres provinciales pro tempore ad eos declinantes cum honore recipiant et caritative pertractent.

Item. Ad cohercendum vagos fratrum discursus precipimus ut nullus frater sub pena gravioris culpe absque testimoniali littera. terminos sue provincie exeat. quam penam presidens provincie vel conventus ad quos declinaverit. sub pena suspensionis a suo officio quousque satisfaciat fratrem sic discurrentem subire compellat. Universis autem et singulis fratribus. qui absque missione et licencia suorum prelatorum in aliis provinciis resident vel vagantur. districte precipimus et sub pena carceris. quam incurrant ipso facto. mandamus ut quam cicius prelatis suarum provinciarum se presentent. qui de conventibus et locis habeant providere. adiicientes et prioribus conventuum imponentes. quatinus fratres in terminis suorum conventuum absque eorum licencia. questum

facientes. aut irreligiose discurrentes et conversantes. vel decentem nostri ordinis habitum non ferentes. non obstantibus cuiusvis prelati nostri ordinis licencia seu litteris. carceribus usque ad condignum mancipari faciant. Invocando ad hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis. cui pene subiciantur qui in suis predicacionibus dominis. prelatis. principibus. religiosis. ac ecclesiasticis personis detrahere quoquomodo presumpserint. et nichilominus officio predicacionis simpliciter sint privati.

Item. Cum ad ea que ad salutem et statum christiane fidei sunt. promptissimi esse debeamus. presertim. cum de mente et institucione summi pontificis procedere cognoscuntur. Mandamus et districte precipimus omnibus et singulis fratribus. quatinus orationes. missas. et suffragia quecumque a domino papa iniuncta et ordinata contra turchos aut infideles devote omnino et sine defectu studeant adimplere.

Item. Mandamus et precipimus. quod illi conventus. qui sunt reformati nunc et prius fuerunt sub cura provincialium. easdem contribuciones et collectas solvere compellantur. quas prius solverunt. antequam essent reformati. Dantes auctoritatem et facultatem prioribus provincialibus [cogendi] ad solvendum sub censuris ecclesiasticis. prout videbitur opportunum.

Item. Ordinamus quod nullus frater ordinis nostri. audeat questuare. aut bullas aliquas predicare ad instantiam cuiuscumque. nisi sanctissimus d. n. papa specialiter aliter ordinaverit. vel ex speciali licentia reverendissimi magistri ordinis. sub pena excommunicacionis. Quod si contrafecerint omnibus bonis sibi concessis. sint privati. que applicamus sacristie. vel infirmis. vel novitiis. secundum presidencium discrecionem. eorum conventuum quorum illi fratres dicuntur esse nativi.

Item. Ob frequentes pestilencias et egritudines. propter bella et alia permulta incommoda cum numerus fratrum plurimum deficere videatur. hortamur omnes patres et fratres. ut iuvenes bone indolis. honeste natos. et bono ingenio preditos ad ordinem introducere laborent. eosque in moribus ordinis. in honestate vite. in officio et psalmis dicendis. in cantu et grammatica erudire conentur. Et ut promptius hoc faciant. volumus ut quicumque frater. sex novitios ad ordinem introduxerit pro iubilario habeatur. et sit de facto.

Item. Ad auferendam omnem materiam detractoribus ordinem infamandi districte precipimus et mandamus omnibus fratribus cuiuscumque gradus et condicionis existant in virtute spiritus sancti et sancte obediencie. et sub pena excommunicacionis late sentencie. quam ferimus in hiis scriptis. una pro trina canonica monicione premissa. quatenus nullus

14) item — opportunum *om. Vat.*

nec per se nec per alium. impetret aut procuret. obtinere litteras a regibus et principibus. prelatis et quibuscumque aliis personis secularibus contra fratres aut conventus nostre religionis. aut ipsis quovis modo detrahant. vel diffament. nec fratres regularis vite conventus provincialibus subiectos accipiant nisi de consensu reverendissimi magistri ordinis et priorum provincialium. quod si oppositum facere temptaverint. ex nunc pro tunc. et contra tales facientes. hanc sentenciam incurrisse declaramus. et hos harum tenore excommunicatos denunciamus.

Iste sunt assignaciones.

Conventui Parisiensi provincie Francie ad legendum sentencias in magnis scolis pro gradu et forma magisterii assignamus pro primo anno. Intraneis debito. et providebunt magistri Iohannes Cossart (1) et Iohannes Santeti collegii Parisiensis. In parvis scolis fratrem Iohannem Fregerii conventus Andegavensis. cui substituimus fr. Iohannem Ansoult conv. Parisiensis. In secundo anno extraneis debito in magnis scolis. fr. Raymundum de Valleoleti provincie Hyspanie. cui substituimus fr. Richardum Asini conv. Beluacensis. In eodem anno in parvis scolis. fr. Petrum Pascasii conv. Antisiodorensis. cui substituimus fr. Karolum Ducis conv. Compendiensis.

Pro tercio anno intraneis debito in magnis scholis fr. Matheum Capitosi conv. Ambianensis. cui substituimus fr. Stephanum Huguenardi conv. Gebenensis. In eodem anno in parvis scolis fr. Franciscum de Rota (2) conv. Valencianensis. cui substituimus fr. Martinum Franc. conv. Brugensis. Pro quarto anno extraneis debito in magnis scholis fr. Raphaelem de Aquila provincie regni Sicilie. Eodem anno in parvis scolis fr. Iohannem Veri (3) conv. Rothomagensis. cui substituimus fr. Eustachium Agen conv. Andegavensis. Ad legendum bibliam pro primo anno fr. Radulphum Leonardi conv. Dinanensis. pro secundo fr. Iohannem Gonor conv. Rothomagensis. cui substituimus fr. Franciscum de Monte. Pro tercio anno fr. Iohannem Blondelii conv. Andegavensis. Pro quarto. fr. Helyam Guiberti conv. sancti Iohannis.

De differentia vero que est inter studentes Parisienses et collegium magistrorum et bachalariorum committimus determinandam in primo proximo capitulo provinciali provincie Francie et diffinitoribus eius.

Conventui Thol[os]ano provincie Tholosane. ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii assignamus pro primo anno fr. Bertran-

9) iste — providebit *ante* item denuntiamus *om.* P.

(1) De fr. Ioanne Cossart cf. SSOP. I, 812.
(2) De fr. Francisco de Rota cf. supra pag. 349.
(3) De fr. Ioanne Veri cf. SSOP. II, 29.

dum de Casa (1). cui substituimus fr. Antonium Raynaldi. Pro secundo anno. fr. Antonium Raynaldi (2). cui substituimus fr. Iohannem de Pera (3). Pro tercio fr. Iohannem de Pera predictum. cui substituimus fr. Guilielmum de Castanea. In magistrum studencium pro primo anno fr. Antonium Raynaldi. cui substituimus fr. Iohannem de Pera. Pro secundo anno fr. Iohannem de Pera. cui substituimus fr. Guilielmum de Castanea. Pro tercio anno fr. Guilielmum de Castanea. cui substituimus fr. Bertrandum de Fabro. In biblicum pro primo anno fr. Iohannem de Pera. cui substituimus fr. Guilielmum de Castanea. Pro secundo fr. Guilielmum de Castanea. cui substituimus fr. Bertrandum de Fabro. Pro tercio anno fr. Bertrandum de Fabro. cui substituimus fr. Iohannem Talayssi.

In eodem studio ad legendum sentencias extraordinarie sub regente conventus pro primo anno fr. Danielem Dalmassy. Pro secundo anno fr. Guilielmum Servientis. Pro tercio anno reverendus provincialis providebit.

In scolis s. Stephani ad legendum sentencias pro primo anno fr. Berengarium Cartesii provincie Provincie. Pro secundo et tercio reverendus provincialis providebit.

Fratrem autem Innocentium Stabassa in studentem theologie pro rata provincie Tholosane Bononie assignamus.

Conventui Bononiensi provincie s. Dominici damus in regentem. magistrum Bartholomeum de Bononia (4). Ad legendum sentencias pro duobus primis annis fr. Angelum de Verona (5). et pro tercio anno fr. Ambrosium de Alemania (6). cui substituimus fr. Bartholomeum de Novis (7). Pro biblico fr. Archangelum de Brixia (8). In magistrum studencium fr. Georgium de Crema pro primo anno. fr. Antonium de Cremona (9) pro secundo. et fr. Iohannem de Tabia (10) pro tercio. cui substituimus fr. Ludovicum de Veneciis (11).

In studentes theologie fr. Bernardum de Ragusio. pro rata provincie Dalmacie et fr. Vincencium Merlinum de Veneciis (12) pro rata provincie s. Dominici.

(1) De fr. Bertrando de Casa cf. supra pag. 345.
(2) De fr. Antonio Raynaldi cf. l. c.
(3) De fr. Ioanne de Pera cf. l. c. et pag. 346.
(4) De fr. Bartholomaeo de Bononia cf. l. c. pag. 328.
(5) De fr. Angelo de Verona cf. l. c. pag. 300.
(6) De fr. Ambrosio de Alemania cf. l. c. pag. 328.
(7) De fr. Bartholomaeo de Novis cf. l. c. pag. 345.
(8) De fr. Archangelo de Brixia cf. l. c.
(9) De fr. Antonio de Cremona cf. l. c.
(10) De fr. Ioanne de Tabia cf. SSOP. II, 47.
(11) De fr. Ludovico de Venetiis cf. l. c. pag. 32.
(12) De fr. Vincentio Merlino de Venetiis cf. l. c. I, 872.

Conventui Salamantino provincie Hyspanie. damus in regentem pro primo anno magistrum Didacum de Deça (1). pro secundo magistrum Iohannem de s. spiritu. pro tercio magistrum Didacum de Bentogno. Ad legendum sentencias pro primo anno reverendus provincialis Hyspanie pariter et de substituendis providebit. pro secundo fr. Iohannem de Miranda. pro tercio fr. Antonium Taurensem. De aliis autem officialibus studii. in hoc conventu. et eciam Valisoletano committimus reverendo provinciali. cuius conscienciam oneramus.

Conventui Oxoniensi provincie Anglie. pro secundo anno ad legendum sentencias assignamus fr. Petrum Alue. qui pro hoc primo anno ad huiusmodi lecturam exequendam se disponat. De aliis autem promovendis in universitatibus Oxonie et Cantabrigie eiusdem provincie pro loco et tempore reverendus provincialis dicte provincie providebit. prout sibi videbitur commodius expedire. cuius conscienciam plurimum oneramus circa promovendos.

Conventui Coloniensi provincie Theutonie damus in regentem pro primo et tercio annis magistrum Michaelem de Insulis (2). pro secundo magistrum Richardum Schotten. In magistrum studencium fr. Theodoricum Susteren (3) bachalarium formatum. Ad legendum sentencias pro primo anno fr. Richardum de Bruxella. De aliis autem bachalariis. biblicis et sentenciariis magister Iacobus Sprenger (4) prior Coloniensis usque ad sequens capitulum generale providebit. cuius conscienciam circa promovendos plurimum oneramus.

Conventui Florentino provincie Romane damus in regentem pro primo et secundo annis magistrum Matheum de Cumis. pro tercio magistrum Franciscum de Florencia (5). Ad legendum sentencias pro primo anno fratrem Eugenium de Saluciis. pro secundo anno magister reverendissimus providebit. pro tercio fr. Michaelem de Florencia. In magistrum studencium pro primo anno fr. Henricum de Utheri. pro secundo fr. Michaelem de Florencia. pro tercio anno fr. Thomam de Florencia (6). Fr. autem Thadeum de Ragusio (7) ibidem assignamus in studentem in theologia.

2) Deça] Decal *Vat.* — 18) Susteren] Sustertii *Vat.*

(1) De fr. Didaco de Deça cf. l. c. II, 51.
(2) De fr. Michaele de Insulis cf. supra pag. 349.
(3) De fr. Theodorico Susteren cf. SSOP. I, 22.
(4) De fr. Iacobo Sprenger cf. supra pag. 351.
(5) De fr. Francisco de Florentia cf. l. c. pag. 345.
(6) De fr. Thoma de Florentia cf. l. c. pag. 335.
(7) De fr. Thaddaeo de Ragusio cf. l. c. pag. 331.

In sacro palacio ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii. pro primo anno fr. Leonardum Siculum de Vinciquerris. et extraordinarie fr. Petrum Martinum de Civitate vetula. In biblicum fr. Thomam de Aversa. pro secundo anno ad legendum sentencias fr. Thomam de Aversa. In biblicum fr. Thomam de Mutina (1). pro tercio ad legendum sentencias fr. Thomam de Mutina et extraordinarie in bachalarium sentenciarum fr. Thomam de urbe veteri assignamus.

Conventui Argentinensi provincie Theutonie damus in regentem pro primo anno fr. Iohannem Wilhelmi magistrum. pro secundo et tercio annis vicarius generalis providebit. cuius conscienciam circa promovendos plurimum oneramus. Fr. autem Franciscum de Luczemburgo in studentem pro rata provincie Theutonie Parisius assignamus.

Conventui Viennensi provincie Theutonie damus in regentem magistrum Reginaldum de Vienna (2). Ad legendum sentencias pro primo et secundo annis fr. Alexium Puchel. De biblicis pro tribus annis providebit reverendus magister Christoforus (3) regens studii Viennensis. cuius conscienciam circa hoc plurimum oneramus.

Conventui Perusino provincie Romane damus in regentem pro primo anno magistrum Valentinum de Camerino (4). Ad legendum sentencias pro primo anno fr. Martinum Tulii de Dacia. et pro eodem anno fr. Lucam de Polonia presentis capituli diffinitorem. extraordinarie autem fr. Hieronymum de Brixia. In biblicum fr. Vincencium de Callio (5). in magistrum studencium fr. Antonium de Leontino. Pro secundo anno in regentem magistrum Sebastianum de Perusio (6). in bachalarium fr. Vincencium de Callia. in biblicum fr. Antonium de Leontino. in magistrum studencium fr. Benedictum de Pisis. cui substituimus fr. Vincencium Adiutorii de Reate. In studentes theologie fr. Iohannem de Breda provincie Theutonie. fr. Antonium Spina de Pisis. fr. Vincencium de Matera provincie regni. fr. Augustinum de Ianua (7). fr. Franciscum de Nicia. fr. Sebastianum de Spoleto. fr. Iohannem Bartholomei de Florencia. fr. Bartholomeum sancti Marci de Sicilia. fr. Valentinum de Hungaria pro rata provincie Hungarie. fr. Paulum Petri pro rata provincie Dacie. et fr. Nicholaum de Petra.

Conventui Senensi provincie Romane damus in regentem pro primo

(1) De fr. Thoma de Mutina cf. SSOP. II, 34.
(2) De fr. Reginaldo de Vienna cf. Brunner l. c. pag. 3.
(3) Forte legendum est « Chrysostomus » de quo l. c. et supra pag. 333.
(4) De fr. Valentino de Camerino cf. supra pag. 354.
(5) De fr. Vincentio de Callia cf. l. c. pag. 346.
(6) De fr. Sebastiano de Perusio cf. l. c.
(7) De fr. Augustino de Ianua cf. SSOP. II, 96.

et secundo annis magistrum Petrum Antonium de Viterbio (1). ad legendum bibliam pro primo anno fr. Iohannem Botizyn. Et ad legendum sentencias pro secundo anno ibidem prefatum fr. Iohannem Botizyn pro gradu et forma magisterii. pro tercio anno in regentem magistrum Matheum de Ragusio (2) ad legendum sentencias pro primo anno fr. Dionorum de Viterbio. cui substituimus fr. Petrum Paulum de Senis. pro tercio fr. Iohannem Botizyn de Saxonia. In biblicum pro primo anno fr. Nicolaum de Urbeveteri. pro secundo et tercio reverendus provincialis providebit. In magistrum studencium pro primo anno et pro secundo fr. Vincencium Iuniorem de Reate. pro tercio fr. Sebastianum de Florencia.

Conventui Paduano provincie s. Dominici damus in regentem pro primo anno reverendum magistrum Franciscum de Nerithono (3). In bachalarium fr. Thomam de Utino. in biblicum fr. Andream de Urbino. in magistrum studencium fr. Iohannem de Cividato. in regentem pro secundo anno magistrum Petrum de s. Cartiano. in bachalarium pro secundo et tercio annis fr. Andream de Urbino. in biblicum fr. Iohannem de Cividato predictum. in magistrum studencium fr. Lodovicum de Veneciis (4). pro tercio magistrum Lazarum de Padua. in biblicum fr. Ludovicum Venetum. in magistrum studencium fr. Iohannem de Peregrino de Sicilia. cui substituimus fr. Augustinum de Padua. In studentes vero honoris pro primo anno fr. Nicholaum de Iadra et fr. Lodovicum Venetum. pro secundo fr. Iohannem de Peregrino de Sicilia. et fr. Nicholaum de Iadra et fr. Augustinum de Padua. pro tercio anno fr. Bernardum de Utino et fr. Iohannem de Baro et fr. Vincencium de Reate.

Conventui Barchinonensi provincie Aragonie damus in lectorem pro primo anno magistrum Thomam Palles. pro secundo fr. Iohannem Secaneli bachalarium. pro tercio fr. Dominicum Leonis bachalarium. in magistrum studencium pro primo anno fr. Petrum de Alzina. in biblicum fr. Antonium Vas. de aliis officialibus studii provincialis providebit.

Conventui Crachoviensi provincie Polonie damus in regentem magistrum Michaelem de Culmine (5). ad legendum vero sentencias pro primo fr. Ulrichum et pro eodem anno in biblicum fr. Iohannem de Radzeiouv. cui substituimus fr. Antonium Banimgart. pro secundo anno in biblicum Martinum Kestuez. cui substituimus fr. Mathiam Floris pro tercio anno in biblicum fr. Iohannem Suuerzina.

---

(1) De fr. Petro Ant. de Viterbio cf. l. c. pag. 347.
(2) De fr. Matthaeo de Ragusio cf. l. c. pag. 346.
(3) De fr. Francisco de Neritono cf. l. c. pag. 280 et SSOP. I, 857.
(4) De fr. Ludovico de Venetiis cf. supra pag. 362.
(5) De fr. Michaele de Culmine cf. supra pag. 335.

Conventui Napolitano provincie Regni damus in regentem magistrum Benedictum de Lanellis pro duobus annis immediate sequentibus. Ad legendum sentencias pro primo et secundo annis fr. Marinum Brancatium. pro tercio anno fr. Lucam de Ragusio (1). De aliis autem officialibus studii reverendissimus magister ordinis providebit.

Conventui Mediolanensi provincie Lombardie damus in regentem pro primo anno magistrum Petrum Cayrate. pro aliis duobus annis providebit reverendus provincialis cui assignamus pro primo anno in cursorem fr. Benedictum de dicto conventu. pro secundo fr. Petrinum de Besucio. pro tercio providebit reverendus provincialis.

Conventui Papiensi eiusdem provincie damus in regentem usque ad sequens capitulum generale fr. Paulum de Monelia (2) magistrum. cui substituimus magistrum Raphaelem de Cherio. Ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii pro primo anno fr. Iohannem Antonium de Cremona. pro secundo et tercio fr. Benedictum de Alexandria (3). cui substituimus fr. Stephanum de Vercellis. Ad legendum bibliam pro primo anno fr. Benedictum. pro secundo fr. Stephanum predictum. pro tercio fr. Andream Iohannis de Florencia. In magistrum studencium pro primo anno fr. Stephanum predictum. pro secundo fr. Angelum de Salute. pro tercio fr. Petrum de Savilliano.

Conventui Montispessulani damus in regentem pro primo anno magistrum Dominicum Rochonis, pro secundo magistrum Guidonem Tenalli, pro tercio provincialis reverendus eiusdem provincie providebit, cuius conscienciam oneramus. Ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii pro primo anno fratrem Ioannem Totelli, pro secundo fratrem Ubertum Iarini, pro tercio reverendus provincialis providebit. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Balthassarem, regentem conventus s. Maximini, pro secundo anno et tercio de magistris studencium et biblicis reverendus provincialis providebit.

Conventui Aquensi damus in regentem pro primo anno magistrum Romanum Cavallieri, pro secundo magistrum Pacianum Bernardi, pro tercio magistrum Guilelmum Caysi. Ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii in scholis conventus pro primo anno fratrem Mundonem Bandrici, pro secundo fratrem Petrum de Mayo provincie Francie, pro tercio fratrem Michaelem Culteti conventus s. Maximini. De biblicis et magistris studencium pro duobis primis annis diffinitor eiusdem pro-

---

21) Conventui — Hispanie *om.* P. *Vat.*

---

(1) De fr. Luca de Ragusio cf. supra pag. 347.

(2) De fr. Paulo de Monelia cf. l. c.

(3) De fr. Benedicto de Alexandria cf. l. c.

vincie providebit, cuius conscienciam graviter oneramus. Pro tercio anno in biblicum fratrem Antonium Porrerie. In scholis universitatis contemplacione serenissimi regis Caroli et sub magistro Iacobo Raphaelis diffinitore ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii pro primo anno fratrem Petrum Bugeti et fratrem Petrum Moll, pro secundo fratrem Vincencium de Aquino provincie Regni, pro tercio fratrem Alphonsum de Aquillar provincie Hispanie.

Conventui Avinionensi provincie Provincie damus in regentem pro primo anno reverendum magistrum Iacobum Raphaelis (1) diffinitorem presentis capituli. pro secundo magistrum Bartholomeum de Riguetis (2). pro tercio magistrum Petrum Boneti. Ad legendum sentencias pro gradu et forma magisterii pro primo anno fr. Iohannem Goudeman (3). pro secundo fr. Iohannem Laqueti conventus Burgi. pro tercio fr. Iohannem de Burgeto. De biblicis et magistris studencium reverendus provincialis providebit. magistrum autem Guilielmum de Magnyato conventus Cadomensis cum graciis et libertatibus dari solitis ibidem assignamus. Et ibidem extraordinarie ad legendum sentencias pro primo anno Iohannem Gebennensem. pro secundo fr. Laurencium Mercatoris. pro tercio Steffanum Rochini sub magistro Iacobo Raphaelis. Et ibidem in studentes theologie fr. Franciscum Rochoni (4) et Petrum de Masselo. In studentes philosophie fr. Iohannem Ioannis conventus Niciensis.

Conventui Thaurinensi provincie Lombardie damus in regentem usque ad sequens capitulum generale magistrum Antonium de Guislardis (5). Ad legendum sentencias pro primo anno fr. Georgium de Ast (6). pro secundo fr. Iohannem Lucam de Terdona. pro tercio fr. Iohannem Seruberti de Florencia. Ad legendum bibliam pro primo anno fr. Bartholomeum de Fano conventus Ianue. pro secundo fr. Rufinum de Ponte Sturia. pro tercio fr. Hieronimum de Castellanis. in magistrum studencium pro primo anno fr. Andream Iohannis de Florencia. pro secundo fr. Hieronimum predictum. pro tercio anno rev. provincialis providebit.

Item. Denunciamus precipimus et mandamus omnibus regentibus studiorum ut continuent lectiones suas a principio studii usque ad finem

19) Et — Niciensis *om.* P. *Vat.* — 31) item — quadragesima *om.* P.

(1) De fr. Iacobo Raphaelis cf. supra l. 3.
(2) De fr. Bartholomaeo de Rigetis cf. l. c. pag. 348.
(3) Forte idem ac Ioannes Goodemont, de quo SSOP. I, 852.
(4) De fr. Francisco Rochoni (*al.*) Runconis cf. supra pag. 346.
(5) Idem est ac Antonius de Ghlislandis, de quo SSOP. II, 13.
(6) De fr. Georgio de Ast cf. supra pag. 347.

secundum ritum universitatis. sub pena privacionis regentie et stipendii dari consueti excepta quadragesima.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus universis et singulis fratribus ordinis nostri ss. d. n. Sixtum divina providentia papa quartum. capitulum generale de civitate Astensi ubi fuerat assignatum. ad urbem et ad conventum beate Marie super Minervam transtulisse. quatenus sacer ordo noster pace ac suis libertatis frueretur. cuius sanctitas ob eam quam ad nos gerit devocionem singularem. concessit omnibus per bullam manus porrigentibus adiutrices. pro subvencione capituli generalis. plenariam omnium suorum peccatorum remissionem. necnon singulos fratres in presenti capitulo constitutos a prima die capituli usque ad finem eiusdem. clementer et humaniter suscepit ac in omnibus necessariis omni cum habundantia. leto et vultu refecit et encenia misit. Quare omnes et singuli fratres ordinis nostri. pro felice statu sue sanctitatis pro debito et velut astricto continue apud altissimum dignas effundere preces. et in suis predicacionibus. erga dominos ecclesiasticos communitates ac principes christianos ubicumque locorum eius sanctitatem ferventius commendare. atque nunptios (!) et officiales apostolicos cum ad conventus nostros declinaverint. et ubicumque fratrum nostrorum indiguerint famulatu suscipere et illis obsequi studeant diligenter.

Item. Denunciamus quod idem ss. d. n. papa de gracia speciali concessit. ut omnes et fratres et sorores clause in monasteriis nostri ordinis. similiter et omnibus fratribus et sororibus tertii ordinis de penitencia. Item et omnibus fidelibus utriusque sexus qui per litteras ad suffragia et beneficia ordinis suscepti sunt. ut eorum quilibet possit ydoneum confessorem eligere. qui eum semel in vita et semel tantum in mortis articulo possit absolvere ab omnibus peccatis. casibus et censuris eciam sedi apostolice reservatis. et eisdem concedere valeat plenariam indulgenciam. hiis duabus vicibus prelibatis dumtaxat. Igitur propter hec et alia in nos amplissima beneficia. que suscepimus et in futurum speramus ampliora. obligantur ad modum fratres pro eodem ss. d. nostro semper orare et benedicere memoriam eius.

Item. Denunciamus quod idem ss. d. n. papa Sixtus quartus ex sua innata et benigna clemencia. concessit reverendissimo magistro. quod possit licenciam dare fratribus ordinis. ut confiteantur sacerdotibus quibuscumque tempore necessitatis. quando copiam confessorum nostri ordinis habere non possint. Et idem reverendissimus magister prioribus provincialibus eandem facultatem concessit.

31) item — concessit *om.* P.

Item. Denunciamus, quod idem ss. d. n. Sixtus papa quartus ad preces eiusdem reverendissimi magistri generalis concessit breve [subsequentis tenoris] (1).

Iste sunt acceptaciones.

Item. Denunciamus. quod ad instanciam et preces serenissimi regis Scocie de conventibus terrarum. que sue maiestati subduntur maximis et racionabilibus causis in presenti diffinitorio allegatis. de unanimi voto omnium reverendorum provincialium et diffinitorum presentis capituli provinciam fecimus. quam per se volumus a provincia Anglie distinctam appellari et separatam esse et eandem provincie Scocie cum suis conventibus. privilegiis. graciis et libertatibus ordinis. quemadmodum et cetere provincie deinceps possit gaudere et locum inter priores provinciales et priorem Scocie in nostris generalibus capitulis. ut moris est. obtinere. Et ne predicta provincia idoneo capite careat pro tempore. reverendissimus magister ordinis fratrem Mull sacre theologie bachalarium formatum in priorem provincialem provincie Scocie instituit et creavit. dando ei auctoritatem super dictam provinciam in temporalibus et spiritualibus et super fratres eiusdem provincie ac omnia et singula. que ceteris provincialibus in ordine conceduntur.

Acceptamus ad beneficia ordinis fr. Ludovicum Borelli presentatum Provincie.

Acceptamus in conventum nostri ordinis domum Garesii sub titulo s. Vincencii fundatam.

Item. et domum Francheville. committentes reverendo provinciali provincie Lombardie superioris. ut ipsis conventibus de priore et fratribus provideat competenter.

Item. Acceptamus universitates Hafniensem in regno Dacie et Upsalensem in regno Suecie ad instar studii Bononiensis. concedentes priori provinciali dicte provincie Dacie. in qua dicte universitates site sunt, auctoritatem ut ad prefatas fratres ad perficiendum actus secundum modum dicte provincie pro gradu et forma ad studium mittere possit.

Item. Acceptamus ecclesiam s. Vulfganni (!) in Stenbork Ratisponensis dyocesis. quam ss. d. n. demandavit uniri ordini et conventui Egrensi provincie Saxonie. cuius curam committimus fratri Corrado Vvecell vicario illius loci et ecclesie.

Item. Acceptamus studium conventus Hydelbergensis. secundum for-

5) item — conceduntur *om. Vat.* — 22) acceptamus — Provincie *om.* B. *Vat.* — 24) item — liberari *ante* suffragia *om.* P. — 27) item — possit *om. Vat.*

(1) Cf. BO. III, 604 n 154.

mam bulle apostolice ab illustrissimo olim sacri Romani imperii electore Rheni palatino impetratam.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus magisteria. fr. Petri Antonii Caballarii de Vincencia. fr. Theodori de Duracio. fr. Richardi Vvicerloy. et omnium illorum qui per ss. d. n. facti sunt.

Item. Approbamus magisterium fr. Adolphi Gustin provincie Hyspanie ad instanciam magnifici domini Bartholomei nepotis ss. d. n. pape factum.

Item. Approbamus pacta inita inter reverendum provincialem provincie Provincie et sorores monasterii s. Marie de Pruliano ordinis nostri iuxta instituta super hoc confecta manu magistri Berengarii Cabyronis.

Item. Translacionem magistri Pancracii B[ernardi] (1) Michaelis Guillimeti, Iacobi de Rosa ad conventum Aquensem et fr. Ioannis Bandri provincie Francie ad conventum Draguiniani provincie Francie.

Item. Translacionem fr. Guillelmi de Ora conventus Arelatensis provincie Provincie ad conventum Claromontis provincie Francie.

Item. Approbamus magisteria magistrorum Petri Girardi conventus Grassensis, Guillelmi Carbonelli, Roleti Laurentii (2) et Berengarii de Alis provincie Provincie.

Item. Approbamus iubilarium (!) fr. Iacobi de Balsolis (3) et Michaelis Guillimeti conventus Aquensis.

Item. Confirmamus magisteria fr. Thome de Florencia (4). fr. Mathei Panichi (5). fr. Francisci (6) et fr. Sebastiani Rubini de Florencia (7).

Item. Confirmamus privilegia studencium extraneorum Parisiensium per predecessores generales magistros concessa.

Iste sunt commissiones.

Committimus in primis reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem addendi. diminuendi. immutandi. prout sua reverendissima paternitas iudicaverit expedire. omnes litteras suas approbantes. et volumus ut simplici verbo vel litteris sue reverendissime paternitatis fides plenaria prestetur et obediencia. ac si presentibus per omnia que

10) item — Aquensis *om.* P. *Val.*

(1) De fr. Pancratio Bernardi cf. supra 349.
(2) De fr. Roleto Laurentii cf. l. c. pag. 348.
(3) Videtur esse ac I. de Bauliolis de quo supra pag. 315.
(4) De fr. Thoma de Florentia cf. l. c. pag. 363.
(5) De fr. Matthaeo Panichi cf. l. c. pag. 345.
(6) De fr. Francisco [Thomae] de Florentia cf. supra pag. 370.
(7) De fr. Sebastiano Rubini de Florentia cf. l. c. pag. 345.

ordinaverit essent inserta. Et eidem reverendissimo magistro committimus et concedimus omnia et singula facere que capitulum generale facere et instituere potest.

Item. Committimus cuilibet diffinitorum presentis capituli. ut possit facere unum iubilarium. et duos apostatas absolvere. et restituere ad habitum ordinis. duos eciam restituere ad gracias ordinis.

Iste sunt penitencie.

In primis fr. Philippum de Barberiis de Sicilia (1) absolvimus ab officio inquisicionis regni Sicilie ultra pharum et provincie Trinaclie.

Item. Eciam a magisterio in theologia in penam ac eciam carceribus adiudicamus. donec per reverendissimum magistrum ordinis fuerit liberatus. quoniam stolidus et nequissimus homo ausus est tollere os in celum et libellum infamem et diffamatorium componere in multos excellentissimos et summe auctoritatis viros. inter quos de summis pontificibus scilicet Paulo secundo. et quod magis pudet dicere. de ss. d. n. Sixto quarto. nunc vivente. cuius sanctimonia. gravitas morum. sapientia. ingenium. et inaudita benignitas. apud mortales et immortales omnes celebratissima est et apud omnes numquam abolenda. Quapropter cum multa maiora et asperiora mereatur. hanc cum misericordia quam non meretur. suprascriptam penitenciam infligimus.

Item. Quia fr. Paulus Saurer in diffamationem tam spiritualis quam secularis status et ordinis nostri non parvam turbacionem. os suum in celum posuit contra tenorem nostrarum constitucionum. ipsum graciis ordinis omnibus privamus imponentes ei sub pena excommunicacionis late sentencie. quam una pro trina canonica monicione premissa. ferimus in hiis scriptis. quatenus a noticia presencium a ceptis desistat. et infra spacium trium dierum ad exeundum provinciam Theutonie iter arripiat. ipsum iter fideliter continuando. Quod si facere recusaverit omnibus et singulis presidentibus nostri ordinis precipue provincie Theutonie districtius mandando precipimus. quod ubicumque eum repererint carceribus mancipent. atque aliis penis nostrarum constitucionum puniant. invocato eciam si opus fuerit auxilio brachii secularis. a quibus nonnisi per reverendissimum magistrum ordinis aut per proximum capitulum generale eripi possit et liberari.

Suffragia pro vivis.

In primis cum graciarum actio illis merito debeatur qui in omni officiorum genere beneficentissimi in omnes sunt. tum maxime hiis qui cum summa rerum tenent sese peregrinis et egenis humanissimos et liberales prebent. Quapropter beatissimo patri Sixto divina providentia pape

(1) De fr. Philippo de Barberiis cf. SSOP. I, 873.

quarto. cuius clemencia et pietate iam bis hic Rome capitulum nostrum generale propria eius impensa susceptum est. et duos iam magistros generales elegimus. cuius gracia. privilegia nostra multiplicata. et mirum in modum dilatata sunt. qui tanta affabilitate et humanitate quecumque nedum petita sed eciam desiderata nobis concessit. et supra vota nostra. quasi deo similis. nos sue maiestati perpetuo deiunxit. in futurumque maiora et ampliora speramus. precipimus et districtius mandamus. ut quilibet sacerdos tres missas integras. et in ceteris omnibus eorum missis meminerint. pro sanctitate sua exorare. dicendo cotidie illam orationem. Deus omnium fidelium pastor et rector. famulum tuum Sixtum etc. preterquam in duplicibus et totis duplicibus. Clerici vero non sacerdotes quotidie ·vii· psalmos. conversi quotidie quinquaginta pater noster. et totidem ave Maria. dicere teneantur.

Item. Pro sacro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium et presertim pro reverendissimi domini cardinalis Neapolitani protectoris ordinis nostri statu. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro Cesarea maiestate et omnibus christianis principibus. maxime pro fide certantibus. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro christianissimo rege Francie. quil. sacerdos unam miss.

Item. Pro serenissimo rege Castelle. Aragonum et Sicilie et eius illustrisssma consorte. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu serenissimi regis Caroli. qui religioni nostre plurimum afficitur. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu illustrissimi principis domini ducis Austrie et Burgundie. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu Romane urbis et civium eiusdem et omnium benefactorum capituli. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu reverendissimi magistri ordinis et omnium priorum provincialium et diffinitorum et fratrum conventus Romani et pro hiis qui recepti sunt ad beneficia ordinis. quilibet sacerdos unam missam.

Suffragia pro mortuis.

In primis pro animabus reverendissimorum dominorum cardinalium videlicet domini Iohanne de Turrecremata (1) ex ordine nostro assumpti. et domini cardinalis s. crucis et domini cardinalis Tyrasonensis quondam protectorum ordinis. quilibet sacerdos unam missam.

---

14) item — missam *ante* suffragia] preter has missas quilibet sacerdos dicere tenetur octo missas pro vivis P. — 33) In primis — missam *ante* statuentes] Item quilibet sacerdos dicere tenebitur septem missas pro defunctis P.

---

(1) De Ioanne de Turrecremata cf. supra pag. 248.

Item. Pro anima reverendissimi domini cardinalis Mathei de Ursinis (1) qui perpetuam helemosinam dimisit capitulo generali. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima reverendi patris magistri Leonardi de Perusio (2) quondam magistri generalis ordinis nostri. quil. sacer. unam missam.

Item. Pro anima felicis memorie serenissimi regis Iohannis Arragonum et Sicilie. et pro anima illustris quondam regine Iohanne quondam eius uxoris. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum et sororum ac receptorum ad beneficia ordinis. et omnium benefactorum. quilibet sacerdos unam missam.

Statuentes ut pro qualibet missa superius annotata. quilibet frater clericus dicat septem psalmos penitenciales. conversi vero centum pater noster et totidem ave Maria.

Sentencias iudicum approbamus et volumus quoad omnia suum sortiri effectum. et mandamus acta presentia fideliter ad provincias per diligentem priorum provincialium solicitudinem. universis conventibus destinari semelque infra duorum mensium spatium ordinationes coram fratribus simul congregatis legi et observari.

Sequens capitulum generale quod erit provincialium. assignamus in festo pentecostes celebrandum ad tres annos. qui erit annus millesimus quadringentesimus. octuagesimus quartus. in conventu Cenomanensi provincie Francie. Poterit tamen reverendissimus magister ordinis capitulum prolongare. aut abreviare. si expedire videbitur. Nullus autem qui non est de corpore capituli ante octavas ascensionis locum capituli possit intrare.

Expliciunt acta capituli generalis Rome in conventu s. Marie super Minervam celebrati. anno et die quibus supra.

---

(1) De Matthaeo de Ursinis cf. l. c. pag. 329, 350.

(2) De fr. Leonardo de Perusio cf. l. c. pag. 358.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ROME IN CONVENTU S. MARIE SUPRA MINERVAM ORDINIS PREDICATORUM DIE ·X°· MENSIS OCTOBRIS ANNO DOMINI ·M°·CCCC°·LXXXIV°· CELEBRATI

Sub reverendo patre fratre Bartholomeo de Comaciis de Bononia (1) sacre theologie clarissimo professore ac tocius ordinis predicatorum magistro generali in prefato capitulo electo, diffinientibus reverendis patribus prioribus provincialibus et diffinitoribus videlicet:

Fr. Petro Brocharii (2) magistro priore provinciali provincie Tholosane,
Fr. Iuliano Clerici (3) magistro priore provinciali provincie Francie,
Fr. Christophoro de Utino mag. priore provinciali prov. s. Dominici,
Fr. Mariano de Roma (4) magistro priore provinciali provincie Romane,
Fr. Bernardo de aqua malorum (5) mag. priore provinciali prov. Regni,
Fr. Reginaldo Bellassai (6) magistro priore provinciali provincie Trinacrie,
Fr. Guilelmo Richford magistro priore provinciali provincie Anglie,
Fr. Francisco de Roma magistro priore provinciali provincie Grecie,
Fr. Iohanne Carles magistro priore provinciali provincie Aragonie,
Fr. Antonio Naude (7) magistro priore provinciali provincie Provincie,
Fr. Iohanne Perdicario (8) magistro priore provinciali prov. Terre sancte,
Fr. Georgio Nigri bachalario priore provinciali provincie Boemie,
Fr. Theodoro de Durachio (9) magistro priore provinciali prov. Dalmacie,
Fr. Nicholao Beyer magistro priore provinciali provincie Saxonie,
Fr. Bernardo de Olinero magistro diffinitore provincie Hyspanie,
Fr. Iohanne de Gmonto magistro diffinitore provincie Tholosane,
Fr. Petro Fresetti (10) magistro diffinitore provincie Francie,
Fr. Dominico de Favencia bachalario diffinitore provincie s. Dominici,
Fr. Gabriele de Florencia (11) magistro diffinitore provincie Romane,

(1) De fr. Bartholomaeo de Comatiis de Bononia cf. supra pag. 362.
(2) De fr. Petro Brocharii cf. l. c. pag. 353.
(3) De fr. Iuliano Clerici cf. l. c.
(4) De fr. Mariano de Roma cf. l. c. pag. 327.
(5) De fr. Bernardo de Aqua malorum cf. l. c. pag. 353.
(6) De fr. Reginaldo cf. l. c. pag. 320.
(7) De fr. Antonio Naude cf. l. c. pag. 285.
(8) De fr. Ioanne Perdicario cf. l. c. pag. 354.
(9) De fr. Theodoro de Durachio cf. l. c. pag. 370.
(10) De fr. Petro Fresetti cf. l. c. pag. 348.
(11) De fr. Gabriele de Florentia cf. l. c. pag. 320.

Fr. Petro de Sulmona bachalario diffinitore provincie Regni,
Fr. Iohanne Nigri magistro diffinitore provincie Theutonie,
Fr. Antonio Ricio magistro diffinitore provincie Trinacrie,
Fr. Martino Thur diffinitore provincie Hungarie,
Fr. Andrea Leopoliensi diffinitore provincie Polonie,
Fr. Guillelmo Casseles (1) diffinitore provincie Aragonie,
Fr. Sifredo parvi Iohannis magistro diffinitore provincie Provincie,
Fr. Antonio de la Ripa diffinitore provincie Lombardie superioris,
Fr. Daniele de Vogher magistro diffinitore provincie Saxonie,
Fr. Patricio de Acuris diffinitore provincie Scocie.

Epistola reverendissimi magistri generalis ad totum ordinem exortatoria.

In dei filio sibi carissimis prioribus seu presidentibus conventuum ceterisque patribus et fratribus universis ordinis predicatorum fr. Bartholomeus de Comaciis de Bononia, s. theol. professor ac eiusdem ordinis humilis magister et servus, salutem et religionis observanciam salutarem.

Ad magistratum tocius nostre religionis assumptum multi me pares hortantur ad ea vobis consulenda, que optima esse duco et que, si ea sequamur, profutura confido. Quippe nostre religionis status cura michi magistratus imposita, ac vestrum omnium quies salusque sollicitant, ut vos omnes excitare atque inflammare debeam, quatenus summam quisque nitatur opem ad hunc sacrum nostrum ordinem in quandam pulchre honestatis formam pristinumque decorem reducendum.

Ad quod quidem tanto paracior quisque reddetur, quanto acrius quisque invenerit animum, que maiorum nostrorum vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusve artibus ac sanctissimis institutis et optimarum arcium disciplinis experta et aucta hec nostra religio sit; labentem deinde disciplinam, ut magis magisque lapsi simus, donec ad hec tempora, quibus non defectus nostros, nec remedia pati possumus perventum est. Siquidem maiores nostri viri profecto sanctissimi summa obediencia, castitate ac nuda paupertate necnon doctrina atque preclaris virtutum operibus nostrum hunc sacrum ordinem pene nullum in toto terrarum orbe reddidere clarissimum, ita ut quamquam accusandi mores nostri obficiant, patrum tamen nostrorum inextinguibili memoria inter mendicancium ordines primas omnium partes teneamus, et que nobis tamquam arentibus ramis desunt, trunci viriditas suppetat habundanter.

Quamobrem quantum ego existimo, nichil tam efficax ad excitandos atque inflammandos animos nostros esse potest, quod si iacturam no-

(1) De fr. Guilelmo de Caselles cf. SSOP. II, 9.

stram intueamur, quantum a maiorum nostrorum moribus defecerimus, videamus. Tenui namque obediencie umbra et insensibili quadam simulacione virtutum vitam agimus rerumque mundanarum despectum, quo maiores nostri cuncta terrena contempserant, nos horremus et ad secularia sectanda convertimur. Adde, quod sacrarum litterarum studia, que patres nostri tantopere in nostro ordine frequentanda curarunt, iam nulla supersunt.

Quare non ab re quidem in huius magistratus suscepcione commoveor, quod quidem onus impar humeris subire compellor. Satis incommode mecum actum esse censerem, qui ex privato rerum mearum studio ad tanti publici regiminis curam nil tale querens, sed nec quidem principio cogitans, sum evectus, nisi succurrent animi, quam pro vestri omnium benignitate et erga me dilectionem fraternam non solum vestri, sed eciam mei miserebimini, qui quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori iam versor, et omnes erecto atque parato animo excitabimur ad consulendum salubriter rebus nostris erigendumque nostrum ordinem iam labentem. Quod uti quisque pro suo virili faciat, partim nunc admoneo, partim omni tempore admonebo.

Vos igitur patres, cum tria sint morborum genera, utinam ne illis vos, qui insanabiles esse solent, comparetis; nam qui levi quadam adversa valitudine detinentur, ipsi proficiscuntur ad medicos expetuntque consilia. Qui infirmantur vero gravius, medicos ad se advocant et consilia peragunt. At qui in atram bilem descenderunt, nec quidem sponte venientes medicos audiunt, quibus ne vos prestetis, quedam hic statuta facilia quidem, et que si numquam preciperentur, ad ea tamen capescenda toto conatu deberemus vacasse.

Reverendi patres provinciales et diffinitores una mecum observanda mandarunt, que si, uti speramus, implere curabitis in primo laudatorum sapientum loco eritis. Nam qui pro se quid facto opus sit, auspicatur, is primas inter sapientes partes possidet; secundas vero qui bene consulenti obtemperat. Qui vero ad neutrum aptus est, is ut nullius ingenii homo despicitur.

Eya igitur, expergiscamur iam tandem patres et hec salutaria monita toto affectu sequamur, ut hic meritum et in futuro premium a deo optimo maximo consequamur.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc, quod in festis sanctorum, qui celebrantur per diversas provincias, conventus nostri conforment se matrici ecclesie, si festum servatur a populo: sicut est festum cathedre sancti Ambrosii episcopi in Italia, quod volumus sub festo duplici celebrari, et divisio apostolorum, cuius festum in aliquibus provinciis celebratur.

Item inchoamus hanc, quod quicumque frater nostri ordinis extra ordinem vigore litterarum cuiuscumque prelati ordinis, eciam magistri reverendissimi, quamdiu sic steterit, nullo officio ordinis fungi possit, et sit privatus omnibus privilegiis et graciis fratribus conventuum ab ordine concessis, precipue alimentis et voce activa et passiva.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus hanc de festo sanctificacionis virginis gloriose, octava die decembris celebrando, quod decernimus sub toto duplici celebrari. Et hec habet duo capitula.

Item. Confirmamus hanc, quod extra tempus paschale in diebus dominicis et in festis simplicibus canteťur « Benedicamus » conformiter ad « Ite missa est » de simplici. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt ordinaciones.

In primis dei cultum cunctis nostris actionibus rite preferentes statuimus, ut in singulis conventibus nostri ordinis divinum officium diurnum pariter et nocturnum, cum nota, cantu, inclinacionibus, prostracionibus pro tempore et pausa, ordinario et constitucionibus observatis, distincte et devote celebretur. Negligentes autem et remissi horis debitis interesse gravius puniantur, et illi precipue, qui matutinas de tempore vel beata virgine ex consuetudine vel alias pretermiserint, per presidentes in refectione publica in terra sedendo indispensabiliter dicere compellantur. Volentes, ut qui breviario carent, si habeant, unde emere possint, infra sex menses illud emere teneantur, alioquin bonis sibi ab ordine concessis priventur in penam, super quo presidencium consciencias oneramus.

Item. Eos hortamur, ut efficaciter insistant et laborent circa mundiciam rerum sacrarum, maxime vero corporalium sive mapparum et panniculorum altaris et eorum, que ad usum consecracionis divini sacramenti et missarum cerimonias deputantur, et ut fratres missas devote celebrent iuxta ceremonias de celebracione missarum in nostris rubricis contentas, ut, sicut est conformitas officii et habitus, eciam in ceremoniis singulis et locis vita et religio nostra vere cognoscatur conformis.

Item. Ordinamus, quod presidentes conventuum in suis kalendariis infra octo dies a noticia presencium inscribi faciant obitus bone memorie s. theol. professoris fr. Salvi Cassetta de Panhormo (1) olim nostri ordinis reverendissimi generalis magistri, qui post magnos labores, quibus commodum ordini attulit, ·xv· die septembris ·m°· cccc°· lxxxiii°· Rome in conventu s. Marie super Minervam diem clausit extremum.

Item. Ordinamus ad promocionem studii, quod nullus de cetero ha-

---

(1) De fr. Salvo Cassetta cf. supra pag. 310.

beatur pro biblico, bachalario aut magistro, nisi qui compleverit cursum suum secundum formam illarum universitatum, in quibus receperit huiusmodi promociones, et nisi fuerit probatus per capitulum provinciale aut priorem provincialem, magistrum reverendissimum aut capitulum generale, et quod servetur per omnia constitucio domini Bonifacii (1). Exortamurque omnes et singulos patres provinciales, quatinus diligentem et singularem curam adhibeant circa studia et studentes et quod constitucio de mittendis duobus studentibus ad studia generalia inviolabiliter observetur.

Item. Quia multi insufficientes et ignari sunt facti predicatores generales, ordinamus et precipimus, quod de cetero servetur constitucio de predicatoribus generalibus.

Item. Quod conventus reformati, qui fuerunt alias sub cura provincialium, contribuciones et collectas debitas et consuetas, postquam fuerint reformati, solvere teneantur, dantes auctoritatem et facultatem prioribus provincialibus compellendi eos ad solvendum per censuras et penas ecclesiasticas, prout eis videbitur oportunum, nulla opposicione obstante, rogantes reverendissimum magistrum generalem ordinis, ut talibus litteras favorabiles super hoc minime concedat.

Idem ordinamus de conventibus communis vite, qui stant sub vicario vel vicariis.

Item. Mandamus omnibus prioribus provincialibus, quatinus habeant diligenciam pervigilem castigandi fratres, qui postposito voto paupertatis exerceant mercancias tamquam seculares et quasi proprietarii, iniungentes eisdem provincialibus, quod huiusmodi mercancias facientes infra certum tempus, ut ab huiusmodi desistant, admoneant; quod si non fecerint, bona eorum communitati applicent et confiscare procurent.

Item. Quorumdam magistrorum et fratrum privilegiatorum per quorum exempla ceteri et maxime iuvenes ab acquirendis virtutibus retrahuntur, defectibus obviare cupientes, presenti statuto precipimus et mandamus inviolabiliter observandum, quatenus completis actibus scolasticis ac insigniis magistralibus susceptis, quilibet ad suam provinciam redeat vel conventum alium sibi deputandum pro officio lectoratus vel gradus alterius procuret, nec sub pena privacionis sui gradus conventum vel universitatem occupet aut ibidem moretur, nisi presidens vel regens aut actu legens fuerit, vel ibidem ut conventualis assignatus. Quicumque vero magistri, licenciati, bachalarii, doctores, lectores, aut alii in nostro ordine exempti seu privilegiati ex consuetudine sive per litteras presidencium ordinis quorumcumque, qui predicacionibus, confessionum au-

(1) Cf. supra pag. 347 l. 7 sqq.

diencie, studio, libris aut tractatibus componendis non vacaverint, vel aliis honestis exerciciis, nisi forsitan ad utilitatem conventuum essent ad disponenda temporalia instituti, ab annotacione missarum in tabula, sequela chori et aliis infra conventum necessariis nullatenus excusentur, nec conventum exeant sine licencia presidentis, nec utantur privilegiis quibuscumque, quousque iudicio presidentis se ipsos emendaverint sufficienter; volentes omnino, ut antiquioribus promotis et senioribus ubicumque a iunioribus honor debitus deferatur, qui ad hoc per presidentes rigide compellantur.

Item. Quia per instituta nostra ad predicandum verbum dei et confessionum audienciam nullus assumi debet, nisi sciencia ydoneus, etate et moribus approbatus et de casibus sedis apostolice et diocesanis reservatis ac de aliis, que ad animarum salutem pertinent, fuerit sufficienter instructus, sicut multociens fuerit ordinatum, licet minime observatum, denuo perpetua firmitate statuimus observandum, nullum fratrem de cetero ad predicandum et secularium confessiones audiendas assumi posse, nisi prius per examinatores in provincialibus capitulis a provinciali et diffinitoribus vel extra capitulum a magistro reverendissimo et provinciali seu ab eis deputandis diligenter examinatus fuerit et sufficiens inventus iudicio predictorum; super hoc enim priorum consciencias districtius oneramus omnes et singulos insufficientes a predicacionis officio et confessionum audiencia, quavis auctoritate promotos, simpliciter amovendo et a dictis officiis absolvendo. Insufficientes autem dicimus, quos magister ordinis vel provinciales vel quibus commiserint inhabiles iudicabunt de consilio discretorum; in quibus dicti priores provinciales curam adhibeant diligentem, suas super hoc consciencias aggravantes.

Item. Propter unionem et pacem nostri ordinis statuimus et ordinamus, quod nullus frater, qui receperit habitum et fuerit professus in conventibus, qui reformati dicuntur, de cetero recipiatur in conventibus sue congregacionis non subiectis, mandantes omnibus prioribus provincialibus, conventualibus et vicariis in virtute spiritus sancti et sancte obediencie, ut tales non recipiant. Fratribus autem observantibus mandamus, ut non recipiant fratres conventuales sine licencia prioris provincialis aut generalis magistri ordinis, adiicientes, quod fratres observanciales reverendos priores provinciales pro tempore ad eos declinantes cum honore recipiant et caritative pertractent.

Item. Ordinamus, quod nullus frater ordinis nostri audeat questuare aut bullas aliquas predicare ad instanciam cuiuscumque, nisi ss. dominus noster papa aliter ordinaverit vel ex speciali licencia reverendissimi magistri ordinis, sub pena excommunicacionis. Si qui autem contrafecerint, bonis sibi concessis sint privati, que applicamus sacristie vel in-

firmis aut noviciis secundum presidencium discrecionem eorum conventuum, quorum illi fratres dicuntur esse nativi.

Item. Ob sequentes pestilenciam et egritudines et bella et alia multa incommoda cum numerus fratrum plurimum deficere videatur, hortamur omnes patres et fratres, ut iuvenes bone indolis, honeste natos et bono ingenio preditos ad ordinem introducere laborent eosque in moribus ordinis, in honestate vite, in officio et psalmis dicendis, in cantu et grammatica erudire conentur, et ut prompcius id faciant, volumus, ut quicumque frater sex novicios ad ordinem introduxerit eosque in predictis instrui curaverit et eos sustentaverit, pro iubilario habeatur et sit de facto.

Item. Ad auferendam detractoribus omnem materiam nostrum ordinem infamandi districte precipimus et mandamus omnibus fratribus, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena excommunicacionis late sentencie, quam ferimus in hiis scriptis, una pro trina canonica monicione premissa, quatenus [nullus] per se vel per alium impetret aut procuret obtinere litteras a regibus et principibus, prelatis vel quibuscumque aliis personis secularibus contra fratres aut conventus nostre religionis, aut ipsis quovis modo detrahant, vel eos difament, et quod nec fratres regularis vite prioribus provincialibus subiectos accipiant, nisi de consensu reverendissimi magistri ordinis et priorum provincialium; quod si oppositum facere temptaverint, nunc pro tunc et de cetero tales contrafacientes hanc sentenciam incurrisse declaramus, et eos harum tenore excommunicatos denunciamus; quas penas et sentencias mandamus, ut reverendi provinciales inviolabiliter a contrafacientibus faciant observari.

Iste sunt assignaciones.

In conventu Florentino assignamus in regentem usque ad sequens capitulum generale fr. Paulum de Monelia (1) conventus Ianuensis magistrum. Ad legendum sentencias pro primo anno fr. Michaelem de s. Miniate conventus Florentini; pro secundo fr. Andream de Florencia (2); pro tercio fr. Thomam Mathei de Florencia. Ad legendum bibliam pro primo anno fr. Thomam Mathei de Florencia; pro secundo fr. Paulum de Puteolis provincie Regni; pro tercio fr. Thomam de Bonis de Florencia. In magistrum studencium pro primo anno fr. Paulum de Puteolis; pro secundo fr. Thomam de Bonis de Florencia; pro tercio fr. Bernardum de Malica. In studentes theologie assignamus hos fratres, videlicet: fratres Bartholomeum de Cherio, fr. Thadeum de Ragusio (3), fr. Iohannem de

(1) De fr. Paulo de Monelia cf. supra pag. 366.
(2) De fr. Andrea [Iohannis] de Florentia cf. l. c. pag. 367.
(3) De fr. Thaddaeo de Ragusio cf. l. c. pag. 363.

Cherio, fr. Petrum Benedicti de Florencia, fr. Iohannem de Frixia provincie Saxonie, et fratres Honestum Bachum eiusdem provincie, fr. Dominicum Riccium de Florencia, fr. Sebastianum de Taurino et fr. Dominicum de Florencia.

In conventu Perusino assignamus in regentem pro primo anno fr. Valentinum de Camerino (1) magistrum, in baccalarium fr. Benedictum de Pisis (2), in biblicum fr. Vincencium Adiutorii de Reate (3), in magistrum studencium fr. Iohannem Baptistam de Cortono provincie Regni; pro secundo anno in regentem fr. Sebastianum de Perusio (4) magistrum, in bachalarium fr. Vincencium Adiutorii de Reate, in biblicum fr. Sebastianum de Florencia (5), in magistrum studencium fr. Nicholaum Spinam de Pisis; pro tercio anno in regentem fr. Stephanum de Vio magistrum, in bachalarium fr. Sebastianum de Florencia, in biblicum fr. Nicholaum Spinam de Pisis; de magistro studencium committimus reverendissimo magistro, ut provideat. In studentem honoris pro primo anno fr. Sebastianum de Florencia, in studentes theologie fr. Nicholaum de Pisis, fr. Nicholaum de Petra (6), fr. Dominicum de urbe veteri, fr. Alexandrum de Lucha, fr. Nicholaum de Caieta, fr. Petrum de Gregnano, fr. Philippum de Pisis. In bachalarios extraordinarie pro gradu et forma magisterii pro primo anno fr. Lucam de Trano, pro secundo fr. Ludovicum de Ferrariis de Saviliano, in biblicum extraordinarium pro secundo anno fr. Iohannem Baptistam de Cortono.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus ss. dominum nostrum Innocencium VIII. pontificem maximum summo omnium reverendissimorum dominorum cardinalium consensu ac tocius populi Romani et aliorum fidelium maximo gaudio et leticia ·iv· kal. septembris anni presentis in apostolico palacio apud ecclesiam s. Petri de Vaticano fuisse electum in papam et pastorem tocius ecclesie universalis; unde mandamus universis fratribus ordinis nostri, quatinus suam electionem et creacionem canonicam et divinitus factam predicent populis omnesque Christifideles ad obedienciam sue sanctitatis inducant atque ipsi precentur et alios ad predicandum hortentur pro felici statu sue sanctitatis, que nostrum ordinem summo affectu complectitur et optimam huic nostro capitulo contulit eleemosinam nosque fovet et privilegia nostra augere intendit multasque gracias

(1) De fr. Valentino de Camerino cf. l. c. pag. 364.
(2) De fr. Benedicto de Pisis cf. l. c.
(3) De fr. Vincentio Adiutorii de Reate cf. l. c.
(4) De fr. Sebastiano de Perusio cf. l. c.
(5) De fr. Sebastiano de Florentia cf. l. c. pag. 365.
(6) De fr. Nicolao de Petra cf. l. c. pag. 364.

reverendissimo generali ordinis nostri in publica audiencia et provincialibus ac patribus ordinis data clementissime concessit, videlicet: in primis acceptando electionem factam in magistrum generalem nostri ordinis magistrum Bartholomeum de Comaciis de Bononia (1), quam eciam approbavit et ipsum nobis in generalem magistrum confirmavit atque eidem concessit, ut decem fratres, quos iudicaverit ydoneos, ad magisterium promovere et super iuramenta dispensare possit, necnon et cum fratribus nostris in ·xxii^o· anno completo dispensare, ut ad sacerdocium promoveantur, et eamdem dispensacionem aliis committere possit.

Item. Sua sanctitas concessit omnibus fratribus et sororibus nostri ordinis et hiis, qui de penitencia tercii ordinis beati Dominici nuncupantur, plenariam indulgenciam semel in vita et semel in morte, et ut quilibet possit sibi eligere confessorem semel in vita et semel in morte et absolvi plenarie eciam a casibus sedi apostolice reservatis cum hoc, quod clerici et qui sciunt dicant ·xxx· vicibus septem psalmos penitenciales, qui vero nesciunt, dicant襲 tociens centum pater noster et totidem ave Maria pro qualibet vice. Item omnibus receptis et recipiendis ad beneficia ordinis per litteras plenariam omnium peccatorum remissionem semel in vita et semel in morte concessit et eandem indulgenciam dedit omnibus dicentibus psalterium, quod de beata virgine seu rosarium dicitur et hiis qui de societate seu confraternitate dicti psalterii nuncupantur.

Item. Denunciamus, quod in signum magne clemencie sua sanctitas propriis manibus fecit hos magistros in theologia, videlicet fr. Iohannem de Gigliamotto provincie Tholosane, fr. Orlandum Tercii eiusdem provincie, fr. Valentinum de Brunna provincie Ungarie, fr. Bernardum de Olmeto provincie Hispanie, fr. Antonium Ros (2) provincie Arragonie, fr. Vincencium de Castro novo (3) provincie Lombardie, fr. Anselmum Mitfant provincie Francie dispensando cum eisdem super iuramenta, si qua fecerunt in aliquibus universitatibus.

Item. Denunciamus omnibus patribus et fratribus nostri ordinis reverendissimum patrem generalem obtinuisse a sua beatitudine, quod festum patris nostri s. Dominici celebretur sub precepto, sicut festum b. Francisci, et quod in dicto festo, ubi est corpus eius, sit ea indulgencia, que dicitur esse in die s. Francisci, ubi est corpus eius.

Item. Denunciamus omnibus patribus et fratribus nostri ordinis reverendissimum patrem magistrum Bartholomeum de Comaciis de Bo-

(1) De fr. Bartholomaeo de Comatiis de Bononia cf. l. c. pag. 375.
(2) Forte idem ac Antonius Vas, de quo supra pag. 365.
(3) De fr. Vincentio de Castronovo cf. l. c. pag. 345.

nonia (1) s. theol. professorem fuisse canonice electum in magistrum generalem nostri ordinis, cui omnes obedienciam tamquam indubitato magistro prestent et sibi pareant.

Item. Denunciamus reverendum patrem magistrum Barnabam de Neapoli (2) fuisse per reverendissimum magistrum ordinis et per nos institutum et factum procuratorem nostri ordinis.

Item. Denunciamus fr. Brandinum de Anchardo et fr. Cosmam de Ragusio iubilarios factos provincie Trinacrie et fr. Bernardum Barbe et fr. Guillelmum Barsilii et fr. Anthonium de Clararipa provincie Lombardie et fr. Vincencium Frigerii eodem modo factos esse iubilarios; fr. Franciscum Raymundi conventus Trecensis, fr. Iohannem Pascua conventus Lausanensis, fr. Richardum Luonech conventus Ambianensis provincie Francie similiter per nos factos esse iubilarios, et hos fratres provincie Tholosane scilicet Marcialem de Serresco conventus Lemovicensis, Bernardum de Lachomalem conventus s. Severi similiter per nos factos esse iubilarios.

Item. Denunciamus fr. Theobaldum de Saxonia esse translatum de conventu Coloniensi ad provinciam s. Dominici et fr. Christoforum de magna Glogovia provincie Polonie esse translatum in conventum Holomucensem provincie Bohemie, in quo conventu facimus eum nativum et fr. Petrum de Clemencia conventus Thauromenii per nos factum similiter iubilarium.

Item. Denunciamus fr. Nicholaum de Dacia magistrum provincie Dacie esse translatum ad provinciam Ungarie et fr. Michaelem lectorem provincie Ungarie esse translatum ad conventum Thorunensem provincie Polonie et fr. Iacobum provincie Theutonie translatum ad provinciam Polonie in conventu Cracoviensi et fr. Gregorium de Valachia provincie Ungarie translatum ad conventum Leopoliensem provincie Polonie et fr. Gregorium de Cibinio provincie Ungarie translatum ad eandem provinciam et fr. Symonem Leonis translatum de conventu Gedanensi ad conventum Boleslaviensem provincie Polonie.

Item. Denunciamus maximis et racionabilibus causis in presenti capitulo allegatis de unanimi voto reverendorum provincialium et diffinitorum presentis capituli nacionem Hybernie provinciam fecisse (!), quam provinciam per se volumus a provincia Anglie distinctam et separatam esse et appellari et eandem provinciam Hybernie cum suis conventibus privilegiis omnibus, graciis et libertatibus ordinis, quemadmodum cetere provincie dehinc antea gaudere debere ac locum inter alias provincias in

(1) De quo supra pag. 382.
(2) De fr. Barnaba de Neapoli cf. l. c. pag. 354.

nostris generalibus capitulis, ut moris est, obtinere, previdentes de contribucionibus ordinis habendis, quod provincia Anglie solvat ·xx· ducatos magistro ordinis et procuratori sex; provincia vero Scocie ·xi· ducatos auri magistro ordini et procuratori sex, et ne predicta provincia ydoneo careat capite pro tempore, reverendissimus magister ordinis fr. Mauricium Meral theologie magistrum in priorem provincialem predicte provincie Hybernie instituit et creavit, dando ei auctoritatem super dictam provinciam in spiritualibus et temporalibus et fratribus provincie ac omnia et singula, que ceteris provincialibus conceduntur.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus studium Heydelbergensem provincie Theutonie secundum formam bulle apostolice ab illustrissimo olim sacri Romani imperii electore Rhenensi palatino impetrate, quod per duo capitula et nunc per tercium acceptamus et confirmamus perpetuo duraturum.

Item. Approbamus magisteria horum magistrorum, videlicet magistri Pauli de Corsica, mag. Iohannis de Roma, mag. Benedicti de Florencia (1), mag. Pauli Petri de Florencia, mag. Iohannis Seruberti de Florencia (2), mag. Vincencii de Ragusio (3), Thome de Utino (4), Nicholai de Ripis, Bartholomei de Attuato, Iohannis de Regio, Eduardi provincie Tholosane, Richardi provincie Theutonie, Hyeronimi de Usingia provincie Saxonie, Stephani de Vio de Gaieta (5), Nicholai Filem provincie Francie, Henrici Warde Sasualensis congregacionis Lombardie, Nicholai de Hungaria regentis Senensis, Thome de Aversa (6) provincie Regni, Valentini de Brunna provincie Ungarie, Henrici Rotemberger provincie Theutonie, Richardi de Bruxella (7), quem damus in regentem conventui Basiliensi, Petri de Alcina (8), Iohannis Perucha, Clementis Farder (9), Dominici Leonis (10), Petri Farris, Petri de s. Angelo, Guillelmi Gelaboth, Petri Iohannis provincie Arragonie, Guillelmi Sinhart, Iohannis Masselint provincie Francie, Mathei Avinentis, Antonii Bernardi, Alexii Gervasii, Ludovici de Luca, Geminiani de Florencia et magistri Dionori de Viterbio (11) et licenciam eius.

---

(1) De fr. Benedicto de Florentia cf. supra pag. 346.
(2) De fr. Ioanne Seruberti cf. l. c. pag. 367.
(3) De fr. Vincentio de Ragusio cf. l. c. pag. 331.
(4) De fr. Thoma de Utino cf. l. c. pag. 365.
(5) De fr. Stephano de Vio cf. l. c. pag. 381.
(6) De fr. Thoma de Aversa cf. l. c. pag. 364.
(7) De fr. Richardo de Bruxella cf. l. c. pag. 363.
(8) De fr. Petro de Alcina cf. l. c. pag. 365.
(9) Videtur esse idem ac Clemens Ferrer, de quo l. c. pag. 347.
(10) De fr. Dominico Leonis cf. l. c. pag. 365.
(11) De fr. Dionoro de Viterbio cf. l. c.

Item. Approbamus lecturam sentenciarum fr. Bartholomei de s. Marcho de Sicilia (1), quem licenciamus ad suscipiendos gradus magistrales in universitate Perusina, et ipsum in conventu Perusino reassignamus, et lecturam fr. Iohannis Alitrandi conventus Castrensis, Lamberti Merlati conventus Tholosani, et lecturam fr. Andree de Urbino (2), cui damus licenciam suscipiendi insignia magistralia et bachalariatum fr. Petri Poncii et fr. Francisci Ballagerii provincie Aragonie, et licenciam fr. Udalrici Tzechentner (3), et lecturam biblie fr. Pauli Niderhaymer, et lecturam super sentencias fr. Iohannis de s. Maria provincialis Hyspanie, quem licenciamus, et lecturam fr. Hermandi Nighemberch in conventu Oxonie Anglie.

Item. Approbamus reformacionem fratrum et sororum factam in provincia Theutonie eorum nomina hic pro expressis haberi volentes, et approbamus eciam recepcionem conventus Heydelbergensis, et habet tria capitula generalia, et reformacionem conventus Buscoducensis committimus reverendissimo magistro ordinis. Approbamus insuper translacionem magistri Simonis de Berthis de Florencia (4) de conventu s. Marci ad conventum s. Marie Novelle de Florencia provincie Romane.

Item. Approbamus translaciones factas de fr. Iohanne Chay et fr. Hughino Alexii de conventu Anissiaci ad conventum Gebennensem, in quo eos nativos facimus, et translacionem magistri Iohannis Bordealba de conventu Calatajubii ad conventum Cesarauguste, quem ibidem filium nativum [facimus]; et translacionem fr. Petri Rosth a conventu Hylerde ad conventum Barchinone, quem ibidem filium nativum facimus, et translacionem fr. Petri Marci a conventu Columbarie ad conventum Podii Cerdani et ibidem eum filium nativum facimus et translacionem factam de fr. Christoforo de Galberch magistro a conventu Barchinone ad conventum Hylerde, in quo habitum religionis et professionem super regulari observancia susceperat, et de fr. Iohanne Pernica magistro a conventu Hylerde ad conventum Calambas (!) et filios nativos ibidem facimus.

Item. Approbamus remissionem factam penarum patribus nacionis Navarre provincie Arragonie, quibus fuerant sentencialiter iudicati per capitulum provinciale Gerundie celebratum, quia celebrabatur capitulum sine capite, et eandem de novo remissionem facimus restituentes eos omnes pristinis graciis ordinis.

Item. Approbamus capitulum ultimum provinciale Gerundie celebratum provincie Arragonie et electionem de magistro Iohanne Carles (5)

(1) De fr. Bartholomaeo de Sicilia cf. l. c. pag. 364.
(2) De fr. Andrea de Urbino cf. l. c. pag. 365.
(3) De fr. Uldarico Zehentner cf. MOPH. VII, indicem.
(4) De fr. Simone de Florentia cf. supra pag. 334.
(5) De fr. Ioanne Carles cf. l. c. pag. 374.

in provincialem factam et omnia acta in eodem declarantes dictam electionem et eam rite celebratam secundum constituciones; capitulum vero Pampilone eodem anno celebratum et electionem ibidem factam et omnia acta esse et fuisse acephala, cassa et nulla nulliusque roboris vel momenti.

Item. Approbamus sentenciam datam per reverendum provincialem provincie et per vicarium prioris Avinionensis confirmatam per capitulum provinciale provincie Provincie Grasse celebratum contra fr. Petrum Largi et sentenciam datam per reverendum provincialem eiusdem provincie contra fratrem Ludovicum Gararatrii scilicet per eius vicarium et penitenciam datam fr. Iohanni Mosetti conventus Albie provincie Tholosane per capitulum provinciale ultimo celebratum.

Iste sunt acceptaciones.

In primis acceptamus in conventum ordinis nostri domum Cornich, quam erexit et dotavit perpetuis emolumentis reverendissimus dominus d. episcopus Posnaniensis Uriel.

In provincia Arragonie acceptamus in conventum domum s. Honofrii diocesis Valentinensis, et in provincia Regni acceptamus in locum ordinis domum s. Vincencii, quod sit unita conventui Theatino, et in eadem provincia acceptamus in conventum ordinis domum Cardie diocesis Theatine, et in eadem provincia domum Martine diocesis Tarentine pro conventu, quos conventus submisimus immediate sub cura provincialis Regni.

Item. Acceptamus studium institutum per reverendum priorem conventus Avenionensis magistrum Bartholomeum de Righetis (1) de ·xxiiii· noviciis; et item acceptamus ad beneficia ordinis reverendissimum dominum d. Iohannem tituli s. Balbine presbiterum cardinalem et dominum Petrum Quadrati (2) episcopum Aurasiensem assumptum de ordine in confessorem illustrissimi domini d. ducis Borbonii.

Iste sunt declaraciones.

In primis declaramus hos conventus, videlicet Pragensem, Budvicensem, Brunnensem provincie Boemie pertinere ad provincialem eiusdem provincie, quos sibi immediate subiicimus.

Item. Declaramus omnia acta et gesta per fr. Augustinum Farrer (3), postquam fuit absolutus ab officio provincialatus in provincia Boemie, esse irrita et inania et nullius momenti vel roboris.

Item. Declaramus, quod quicumque frater ordinis nostri, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, impetravit vel de cetero impetraverit

(1) De fr. Bartholomaeo de Righetis cf. l. c. pag. 367.
(2) De fr. Petro Quadrati cf. l. c. pag. 351.
(3) De fr. Augustino Farrer cf. l. c. pag. 353.

litteras secularium dominorum vel aliorum prelatorum extra obedienciam ordinis penas suprapositas in ordinacione capituli generalis Romani et nunc in presenti capitulo confirmatas incurrisse ac de cetero penam gravioris culpe incurrere contrafacientes, mandantes prioribus provincialibus et presidentibus conventuum, ut tales supradictas penas declarent incurrisse cum effectu.

Item. Declaramus fr. Franciscum de Ravenna in capitulo provinciali in conventu Esino provincie s. Dominici celebrato fuisse privatum habitu nostre religionis propter excessus et scandala enormia, que in predicta provincia perpetravit, precipiendo omnibus prioribus provincialibus et conventualibus, ut si eum inveniant in habitu nostri ordinis, eum carceri mancipent.

Item. Declaramus fr. Petrum Drone provincie Provincie pertinere ad conventum Aquensem, in quo habitum recepit et professionem emisit.

Item. Declaramus, quod littere et gracie concesse aliquibus fratribus, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, de assumendis sociis vel revocandis aut retinendis intelligantur de iuvenibus sociis, non de sacerdotibus.

Iste sunt penitencie.

In primis fr. Dominicum de Capranica conventus Neapolitani provincie Regni propter enormem excessum, quem commisit in conspectu secularium et infamiam nostre religionis atrociter vulnerando in faciem et proditorie cum gladio venerabilem patrem fr. Gasparum de Suessa, vicarium generalem congregacionis Regni, et eciam priorem conventus s. Dominici de Neapoli, volens ipsum penitus excecare et eidem nasum incidere, declaramus eum esse excommunicatum et ad penas debitas condempnamus secundum constituciones nostras de tam immani scelere.

Item. Quod fr. Iohannes Commestoris (1) provincie Francie multa magna et gravia crimina ac scandala commisit ac incorrigibilis perseverat et detraxit falso et mendose suis superioribus, ipsum privamus omnibus graciis ordinis et carceri adiudicamus, quousque reverendus provincialis viderit in eo emendacionem, et precipimus presidentibus conventuum nostri ordinis, ut eum capiant, ubicumque fuerit inventus.

Item. Quod fr. Hermenegildus conventus Wismariensis provincie Saxonie, congregacionis Olandie, in suis sermonibus multos articulos predicavit erroneos in scandalum ordinis, ipsum ab officio predicacionis perpetuo suspendimus.

Item. Fr. Conradum de Meppis (2) conventus Magdeburgensis eiusdem congregacionis, quia non est veritus publice predicare contra fratres nostri

---

(1) De fr. Ioanne Comestoris cf. supra pag. 283.
(2) De fr. Conrado de Meppis cf. l. c. pag. 343.

ordinis et alias discordias diversas inter eos disseminando, privamus perpetuo officio predicacionis.

Item. Fr. Iacobum Suffridi de Ylbersussen conventus Ziericzeensis provincie Saxonie propter multa scandala, que priori suo imposuit, carceribus adiudicamus.

Iste sunt commissiones.

In primis committimus reverendo provinciali Francie, quod possit assignare bachalarios in illis conventibus, qui non sunt annotati in istis actis capituli generalis.

Item. Committimus cuilibet provinciali et diffinitori presentis capituli generalis, ut eorum quilibet possit facere unum iubilarium et duos apostatas absolvere et restituere ad habitum ordinis, duos eciam restituere ad gracias ordinis.

Item. Committimus reverendo provinciali provincie Polonie, quod auditis racionibus reverendi provincialis Boemie contra fr. Augustinum Pharesolim (1) provincialem dicte provincie, compellat ipsum fr. Augustinum ad restitucionem omnium rerum per eum a dicta provincia ablatarum ac puniat eum iuxta gesta per ipsum secundum qualitatem delictorum suorum, quem fr. Augustinum transferimus a provincia Boemie ad provinciam Polonie.

Item. Committimus reverendissimo magistro ordinis super negocio conventus s. Pauli provincie Hispanie extra muros civitatis Burgensis, ut provideat.

Item. Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem addendi, diminuendi, immutandi, prout sua reverendissima paternitas iudicaverit expedire, omnes eiusdem litteras approbantes, et volumus, ut simplici verbo vel litteris sue reverendissime paternitatis fides plenaria prestetur et obediencia ac si presentibus omnia, que ordinaverit, essent inserta; et eidem reverendissimo magistro committimus et concedimus omnia et singula facere, que capitulum generale facere et instituere posset.

Iste sunt absoluciones.

In primis absolvimus fr. Iohannem de Curte (2) magistrum ab officio procuratoris ordinis et ab officio provincialatus provincie Lombardie superioris.

---

3) Ziericzeensis] Siennensis B.

---

(1) De fr. Augustino Pharesoli (Farrer) cf. l. c. pag. 386.

(2) De fr. Ioanne de Curte cf. l. c. pag. 351.

Item. Absolvimus fr. Marianum de Roma (1) magistrum ab officio provincialatus provincie Romane.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro ss. domino nostro domino Innocencio ·VIII· quilibet sacerdos ·iii· missas, et clerici ·xxx· vicibus septem psalmos et conversi tociens centum pater noster et totidem ave Maria.

Item. Pro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo domino protectore ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo imperatore Romanorum quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro christianissimo rege Francorum quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo rege Hispanie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo rege Neapolitano quil. sacerd. unam missam.

Item. Pro serenissimo rege Ungarie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo rege Polonie eiusque filio Wladislao rege Boemie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro bono statu tocius ordinis, reverendissimi magistri, reverendorum provincialium et hiis, qui dederunt huic capitulo eleemosinas, et pro hiis, qui recepti sunt ad beneficia ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro mortuis.

In primis pro anima felicis recordacionis ss. domini nostri domini Sixti pape IV. quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima bone memorie domini Mathei de Ursinis (2) cardinalis, qui perpetuam eleemosinam dimisit nostris capitulis generalibus, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima reverendissimi quondam magistri Salvi Cassette (3) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima christianissimi regis Francorum nuper defuncti quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum, sororum et benefactorum et receptorum ad beneficia ordinis per litteras quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro anima domine Helizabeth ducisse olim Saxonie quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) De fr. Mariano de Roma cf. supra pag. 371.
(2) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. l. c. pag. 373.
(3) De fr. Salvo Cassetta cf. l. c. pag. 377.

Sentencias iudicum approbamus et volumus eas in suo robore permanere et suum per omnia sortiri effectum.

Mandamus acta presentis capituli per reverendos provinciales et diffinitores fieri conscribi et ad suas provincias signata sigillo ordinis transferri.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, assignamus Parisiis in festo pentecostes, quod erit anno · m°· cccc°· lxxxvii°· (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS VENECIIS IN CONVENTU SS. IOHANNIS ET PAULI PROVINCIE S. DOMINICI IN FESTO PENTECOSTES DIE III. IUNII ANNO DOMINI · M°· CCCC°· LXXXVII°· CELEBRATI

Sub reverendissimo patre fratre Ioachimo Turriano de Veneciis (2) provincie s. Dominici s. theol. professore ac tocius ordinis predicatorum generali magistro in presenti capitulo unanimiter electo, diffinientibus communiter adm. reverendis prioribus provincialibus et diffinitoribus suarum provinciarum.

Iste sunt inchoaciones.

In primis inchoamus hanc, quod nullus frater audeat questus facere aut bullas aliquas predicare nisi de licencia magistri aut prioris provincialis sub pena excommunicacionis late sentencie, quam sedentes pro tribunali proferimus in his scriptis, et privacione omnium bonorum communitati applicandorum.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus hanc, quod de sanctis, qui non habent nisi memoriam, fiat festum trium lectionum, nisi cum alio festo trium lectionum vel maiori occurrent, quia tunc memoria tantum erit facienda.

Item. Quod in prima tercia feria post dominicam « domine ne in ira » si fuerit omnino vacans, dimittatur officium b. Dominici et fiat de feria, dicanturque tria responsoria pro tercia feria notata.

(1) Propter mortem magistri fr. Bartholomaei Comazzi (quarto nonas augusti an. 1485) capitulum electionis novi magistri generalis Venetiis 1486 celebratum est, in quo quarto cal. iulii fr. Barnabas Saxonus de Neapoli magister ordinis generalis est electus. Sed « senex tum erat Barnabas et ut aiunt decrepitus, hinc brevi magistratum cum vita deposuit intra mensem mortuus 29 iulii sequentis et in aede SS. Ioannis et Pauli sepultus ». SSOP. I, 769. — Acta capituli an. 1486 Venetiis celebrati desunt.

(2) De fr. Ioachimo Turriano de Venetiis cf. supra pag. 353.

Item. Quod in conventu s. Eustorgii Mediolani provincie Lombardie ob reverenciam b. Petri martyris fiant tres lectiones de ipso sancto in qualibet quinta feria, nisi festum simplex vel maius occurrerit.

Item. Quod quicumque frater ordinis nostri stat extra ordinem vigore quarumcumque litterarum aliquorum prelatorum ordinis eciam magistri ordinis, quamdiu sic steterit, nullo officio ordinis fungatur, et sit privatus omnibus privilegiis et graciis fratribus conventuum ab ordine concessis, precipue alimentis et cella, voce activa et passiva, nec tamen exemptus sit a gravaminibus, que secundum morem provinciarum solvere teneatur.

Item. Quod conventus reformati, qui alias contribuciones prioribus provincialibus solverunt, quod nunc eciam easdem contribuciones et collectas pro rata conventus solvere teneantur. Mandantes presidentibus dictorum conventuum sub pena absolucionis a suis officiis, quam contrafacientes ipso facto incurrant, quatinus ad requisicionem priorum provincialium dictas contribuciones et collectas integre solvant; ac sub eisdem penis precipientes presidentibus conventuum vite communis, qui subsunt vicariis, ut eciam ipsi similiter prioribus provincialibus suarum provinciarum contribuciones et collectas persolvant; dantes facultatem et potestatem prioribus provincialibus, ut possint predictos presidentes per penas et censuras ecclesiasticas cogere et pertinaces declarare a suis officiis absolutos.

Item. Quod omnes conventus remoti a potestate provincialium et vicariorum generalium congregacionum et immediate subiecti magistro ordinis, redeant sub cura et potestate provincialium vel vicariorum generalium, sub quibus alias fuerint. Et hec habent duo capitula generalia.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus hanc, quod in festis sanctorum, que celebrantur per diversas provincias, conventus nostri ibidem conforment se matrici ecclesie.

Item hanc, quod fratres recepti et professi in conventibus reformatis non recipiantur extra suam congregacionem absque licencia magistri ordinis; mandantes omnibus prioribus provincialibus et conventualibus atque vicariis in virtute spiritus sancti et sancte obediencie, ne huiusmodi fratres sine predicta licencia recipiant, neve vicarii congregacionum fratres ad suas congregaciones non pertinentes, neque prior provincialis fratrem alterius provincie sine licencia magistri ordinis vel sui prioris provincialis recipiat; astringentes fratres reformatos, ut priores provinciales ad se declinantes cum honore recipiant et reverenter pertractent.

Item. Confirmamus, quod quicumque frater nostri ordinis sex novicios receperit et eos in moribus et doctrina educaverit, pro iubilario habeatur.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus ss. dominum nostrum Innocencium VIII. pontificem maximum ad supplicacionem reverendissimi magistri ordinis, tunc vicarii generalis tocius ordinis, concessisse universis et singulis fratribus nostri ordinis et sanctimonialibus sub habitu et cura nostri ordinis viventibus plenariam indulgenciam semel in vita et semel in morte, pro qua consequenda quilibet sciens dicat ·xxx· vicibus septem psalmos penitenciales et [alii] totidem centum pater noster et ave Maria.

Item. Denunciamus fr. Ioachimum Turrianum Venetum (1) magistrum et olim vicarium generalem nostri ordinis fuisse in hoc capitulo ab omnibus, nemine discrepante, libere et per viam scrutinii in magistrum ordinis electum; cui volumus et mandamus per omnia obediri tamquam vero magistro ordinis.

Item. Denunciamus omnes censuras et penas atque sentencias hactenus per acta capitulorum generalium et litteras magistrorum ordinis vel vicariorum ordinis ac eciam ordinaciones eorumdem quomodolibet promulgatas deinceps nullius fore roboris vel momenti, ita ut tantum ille censure et pene remaneant in suo robore, que in regula et constitucionibus et actis presentis capituli intelliguntur et quas magister ordinis deinceps duxerit infligendas.

Iste sunt declaraciones.

In primis declaramus omnes et singulos fratres nostri ordinis, cuiuscumque gradus, officii et dignitatis existant, qui hactenus procuraverunt apud dominos et personas seculares vel eciam ecclesiasticas citra summum pontificem, ut conventibus subiiciantur, vel ut inde fratres nativi expellantur, aut aliquos conventus sine licencia ordinis aut summi pontificis acceperunt, esse excommunicatos iuxta bullam domini Sixti pape IV.; a qua excommunicacione nolumus quem posse absolvi nisi per magistrum ordinis, cum talis via pariat confusionem vel disturbium magnum in ordine.

Item. Declaramus fratres, qui sine consensu maioris vel sanioris partis fratrum nativorum conventus vel cum violencia facti sunt filii nativi alicuius conventus, ubi primum constiterit de violencia, esse privatos filiacione talis conventus.

Item. Declaramus bona fratrum exeuncium congregacionem conventuum reformatorum et moriencium extra ordinem pertinere ad provinciam, in cuius terminis moriuntur, nisi habeant aliquem conventum sibi deputatum, postquam exierunt. Si quis autem frater alicuius conventus alterius provincie moriatur extra ordinem in aliena provincia,

---

(1) De fr. Ioachimo cf. supra pag. 390.

medietas bonorum in provincia, ubi moritur, acquisita pertineat ad provinciam, in qua moritur, et alia medietas ad conventum suum nativum. De quibus omnibus bonis provincialis quilibet teneatur reddere racionem in capitulo sue provincie.

Item. Declaramus annum ·m·cccc·lxxxvii· pro solucione contribucionis ordini procuratorique ordinis a provinciis debite incepisse in calendis ianuarii proxime preteritis et finiendum pridie calendis ianuarii proxime futuris; et ita deinceps esse annos contribucionum computandos.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ORDINIS FRATRUM PREDICATORUM APUD CENOMANUM CELEBRATI DIE ·XXII· MENSIS MAII ANNO DOMINI ·M°·CCCC°·XCI°·

Sub reverendissimo patre fratre Ioachimo Turriano Veneto (1), sacre theologie professore ac tocius eiusdem ordinis magistro generali benemerito, diffinientibus reverendis patribus:

fr. Alfonso Aguilar (2) magistro diffinitore provincie Hispanie,
fr. Petro de Bosco magistro diffinitore provincie Tholosane,
fr. Americo Mauritii magistro diffinitore provincie Francie,
fr. Thoma de Freno magistro diffinitore provincie Romane,
fr. Mariano Venanzio magistro diffinitore provincie s. Dominici,
fr. Leonardo de Gayseta Gueno diffinitore provincie regni Sicilie,
fr. Servatio Franquel (3) licenciato diffinitore provincie Theutonie,
fr. Michaele de Ungaria (4) diffinitore provincie Ungarie,
fr. Petro Hem diffinitore provincie Anglie,
fr. Guillelmo Caseles (5) magistro diffinitore provincie Aragonie,
fr. Michaele de Culmine (6) magistro diffinitore provincie Polonie,
fr. Christiano Ioannis lectore diffinitore provincie Dacie,
fr. Hieronimo Bohemo diffinitore provincie Bohemie,
fr. Petro Boneti (7) magistro diffinitore provincie Saxonie,
fr. Laurentio Butini magistro diffinitore provincie Lombardie superioris,

(1) De fr. Ioachimo de Venetiis cf. supra pag. 392.
(2) De fr. Alphonso de Aquilar cf. l. c. pag. 367.
(3) De fr. Servatio Franquel cf. SSOP. I, 904.
(4) De fr. Michaele de Ungaria cf. supra pag. 383.
(5) De fr. Guilelmo de Caselles cf. l. c. pag. 375.
(6) De fr. Michaele Culmine cf. l. c. pag. 365.
(7) De fr. Petro Boneti cf. l. c. pag. 367.

fr. Luca Spaterio magistro diffinitore provincie Trinaclie,
fr. Ricardo Herre magistro diffinitore Hibernie.

Iste sunt inchoaciones.

In primis [inchoamus] hanc, quod de sancta Appolinia virgine et martire fiant tres lectiones et de sancto Servacio festum simplex.

Item hanc, quod in omnibus festis patronorum nostri ordinis Credo in missis dicatur.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus hanc, quod de festis patrie, que per diversas provincias celebrantur, conventus nostri conforment se matrici ecclesie; et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc, quod de illis sanctis, qui non habent nisi memoriam, fiat festum trium lectionum, nisi cum alio festo trium lectionum occurrerit vel maiore, et tunc tantum memoria de eo fiat; et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc, quod de festo sanctificacionis beate Marie virginis fiat sub toto duplici officium; et hec habet tria capitula generalia.

Item. Confirmamus hanc, quod in prima tercia feria post historiam « domine ne in ira » si omnino fuerit vacans, fiat de feria; et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc, quod in conventu sancti Eustorgii de Mediolano provincie Lombardie superioris in qualibet quinta feria, in qua festum simplex vel maius non occurrerit, fiant tres lectiones de sancto Petro martire; similiter in provincia Provincie de sancta Maria Magdalena; idem fiat in provincia Tholosana et regni Sicilie de sancto Thoma; et hec habet tria capitula generalia.

Item. Quoniam hec per tria capitula generalia precedencia confirmata fuit, quod nullus habeatur pro publico bachalario vel magistro, nisi in aliqua universitate compleverit cursum suum secundum morem illius universitatis, et nisi fuerit presentatus per capitulum provinciale magistro ordinis vel capitulo generali, ideo hanc replicantes confirmamus; adiicientes, quod quicunque aliter promotus fuerit, ad nullum tractatum conventuum vel ordinis vel provincie admittatur, nisi magister ordinis aliter disposuerit; mandantes sub pena excommunicacionis late sentencie, quam sedentes pro tribunali proferimus in scriptis, una pro trina canonica monicione premissa, ne quis postquam compleverit cursum suum in aliquo conventu, presumat in eodem conventu diucius morari nisi de licencia magistri ordinis vel prioris provincialis illius provincie; et hec addicio habet duo capitula.

Preterea confirmamus hanc, quod quicumque fratres nostri ordinis vigore quarumcumque litterarum vel quorumcumque prelatorum, eciam

magistri ordinis, steterit extra ordinem, quamdiu sic steterit, nullo officio ordinis fungatur et sit privatus omnibus graciis et privilegiis conventuum ab ordine concessis, precipue alimentis et cella et voce tam activa quam passiva, nec tamen exempti sint a gravaminibus, que secundum morem provinciarum tenentur solvere; et hec eciam habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc de conventibus reformatis, qui alias provincialibus contribuciones solverunt, quod nunc eciam contribuciones et collectas pro rata eorum solvere teneantur; mandantes presidentibus dictorum conventuum sub pena absolucionis a suis officiis, quam contrafacientes incurrant, quatenus ad requisicionem ipsorum provincialium dictas contribuciones et collectas integre solvant; ac sub eisdem penis precipientes presidentibus dictorum conventuum communis vite, qui sunt sub vicariis, ut et ipsi firmiter prioribus provincialibus contribuciones et collectas solvant; dantes facultatem et potestatem prioribus provincialibus, ut possint presidentes per penas et censuras ecclesiasticas cogere et pertinaces declarare absolutos; et hec habet tria capituli.

Item. Confirmamus hanc, quod omnes conventus remoti a potestate provincialium vel vicariorum generalium et immediate subiecti magistro ordinis redeant sub potestate et cura provincialium vel vicariorum, sub quibus antea fuerunt; et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc, quod nullus frater audeat questus facere aut bullas aliquas predicare nisi de licencia magistri ordinis sub pena excommunicacionis late sentencie, quam sedentes pro tribunali ferimus in hiis scriptis et sub privacione omnium bonorum suorum (et) communitati applicandorum; et hec habet duo capitula.

Iste sunt ordinaciones.

In primis ordinamus, quod divinum officium diurnum pariter et nocturnum breviter et succincte dicatur cum pausa in medio versus, ne studium impediatur et devocio fratrum secundum tenorem nostrarum constitucionum amittatur; a quo nullus sit exemptus, debilibus, infirmis et legitime occupatis dumtaxat exceptis; hortantes insuper presidentes conventuum, ut efficaciter insistant et laborent circa mundiciam rerum sacrarum, maxime vero corporalium et mapparum et panniculorum altaris et eorum, que ad usum consecracionis divini sacramenti et missarum ceremonias deputantur, necnon circa discurrentes per ecclesias tempore divini officii, ut talis abusus tollatur.

Item. Quoniam in constitucionibus nostris in capitulo de domibus concedendis habetur, quod mulieres claustrum et oratorium vel alias of-

1) magistri] nigri B. — 17) Item — capitula *om.* B. — 31) legitime occupatis] legitimis causis B. — 34) consecracionis] confectionis A.

ficinas nostras numquam ingrediantur nisi in die consecracionis ecclesie, et in multis provinciis hoc minime servetur cum maxima infamia nostre religionis, ideo per presentes statuimus et ordinamus, ut de cetero in toto ordine clausura conventuum teneatur cum portario fratre sive seculari, ita ut nullo modo liceat mulieribus conventus ingredi, nec admittatur, ut ingrediantur, nisi forte essent alique nobiles mulieres, que cum comitiva venirent gracia visitandi conventum, et hoc raro, vel nisi in claustro sermo esset vel aliquis concursus pro aliqua devocione vel eciam tempore pestis pro infirmis visitandis; mandantes per presentes prioribus provincialibus [in] virtute spiritus sancti et sancte obediencie sub pena suspensionis ab eorum officiis, ut in termino octo dierum a noticia presencium debeant taliter super hoc facere provisionem, ut clausura conventuum et dormitorium teneatur et servetur ita, ut mulieres de cetero non ingrediantur. Adiicientes sub eisdem censuris et penis, ut monasteria sororum nostrarum clausa teneantur per habentes earum curas, ita quod nulli viro ad eas pateat introitus, excepto visitatore cum socio et illis, sine quibus monasterium sustineri non possit, sicut de medicis et aliis; neque ipse exeant monasteria earum sine magna causa et necessitate et speciali licencia magistri ordinis vel prioris provincialis.

Item. Vanis discursibus fratrum obviare pro viribus curantes, volumus, ordinamus ac prioribus provincialibus et conventualibus quarumcumque provinciarum in virtute spiritus sancti et sancte obediencie districte precipimus, ne aliquem fratrem alicuius provincie sine licencia et littera testimoniali sui provincialis recipere aut in sua provincia vel conventu teneant, et illi, qui sic, ut premittitur, suas provincias exierint, debeant ad suas provincias quantocius redire.

Insuper per presentes statuimus et ordinamus ac omnibus et singulis fratribus nostre religionis in virtute spiritus sancti et sancte obediencie precipimus sub pena excommunicacionis late sentencie, una pro trina canonica monicione premissa, ac sub pena carceris, ut nullus introducat mulieres suspectas et male fame in conventum vel ad dormitorium seu ad cellas suas; precipientes presidentes conventuum in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena transgressoribus precepti debita, quatenus, si qui vere transgressores inventi fuerint, eos incarcerari faciant, et non liberentur neque absolvantur sine licencia expressa magistri reverendissimi aut prioris provincialis, debita imposita pena tanto exces-

---

1) ecclesie *om.* A. — 5) mulieribus] mulieres A. — 7) comitiva] decenti *add.* A. — 11) in termino] infra terminum A. — 17) possit] potest A. — medicis] medico A. — 20) vanis discursibus] variis discessibus A. — 25) teneant] tenere audeat A. — premittitur] innuitur A. — 27) insuper] item A. — 29) sentencie] quam sedentes pro tribunali *add.* A. — 30) premissa] proferimus *add.* A. — 36) imposita] sumpta A.

sui; idem intelligatur de accedentibus ad lupanaria et ad loca suspecta; quod si priores in predictis rei et transgressores inventi fuerint, per provincialem sue provincie incarcerentur.

Item. Statuimus et ordinamus, quod conventus novi in diversis provinciis facti debent contribuciones solvere hoc modo, quod illi, qui sunt sub cura provincialium solvant provincialibus contribuciones debitas, et qui sunt sub vita regulari, solvant magistro ordinis contribuciones sibi debitas, quantum autem ad taxacionem conveniant cum magistro reverendissimo et provincialibus.

Item. Ad auferendum detractoribus omnem materiam ordinem nostrum infamandi, districte precipimus et mandamus omnibus fratribus, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena excommunicacionis late sentencie, quam ferimus in hiis scriptis, una pro trina canonica monicione premissa, quatenus nullus per se vel per alium impetret aut procuret obtinere litteras a regibus, principibus, prelatis vel quibuscumque aliis personis secularibus contra fratres et conventus nostre religionis, aut ipsis quovis modo detrahant vel eos infament; et quod fratres regularis vite prioribus provincialibus subiectos conventus non ambiant, neque conventuum reformacionem procurent vel accipiant, nisi de licencia reverendissimi magistri ordinis et priorum provincialium; et si oppositum attemptaverint, ex nunc pro tunc eodem modo dictam sentenciam ac penam carceris presenti ordinacione eos declaramus incidisse.

Insuper ordinem nostrum quoad studium reformare cupientes volumus et ordinamus, ut presidentes conventuum circa recepcionem et instructionem fratrum noviciorum ita attendant atque precaveant, quod nullus pro clerico ad professionem recipiatur, nisi fuerit habilis ad litteras et sciat officium suum, nec ad sacros ordines quomodolibet promoveatur, nisi prius sciverit grammaticam et ea, que suum concernunt ministerium.

Et quia in diversis et pene omnibus provinciis nostri ordinis studia, heu proh dolor, delapsa sunt atque in dies ulteriorem ruinam eidem imminere comperimus, propter quod ordo noster venit in contemptum, cui obviare curantes statuimus, ut in qualibet provincia studia debite reformentur, ita quod in singulis provinciis magis idonei et intelligentes in

1) intelligatur] intelligente A. — et ad] vel A. — 2) quod] quare B. — priores] plures B. — 3) provincialem sue provincie] provinciales et priores A. — 4) in] noviter a B. — 8) contribuciones — provincialibus] pro contribucionibus sibi debitis cavendum erit ad taxacionem annuatim a provincialibus de taxa. B. — 13) quam] sedentes pro tribunali *add.* A. — 20) vel accipiant *om.* A. — 22) pro] prout ex A. — 26) precaveant] caveant B. — 28) quomodolibet] quovis modo A. — 29) que] ad ecclesiam dei et *add.* B. — 31) pene] in *add.* A. — 32) heu *om.* B. — 34) qualibet provincia] in conventus provinciarum B. — 35) magis] magistri B.

conventibus ad hoc aptis, theologie lectores [et] philosophie ac aptus magister studencium ponantur et per capitulum provinciale assignentur; quibus si predicti conventus ad honestam ac sufficientem provisionem non sufficerent, tota provincia ad hoc contribuat; et isti lectores et magistri studencium lectiones suas et alia scolastica exercicia sub amissione et destitucione suarum promocionum diligenter usque ad terminum eis prefixum continuent; reverendis provincialibus pro tempore mandantes, quatenus in premissis oculum vigilem habeant et pro honore dei et ordinis se diligentes exhibeant executores; adiicientes, quod nullus de cetero inhabilis et indoctus atque immorigeratus per saltum promoveatur, sed priusquam ad audiendam theologiam admittatur, tribus annis ad minus et artes et philosophiam audiat et secundum morem quarumdam provinciarum eciam totidem annis predicta legat studentibus; et ubi parcitas aut ineptitudo conventuum predicta studia in diversis conventibus poni non permiserit, in eodem conventu simul poni poterit studium theologie et philosophie.

Preterea licet in multis provinciis lectores theologie iuxta apostolica indulta ad modum et formam magistrorum in theologia publice legere ac in scolis in presencia secularium promotorum disputare habeant, nichilominus indoctos et ad hoc minime sufficientes in scandalum ordinis et tocius ecclesie fuisse promotos et predicta magistrorum in theologia officia presumpsisse per querelas diffinitorum accepimus, ideoque consciencias reverendorum priorum provincialium onerantes, eis sub debito obediencie imponimus, quatenus singulos tales lectores examinent aut per discretos examinare faciant, et si quos indoctos et insufficientes promotos repererint, ipsos deponant atque pro non promotis haberi declarent, nec eos nec quemlibet eis similem ad promociones aliquas in futurum admittant, presertim eos, qui taliter a quinque annis citra sunt promoti; adiicientes, quod lectores locum infra subpriorem habeant, et subprior immediatum locum infra priorem ubique teneat, exceptis magistris licenciatis in theologia, qui supra subpriorem habeant locum, quos volumus a singulis in reverencia haberi.

Item. Pro reformacione studii Parisiensis statuimus, quod novicii extranei in dormitorio noviciorum habeant unam nacionem cum ·xv· spondis et dent annuatim quatuor scuta pro victu et medium scutum pro fabrica dormitorii eorum, et pro hoc sint portati a solucione quatuor solidorum dari alias consuetorum, et volumus, quod ad predictam scolam noviciorum singuli provinciales pro rata provincie sue mittendi unum fratrem habeant auctoritatem.

---

14) aut] et B. — 15) simul] similiter B. — 24) tales — repererint *om.* A. — 26) declarent] examinacione facta *add.* A. — 28) taliter *om.* A. — 33) item — auctoritatem *om.* A.

Item. Ordinamus, quod magistri in theologia per bullas aut brevia apostolica sine licencia et favore reverendissimi magistri ordinis vel capitulorum generalium promoti et indocti nullis libertatibus, exempcionibus, graciis, privilegiis eisdem ab ordine concessis gaudere debeant et solum pro simplicibus conventualibus habeantur, nec ab officiis et locis fratrum conventualium quomodolibet sint exonerati aut supportati signanter, qui ab octo annis citra taliter promoti sunt, de quorum numero noviter promotos fratrem Matheum de Valentibus et Iohannem Baptistam Nigri ambos de Veneciis nominamus et fratrem Thomam de Bonis et fratrem Thomam de Ballereni ambos de Florencia, quos iuxta premissa haberi atque teneri volumus, et quod cum predictis magister noster reverendissimus non habeat dispensandi potestatem; fratrem eciam Hermannum Nyremburgensem eorum numero adscribimus, quem in omni provincia, ubicumque venerit, pro simplici fratre conventuali volumus et decernimus per omnia indispensabiliter perpetuo haberi.

Similiter ordinamus atque decernimus, quod quia frater Hermannus Meyer (1) quondam provincialis provincie Saxonie, dum esset in eodem officio, per falsam usurpacionem ac fraudem sigillorum omnium diffinitorum capituli provincialis eiusdem provincie conscripsit atque conscribi fecit quoddam falsum procuratorium, cumque, ut prefertur, obtenta per suos procuratores dictam provinciam impignoravit ac eius nomine in banco in urbe Rome ducentos viginti quinque florenos sub interesse accepit, pro quibus nunc provincia indebite ac graviter molestatur et ad solvendum compellitur, prout evidenti testimonio eiusdem provincie coram presente capitulo diffinitorio extitit probatum; sed quoniam nemini fraus sua suffragari debeat, nec iustum est, ut de male facto commodum quis reportet, ex iusticia requisiti decernimus et presenti statuto declaramus, quod dictus magister Hermannus prefata debita in Romana curia cum eorum interesse [sine] dampno, integre et indilate persolvat; eidem sub pena excommunicacionis late sentencie, quam sedentes pro tribunali ferimus in hiis scriptis, una pro trina canonica monicione premissa, mandantes, quatenus non solum in premissis debitis, sed eciam in omnibus dampnis ac gravaminibus, que huiusmodi procuratorii occasione dicta provincia incurrat aut in posterum incurrere possit, liberet ac indempnem servet; quam sentenciam, si contrastaverit et huic ordinacioni nostre ac de cetero obedire contempserit, ipsum de facto per presentes declaramus

---

4) eisdem] eis A. — et] sed A. — 7) taliter *om.* A. — 8) noviter *om.* A. — 10) Ballereni] Barlenii A; ambos *om.* A. — 13) Hermannum Nyremburgensem] Germanum Nyembonich B. — 16) omnia] sua A. — 16) similiter — haberi et teneri *om.* A. — Hermannus] Germanus B. - 28) Hermannus] Germanus B.

---

(1) De fr. Hermanno Meyer cf. supra pag. 335.

incidisse, appellacione ac procuracione quibuscumque seclusis, quas sub anathemate prohibemus eidem; pro falsificacione vero predictorum sigillorum eidem sub premissis censuris iniungimus, ut coram prefatis diffinitoribus veniam petat et consilio magistrorum et patrum maneat destitutus, ac novissimum locum inter magistros dicte provincie teneat, donec reverendissimo nostro ordinis magistro, quem graviter et enormiter offendit, reconciliatus ad premissa fuerit ab eodem restitutus; adiicientes, quod quia idem magister Hermannus mandato reverendissimi magistri ordinis obedire contempsit et ab officio provincialatus per eundem absolutus cedere noluit, ideoque per presentes irritamus et cassamus omnia statuta, ordinata, sentencias, promociones, officia et omnia alia, que in dicta provincia fecit, statuit et ordinavit, declarantes per eundem promotos aut ad promociones aliquas presentatos omnes et singulos promocione privatos, et, nisi ad predicta provincia (!) in capitulo provinciali denuo examinati et ydonei reperti fuerint, pro non promotis perpetuo haberi et teneri.

Item. Uniformitati ac honestati ordinis intendentes, ordinamus, quod debita rasura atque tonsura secundum formam nostrarum sanctarum constitucionum ita honeste, prout viros religiosos decet, sollicite ac devote observatur.

Item. Quia rerum communitas in victu et vestitu in regula beati Augustini nobis districte precipitur, volumus et ordinamus, ut de elemosinis collectis tam in terminis quam in missis et de omnibus aliis ad conventum venientibus seu de redditibus tantum extrahatur, ut conventus possit in communitate habere vitam sufficientem, si facultas assit de huiusmodi elemosinis, ut in communi vivatur; mandantes omnibus presidentibus, prioribus provincialibus et conventualibus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena transgressoribus precepti debita, ut in provinciis et conventibus omnes patres et fratres, cuiuscumque gradus existant, eciamsi magistri essent in theologia, in communi refectorio cum silencio et lectione mense simul comedant, revocantes omnes concessiones de continua in cellis comestione datas; nolentes quod fratres similes teneant singularitates, sed omnes in communi refectorio simul comedant, et si contrarium aliquando fiat, fiat de licencia presidentis, exceptis infirmis ac debilibus, qui ad communem refectionem commode venire non possunt.

Et ut presentes ordinaciones, quas pernecessarias pro aliqua religionis reformacione iudicavimus, execucioni mandentur, volumus et or-

8) Hermannus] Germanus B. — 17) atque tonsura *om.* A. sanctarum *om.* A. — 20) communitas] quantitas B. — 22) omnibus] vicibus A. — 23) extrahatur] exhibeatur A. — 24) communitate] communi A. — 25) huiusmodi] talibus A. — 26) presidentibus *om.* A. — 31) nolentes — singularitates *om.* B. — 34) commode *om.* B. — 36) pernecessarias] plus necessarias B. — 37) execucioni mandentur *om.* A.

dinamus et per presentes omnibus provincialibus mandamus, ut procurent, ut quilibet sue provincie conventus eas habeat et quolibet mense semel in capitulo vel in mensa legantur, procurentque, ut serventur pro religionis honestate et sustentacione.

Iste sunt assignaciones.

In conventu Parisiensi provincie Francie ad legendum sentencias pro primo anno intraneis debito assignamus fratrem Egidium Carovelli, eodem anno in parvis scolis ad legendum sentencias fratrem Nicholaum Latticii; in secundo anno extraneis debito magister ordinis providebit; eodem anno intraneis debito in parvis scholis ad legendum sentencias fratrem Iohannem Alustarii; in tercio anno intraneis debito in magnis scholis ad legendum sentencias fratrem Iohannem de Genas; eodem anno in parvis scholis ad legendum sentencias fratrem Iohannem Morselli; in quarto anno extraneis debito magister ordinis providebit; in eodem anno in parvis scholis fratrem Guillelmum Pipini (1); ad legendum bibliam pro primo anno assignamus fratrem Guillelmum Garllandi, pro secundo anno fratrem Priamum Blique, in tercio anno fratrem Iohannem Fugam, in quarto anno fratrem Dionisium Wimonth.

In conventu Tholosano ad legendum sentencias pro primo anno assignamus fratrem Raymundum Gazini (2), cui substituimus fratrem Anthonium Cavelleri; pro secundo anno [fratrem] Cavelleri predictum, cui substituimus fratrem Nycholaum Masensis; pro tercio anno dictum Masensis, cui substituimus fratrem Martinum Sotie. In eadem universitate in schola sancti Stephani pro primo anno fratrem Anthonium de Gervasio, pro secundo anno fratrem Iohannem de Fita. In eodem studio atque conventu pro biblia pro primo anno fratrem Nycholaum Masensis, cui substituimus fratrem Martinum Sotie, pro secundo fratrem Martinum Sotie, cui fratrem Guillelmum de Missa substituimus; pro tercio anno fratrem Guillelmum de Missa, cui substituimus fratrem Raymundum de Ulmo. In magistrum studencium pro primo anno fratrem Guillelmum Cavelleri, cui substituimus fratrem Nycholaum Masensis, pro secundo dictum Masensis, cui substituimus fratrem Martinum Sotie, pro tercio anno dictum Sotie, cui substituimus fratrem Guillelmum de Missa.

In conventu Bononiensi pro primo anno ad legendum sentencias assignamus fratrem Paulum de Mediolano, pro tercio et quarto annis fratrem Paulum de Sumplino; ad legendum bibliam pro primo et secundo

4) et sustentacione] simul et utilitate A. — 6) in — Buticellis de Florencia *om.* A.

(1) De fr. Guilelmo Pipini cf. SSOP. II, 87.
(2) De fr. Raymundo Gazini (Gossini) cf. l. c. pag. 90.

anno fr. Silvestrum de Prierio (1), pro tercio et quarto fratrem Georgium de Casali; in magistrum vero studencium pro primo anno fratrem Thomam de Verona, pro secundo fratrem Dominicum de Moterio (2), pro tercio anno fratrem Anthonium de Mantua, cui substituimus fratrem Eustachium de Bononia. In studentes vero theologie pro rata provincie Theutonie fratrem Iohannem Wert de Wienna (3), et fratrem Nycholaum de Haga pro rata provincie Saxonie, et fratrem Rodericum Pennerisgra pro rata provincie Aragonie, et fratrem Petrum Taleferri pro rata provincie Tholosane.

In conventu Salamantino curam de regente et aliis officialibus studii committimus reverendissimo magistro ordinis.

In conventu Valleolleti in regentem pro primo et secundo et tercio annis fratrem Anthonium de Vyenna magistrum, ad legendum sentencias pro primo anno fratrem Didacum de Benevento, pro secundo fratrem Bernhardinum de Martinonoy, pro tercio fratrem Petrum de sancta Maria de Vyenna.

De assignandis et promovendis in universitatibus Oxonie et Canthabrigie provincie Anglie committimus reverendo provinciali dicte provincie, ut provideat loco et tempore, cuius conscienciam plurimum oneramus; regentes nichilominus assignamus conventui fratrem Michaelem de Ianua et fratrem Raynaldum de Sicilia magistros.

In conventu Florentino provincie Romane assignamus in regentem fratrem Thomam de Reathe pro tribus annis sequentibus continuis, de bachalariis et biblico reverendissimus magister ordinis providebit; pro primo anno magistrum studencium fratrem Prosperum de Roma, pro secundo et tercio fratrem Franciscum Bernhardi de Florencia; pro primo anno in studentem honoris fratrem Franciscum predictum, pro secundo et tercio annis fratrem Matheum de Buticellis de Florencia.

In conventu Coloniensi provincie Theutonie in regentem pro primo et tercio annis fratrem Theodoricum de Susteren (4), pro secundo anno fratrem Anthonium Rayneri licenciatum; magistrum studencium pro primo et secundo anno fratrem Franciscum Harlen, pro tercio fratrem Mathiam de Luczemburgo; sentencias ibidem legat pro primo anno frater Franciscus predictus, pro secundo frater Mathias de Luczemburgo, pro tercio

30) Susteren] Suscum A: Susterly B.— 31) Anthonium Rayneri] Hieronimum Reneri A.— 32) Harlen] Halen A. — 33) legat *om.* A.

(1) De fr. Silvestro de Prierio cf. l. c. pag. 55.
(2) Videtur esse idem ac Dominicus de Mortario, de quo l. c. pag. 9.
(3) De fr. Ioanne Wert cf. BRUNNER cf. l. c. pag. 4.
(4) De fr. Theodorico Susteren cf. supra pag. 363 et MOPH. VII, indicem.

frater Henricus de Gravia (1), ad legendum bibliam pro primo anno fratrem Mathiam de Luxemburg, pro secundo fratrem Henricum de Gravia, pro tercio reverendus provincialis et prior conventualis providebunt. Studentes frater Sebastianus de Constancia et frater Iohannes Clerici de Antisiodoro pro rata provincie Francie, et alii in capitulo provinciali assignati.

In sacro palacio ad legendum sentencias fratrem Thomam de Cathanis de Ianua et fratrem Petrum de Rantzano (2) hac lege, ut ille Thomas de Cathanis pro lectione sentenciarum possit magistrari.

In conventu Argentinensi provincie Theutonie in regentem fratrem Capperem magistrum, ad legendum sentencias fratrem Witum; de ceteris officiis reverendus pater vicarius providebit.

In conventu Wiennensi regentem fratrem Udalricum Centener (3) magistrum; magistrum studencium fratrem Petrum de Cabbis; bibliam pro gradu et forma magisterii fratrem Dominicum May (4); sentencias pro primo anno fratrem Petrum Tays, pro secundo fratrem Wolfgangum Heyder (5), pro tercio fratrem Petrum Herbant; studentes in capitulo provinciali assignentur.

In conventu Perusino damus in regentem pro primo et secundo annis fratrem Iohannem Baptistam de Cortono (6) magistrum, pro tercio fratrem Iacobum de Sicilia; bachalarium pro primo et secundo annis fratrem Iohannem de Kalis, pro tercio anno fratrem Iohannem de Pedroia; in biblicum pro primo et secundis annis fratrem Dominicum de Madinno, pro tercio anno reverendissimus providebit; in magistrum studencium pro primo et secundo annis fratrem Rosatum de Viterbio, pro tercio anno fratrem Ieronimum de Neapoli (7); in bachalarium pro primo et secundo annis extraordinarie assignamus fratrem Benedictum de Ungaria; studentes vero theologie assignamus ibidem fratrem Bartholomeum de Fernis de Sicilia, fratrem Bartholomeum de Cacabo de Sicilia, Petrum Anthonii de Garamanico, Paulum de Pessiniano, Herculanum de Perusio, Vincencium de Passalgalbar de Ungaria et fratrem Blasium de Alba regali eiusdem provincie.

1) ad — Gravia *om.* B. — 4) studentes — providebit *ante* iste *om.* A. — 20) Cortono] Crotonio B.

(1) De fr. Henrico de Gravia cf. SSOP. II, 143.
(2) De fr. Petro de Rantzano cf. l. c. I, 876.
(3) De fr. Udalrico cf. supra pag. 385 et Brunner l. c. pag. 4.
(4) Haud dubie idem ac Dominicus Man, de quo Brunner l. c.
(5) De fr. Wolfgango cf. l. c. ad annum 1502.
(6) De fr. Ioanne Baptista de Cortono cf. supra pag. 381.
(7) De fr. Hieronymo de Neapoli cf. l. c. pag. 347.

In conventu Senensi damus in regentem fratrem Paulum de Puteolis (1) provincie Regni, si magistratus est, sicut presupponimus; in bachalarium pro primo anno fratrem Wolfgangum de Bavaria, pro secundo anno fratrem Iohannem de Pradia, pro tercio anno fratrem Cathaldum de Catenia; in biblicum pro primo anno fratrem Iohannem de Pradia, pro secundo fratrem Cathaldum, pro tercio fratrem Iohannem Petri de Sicilia; in magistrum studencium pro primo anno fratrem Cathaldum, pro secundo et tercio fratrem Bernhardum de Nowana.

In conventu Paduano in provincia s. Dominici in regentem damus et in bachalarium pro primo et secundo annis fratrem Iacobum, presentis capituli diffinitorem, quem per presentes licenciamus, ut finitis his duobus annis possit insignia magistralia gloriose recipere, pro tercio et quarto fratrem Ieronimum de Monopoli (2); in biblicum pro primo et secundo annis fratrem Ieronimum de Monopoli predictum, pro tercio vero fratrem Iohannem de Ragusio; in magistrum studencium pro primo et secundo anno fratrem Iohannem de Ragusio predictum, pro tercio anno fratrem Thomam de Vio de Gaeta (3); in studentes vero honoris fratrem Iacobum de Ulmo, Vincencium de Contato et Augustinum de Ferraria; in studentes theologie fratres Iacobum Iohannis Greci de Panormo, Ferdinandum de Tauromena de Sicilia, Dominicum de Seygnia et Bernhardum de Passagawar de Ungaria.

In conventu Barchinonensi provincie Aragonie fratrem Anthonium Roesmoze damus in regentem et lectorem ad tres annos.

In conventu Osce pro primo anno regentem fratrem Bernhardum Sudelvoth, magistrum et diffinitorem presentis capituli, pro secundo anno fratrem Alfonsum (4) magistrum, pro tercio fratrem Clementem Ferrer (5) magistrum, ad tres annos ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii fratrem Iohannem Campos. Iohannem Newoeidu et Paschasium Iordanis, quibus damus licenciam accipiendi insignia magistralia, postquam perfecerint suas lecturas.

In conventu Perpiniani regentem fratrem Petrum Ossma magistrum ad tres annos, ad legendum sentencias ad tres annos fr. Petrum Iohannis Parvel et fratrem Iohannem Dandree, cui fratri Petro Parvel damus licenciam, ut peracta lectura possit insignia magistralia recipere. De ceteris vero legentibus in dictis conventibus et universitatibus reverendus provincialis providebit.

(1) De fr. Paulo de Puteolis cf. l. c. pag. 380.
(2) De fr. Hieronymo de Monopoli cf. SSOP. II, 76.
(3) De fr. Thoma de Via de Gaeta cf. l. c. pag. 14.
(4) Forsitan idem ac Alphonsus Hojeda, de quo l. c. pag. 46.
(5) De fr. Clemente Ferrer cf. supra pag. 384.

In conventu Maioricarum assignamus in lectorem fratrem Anthonium Donunci, in sublectorem fratrem Anthonium Conchi, in magistrum physice fratrem Ieronimum Peyr.

In conventu Erphordiensi provincie Saxonie in regentem fratrem Nycholaum Merquis magistrum; de ceteris officialibus studii et studentibus committimus reverendo provinciali illius provincie.

In conventu Cracoviensi provincie Polonie de regente et officialibus studii ac studentibus provideat reverendus pater provincialis eiusdem provincie, cui de super committimus et conscienciam eius gravamus.

In conventu Neapolitano provincie regni Sicilie de regente et ceteris officialibus studii committimus magistro reverendissimo.

In conventu Mediolanensi provincie Lombardie superioris damus in regentem fratrem Christoforum magistrum, in cursorem fratrem Ieronimum de Belluno (1) pro primo anno.

In conventu Papiensi eiusdem provincie in regentem damus fratrem Ieronimum magistrum, qui nunc actu ibi legit; in bachalarium pro primo anno et secundo reverendissimus magister providebit; pro tercio anno fratrem Vincencium de Papia; in biblicum pro primo anno et secundo fratrem Vincencium predictum, cui committimus curam magistri studencium, pro tercio anno fratrem Damianum de Ripulis; in studentes honoris fratrem Ludovicum de Veneciis (2) et Ambrosium de Ungaria. Item in studentes theologie fratrem Willelmum de Brusellis et Petrum de Mechlinia pro rata provincie Theutonie.

In conventu Lovaniensi provincie Theutonie regentem fr. Iohannem Wilmac magistrum; de ceteris officialibus et studentibus reverendus vicarius providebit.

In conventu Montispessulani provincie Provincie pro primo anno in regentem fratrem Dominicum Rahonis magistrum, ad legendum sentencias fratrem Vitalem Portalis; in magistrum studencium fr. Guillelmum Farsu; pro secundo anno in regentem fratrem Iohannem Radulphi (3) magistrum; ad legendum sentencias fratrem Guillelmum Farsu magistrum, in tercio anno in regentem fratrem Iohannem Vantmantre magistrum, ad legendum sentencias reverendus provincialis providebit ac eciam in scholis universitatum, et assignamus fratrem Petrum Stelle cum graciis et libertatibus biblici.

In conventu Avinionensi pro primo anno in regentem fratrem Bartholomeum de Rigetis (4) magistrum, ad legendum sentencias fratrem Ni-

(1) De fr. Hieronymo de Belluno cf. l. c. pag. 328.

(2) De fr. Ludovico de Venetiis cf. l. c. pag. 365.

(3) De fr. Ioanne Radulphi cf. l. c. pag. 347.

(4) De fr. Bartholomaeo de Rigetis cf. l. c. pag. 386.

cholaum Bruni, in secundo anno in regentem fratrem Iacobum de Raphocld magistrum; ad legendum sentencias fratrem Iohannem Bardetz; in tercio anno in regentem magistrum Petrum Boneti (1), diffinitorem presentis capituli; ad legendum sentencias dictus diffinitor providebit ac in scholis universitatis.

In conventu Aquensi in regentem pro primo anno fratrem Mundonem Bandrici (2), ad legendum sentencias fratrem Stephanum Signoreti; pro secundo anno in regentem Favoratum Beucardi magistrum, ad legendum sentencias fratrem Gabrielem Ribaldi Matisconensem: pro tercio anno in regentem magistrum Balthasar Regis (3), ad legendum sentencias fratrem Henricum Nycholai; in schola universitatis reverendus provincialis providebit.

In conventu Thaurinensi damus in regentem usque ad sequens capitulum generale magistrum Bernhardinum de dicto conventu; de officialibus vero studii reverendissimus magister providebit.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus, reverendos in Christo patres et dominos Aureacensem episcopum (4) et dominum episcopum Gebeldensem (5) esse reassumptos ad beneficia, gracias et suffragia ordinis; et quod dominus episcopus Aureacensis a reverendissimo magistro ordinis factus et institutus est vicarius conventus Bituricensis.

Item. Denunciamus reverendissimum magistrum ordinis fecisse ac in publico diffinitorio creasse fratrem Iohannem Botzyn (6) magistrum heretice pravitatis inquisitorem in Brandenborgensi ac Caminensi, Lubucensi ac Havelbergensi diecesibus.

Item. Denunciamus reverendum patrem fratrem Ludovicum de Ferraria (7) magistrum fuisse institutum procuratorem ordinis in curia Romana.

Item. Denunciamus reverendum in Christo patrem Hermannum (8) episcopum Sebastensem receptum ad beneficia ordinis.

---

18) Aureacensem] Andreatensem B. — episcopum *post* dominum *om.* A. — 19) reassumptos] reassumptum B. — gracias et suffragia] et gracias A. — et quod — exuti *ante* iste *om.* A. — 25) Havelbergensi] Haubbergensi B.

---

(1) De fr. Petro Boneti cf. l. c. pag. 393.
(2) De fr. Mundone Bandrici cf. l. c. pag. 366.
(3) Videtur esse idem, de quo l. c.
(4) Fr. scilicet Petrum Quadrati, de quo supra pag. 386 et BO. III, 630.
(5) Fr. scilicet Ioannem Vassoris, de quo l. c. IV, 81 et supra pag. 320.
(6) De fr. Ioanne Botzin de Saxonia cf. l. c. pag. 365.
(7) De fr. Ludovico de Ferraria cf. SSOP. I, 882.
(8) De fr. Hermanno Rethem cf. BO. III, 646.

Item. Denunciamus reverendissimum ordinis nostri generalem magistrum conventus Wiennensem, Cremensem cum ceteris conventibus provincie Theutonie, qui porcio inferioris Bavarie nuncupantur una cum monasteriis, quorum nomina hic volumus sufficienter pro expressis haberi, similiter conventus Egrensem et Pirnensem provincie Saxonie ipsis provinciis restituisse, qui alias in proximo capitulo Veneciis celebrato erant ad provinciam Bohemie translati, quam translacionem ex racionabilibus causis coram nobis alligatis approbamus ac de novo restituimus et reunimus; precipientes, ne de cetero super huiusmodi vel alia nacione provincialis Boemie aut quicumque alius quemcumque de cetero molestare presumat.

Item. Denunciamus reverendum patrem fratrem Iohannem de Ovidan (!), sacre theologie professorem ac heretice pravitatis inquisitorem atque illustrissimi principis ducis Clivensis confessorem et consiliarium, acceptasse (!) ad omnia beneficia et acta ordinis, beneficia et gracias, voce activa et passiva sibi reservata, non obstante quod a sancta sede apostolica capax beneficiorum ecclesiasticorum sit effectus.

Item. Denunciamus fratrem Franciscum Prugeti, theologie presentatum, conventus Castrensis provincie Tholosane esse translatum ad conventum Montisalbani eiusdem provincie.

De translacionibus fratrum.

Item. Denunciamus magistrum Barnabam de Narvano translatum esse de conventu Lucensi ad conventum Neritonensem ad filium nativum dicti conventus, et fratrem Augustinum de Andria de conventu Andrie ad conventum Parabixe, et fratrem Andream de Licia ad dictum conventum Parabixe provincie regni Sicilie, et fratrem Thomam de Vatica Segodiensis conventus Pestensis provincie Ungarie ad conventum Modrusiensem provincie Dalmacie, et fratrem Albertum de Ragusio ad conventum Bitrahiensem, qui est prior dicti conventus dicte provincie, et fratrem Iohannem Dominicum de Regio de conventu Regensi ad conventum Utinensem provincie sancti Dominici, et fratrem Iohannem Masuries de conventu Insulensi ad conventum Vallecenensem, et fratrem Petrum Martini (1) de conventu Condomiensi ad conventum Argentomensem, et fratrem Ivonem Ronysant magistrum de conventu Montisrelaxi provincie Francie ad conventum Pictaviensem eiusdem provincie, et fratrem Iohannem de Burgeto magistrum (2), et fratrem Guillelmum Bonrave conventus Chamberiaci provincie Francie, et fratrem Iohannem Molis magistrum, et Iohannem Trycandayr conventus Redonensis eiusdem provincie ad con-

(1) De fr. Petro Martini cf. SSOP. II, 72.

(2) De fr. Ioanne de Burgeto cf. supra pag. 367.

ventum Cenomanensem, et fratrem Franciscum Greveti inquisitorem fidei Lausanensem de conventu Aniciensi ad conventum prefatum Lausanensem, et fratrem Ludovicum Atholot de conventu sancti Maximini provincie Provincie, et fratrem Dominicum Clerici conventus Metensis provincie Francie ad conventum Virdunensem, et fratrem Iohannem de Bosco provincie Theutonie ad conventum Burgensem provincie Francie et fratrem Martinum de conventu Rostohcensi ad conventum Posnaniensem provincie Polonie, et fratrem Vitalem Aymari ad conventum Aquensem, et fratrem Guillelmum Guillemeti magistrum de conventu Arelatensi ad conventum Bituricensem provincie Francie, et fratrem Bernhardum Piteris de conventu Hylerde ad conventum Balagari, unde primo erat nativus, et fratrem Vincencium Despi de obediencia vitam (!) reformatorum ad obedienciam reverendi provincialis Aragonie, et quod possit facere professionem in quocumque conventu, ubi benivolos receptores invenire potest, et fratrem Iohannem, socium inquisitoris Aragonie, translatum de provincia Hispanie ad provinciam Aragonie ad conventum Stelle, et fratrem Alfonsum de Castello doctorem, Egubertum, Iohannem de suis conventibus ad conventum Albaricinensem provincie Hispanie, fratrem Iohannem Servano de conventu Albaydensi ad conventum Cesarauguste, et fratrem Berulium Masi de conventu Cervarie ad conventum Gerunde, cuius filiacionem approbamus, et fratrem Petrum Francolli, noviter in hoc capitulo magistratum, de conventu sancti Severi ad conventum Burdegalensem.

Item. Denunciamus, quemlibet priorem assignatum ad studium ipso facto esse absolutum ab officio prioratus.

Denunciamus, conventum Frisacensem esse sub disposicione et visitacione vicarii communis vite provincie Theutonie.

Denunciamus, terminum Monasteriensem conventus Osnaburgensis provincie Saxonie ad eundem conventum perpetuo et inviolabiliter pertinere, mandantes omnibus et singulis prioribus et fratribus nostri ordinis, cuiuscumque gradus aut condicionis fuerint, sub sentencia excommunicacionis late sentencie, quam ferimus in hiis scriptis, una pro trina canonica monicione premissa, quatenus se nullo modo sine licencia dicti conventus de prefato termino quomodolibet directe vel indirecte audeant intromittere aut dictum terminum quomodocumque occupare.

Denunciamus reductionem provincie Hybernie ad reunionem provincie Anglie, sicut ab olim fuerit, iuxta bullam desuper datam, quam volumus observari de verbo ad verbum hac lege, quod provincie Anglie non teneatur solvere contribuciones dicte terre vel vicariatus Hybernie, sed ipse vicarius illius terre tenebitur solvere contribuciones dicte terre, et nulle contribuciones reverendissimi puta sex ducatos annuatim pro reve-

rendissimo magistro et duos pro procuratore ordinis, et quod mutuo convocent in suffragiis, et quod magister Mauricius Moral (1) sit verus vicarius.

Item. Denunciamus, quod reverendissimus magister ordinis instituit suum vicarium generalem cum plenitudine potestatis reverendum patrem et fratrem Iohannem Carles (2) magistrum provincialem Aragonie in tota sua provincia.

De iubilariis.

Item. Denunciamus, fratres sequentes fore iubilarios scilicet fratrem Michaelem de Bela provincie Hungarie, presentis capituli diffinitorem, fratrem Iacobum de Gaeta et fratrem Angelum de Garen provincie regni Sicilie, fratrem Philibertum Rabelli conventus Turonensis provincie Francie, fratrem Matheum Charvan provincie Francie conventus Bituricensis, fratrem Iohannem Vumoms conventus sancti Maximini provincie Provincie, fratrem Albertum Stephani provincie Romane conventus sancte Marie Novelle, fratrem Simonem Zapponis conventus Bellividere et fratrem Meynaldum de Brigaria provincie Tholosane eiusdem conventus, fratres Galganum de Asth et Iohannem de Tartano provincie superioris Lombardie, fratres Georgium iuniorem et Franciscum et Lucam, omnes de provincia Dalmacie, fratrem Iohannem Pedemontem conventus Valentinensis provincie Provincie, fratrem Nycholaum Berthelli conventus Pictaviensis provincie Francie, fratrem Raymundum Rabutei conventus Portus sancte Marie provincie Tholosane, fratrem Robertum Massonis conventus Cenomanensis provincie Francie, fratrem Raymundum de Umeto conventus sancti Severi provincie Tholosane, fratrem Alfonsum Vagariffi conventus Alcaracensis provincie Hispanie, fratrem Dominicum Salau, fratrem Laurencium de Rachis, fratrem Iohannem Fiaú provincie Aragonie, fratrem Alfonsum Vagutuyo, quem eciam facimus predicatorem generalem.

Iste sunt denunciaciones.

Item. Denunciamus, quod reverendissimus magister ordinis nostri instituit suum vicarium generalem cum plenitudine potestatis in conventibus Maioricarum et Sardinie fratrem Guillelmum Casseles (3) magistrum, presentis capituli diffinitorem.

Item. Denunciamus, qualiter (!) acceptavimus locum Copeti, qui noviter erigitur pro ordine, et volumus, quod pro ordine edificetur, qui est iuxta Gebenas.

Item. Denunciamus, quod quelibet studia secularium, in quibus non

(1) De fr. Mauritio Moral (Meral) cf. supra pag. 384.
(2) De fr. Ioanne Carles cf. l. c. pag. 385.
(3) De fr. Guilelmo Caselles cf. l. c. pag. 393.

sunt conventus ordinis, et specialiter Billiomi et Isiodori et Brivati provincie Francie revocamus, mandantes omnibus prioribus provincialibus et conventualibus, ne de cetero fratres ad illa studia mittant, revocantes per presentes omnes fratres, qui in presenciarum sunt in prefatis studiis, illisque precipientes sub pena carceris, quam ipso facto incurrant, ut infra octo dies a noticia presenciam huius revocacionis et ordinacionis redeant ad suos conventus nativos et illuc ulterius non redeant et sibi de alio studio provideri faciant.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus magisteria horum magistrorum: magistri Luce Spatarii de Yadra (1), diffinitoris presentis capituli, fratris Guillelmi de Fastanio conventus Brive, fratris Meynardi de Roynari, fratris Iacobi Utini provincie Tholosane, fratris Petri Hem provincie Anglie (2), diffinitoris presentis capituli, fratris Iohannis Selva, fratris Ludovici Gil, fratris Michaelis Nawer, fratris Bernhardi de Suchdebrich, fratris Francisci Bellerger, fratris Bartholomei Stefani et fratris Petri Alemani provincie Aragonie, fratris Ferdinandi de Leon eiusdem provincie, fratris Udalrici Centener (3), fratris Iacobi Hilpordi (4), fratris Bernoldi Petri provincie Theutonie; magistri Ivonis Derami provincie Francie conventus Montisrelaxi, magistri Nycholai Mathei conventus Gracianopolitani, magistri Anthonii de Iohanne conventus Tubonensis (?) provincie Trinaclie, magistri Bernhardini de Triymo provincie Lombardie superioris et fratris Richardi Hart (5), diffinitoris presentis capituli, qui per magistrum reverendissimum auctoritate sanctissimi domini nostri fuit publice laureatus, et omnium aliorum, qui cum eo fuerunt in predicto capitulo magistrati, videlicet fratrum Claudium (!) olim Guillelmi Viardi, Guillelmi Cotani, Petri Totani, Iohannis Molis (6), Petri Garnandi, Philippi Boneti, Iohannis Lebs, Bernhardi Geveste, Phylippi Remensis, Nycholai Buionie, Danielis Dalmau, Petri Foarseu, Andree Alandi, Eustachii Symonelli, Ieronimi de Normannis de Piccardia, Petri Fonacelli, Sanctis de Agesiu, fratris Henrici de Cumterio.

Approbamus lecturam sentenciarum de provincia Hispanie fratrum videlicet Martini de Villa maiori, Anthonii Salazar, Petri Anglici, Iohannis del Mares, quos licenciamus ad insignia magistralia suscipienda.

Item. Approbamus lecturam sentenciarum fratrum Guillelmi Peversi,

(1) De fr. Luca cf. l. c. pag. 394.
(2) De fr. Petro Hem cf. l. c. pag. 393.
(3) De fr. Uldarico Zehentner cf. l. c. pag. 403.
(4) Forsitan idem ac Iacobus Hipolt, de quo l. c. pag. 346.
(5) Supra pag. 393 « Herre » scribitur.
(6) De fr. Ioanne Molis cf. l. c. pag. 407.

Vincencii de Mantuello, Bertrandi de Luiolio, Petri de Hageria, Iohannis de Abbacia, Arnoldi de Guidario, omnes provincie Tholosane.

Item. Approbamus denunciacionem in capitulo provinciali provincie Theutonie factam de non recipiendo fratres vite regularis ad conventum vite communis, et de cetero eam ratificantes, quasi de verbo ad verbum esset expressa.

Item. Approbamus penitencias factas in capitulo provincie s. Dominici apud Portum Liniaci proximo celebrato et maxime circa fratrem Petrum Tinbaz, et quod non possit commorari in conventu Paduano.

Item. Approbamus lecturam sentenciarum fratris Martini Ledeo et Symonis Ser provincie Aragonie et damus eis licenciam accipiendi insignia magistralia.

Item. Approbamus expulsionem ab ordine et habitu fratris Iacobi Phylippi de Veneciis, qui propter nonnulla eius scandala Veneciis fuit habitu exutus.

Iste sunt acceptaciones.

In primis acceptamus conventum Veliaci noviter edificati in provincia Francie sub congregacione Hollandie.

Item. Acceptamus in conventum locum Sistre, ad quem mittimus pro priore fratrem Iulianum de Ianua, et in lectorem Teranium de Ianua provincie Lombardie superioris.

Item. Acceptamus locum sancti Laurencii in sancto Vico provincie sancti Dominici in conventum, dando facultatem provinciali dicte provincie providendi de priore, lectore et fratribus.

Item. Acceptamus monasterium sororum de penitencia s. Dominici sancte Marie de Angelis extra muros civitatis Besensone ad statum monialium sub cura et habitu ordinis nostri, et quod vicarius conventuum reformatorum possit eis dare velum nigrum et habitum secundum formam aliarum sororum nostrarum beati Augustini; et volumus, quod gaudeant omnibus privilegiis, graciis et indultis dictis monialibus concessis et concedendis.

Item. Acceptamus locum Lavallensem noviter erectum in provincia Francie sub vita regulari ab illustrissima regina Sicilie et fratre suo comite Lavallensi congregacionis Holandie.

Item. Acceptamus in conventum sub vocabulo sancti Vincencii de provincie et damus facultatem provinciali providendi de priore et fratribus.

Iste sunt declaraciones.

---

18) sub congregacione Hollandie *om.* B. — 19) item — concedendis *om.* A. — 26) Besensone] Bessonone B. — 33) ab — Lavallensi *om.* B. — congregacionis] sub congregacione A. — 35) item — fratribus *om.* A.

In primis declaramus, quod festa trium lectionum ex memoriis facta sicut alia festa trium lectionum ad octo dies proxime sequentes transferri possunt, unde de sanctis Leone papa, Christina virgine, Christophoro et Cucuphate, Processo et Martiniano, Sixto et Felicissimo, Donato, Ciriaco, Tiburcio, Eusebio propter multitudinem festivitatum, sicut octavarum solemnium festa transferri non possunt, sed tamen de hiis memoria fiat.

Item. Quia de sanctis Hylario et Remigio, Vedasto et Amando ordinarium nostrum officium non habet, declaramus, quod de eis memoria tantum fiat; adiicientes, quod de sancta Dorothea in illis terris, in quibus inter virgines famosas connumeratur apud Christi fideles in Amandi et Vedasti festum simplex agatur.

Item. Declaramus, quod hec declaracio de illis festis intelligenda est, que tantum memoriam habuerunt, et non de hiis, que octavas vel in octava memoriam habuerunt. De dictis autem dicte tres lectiones ex legenda Lombardica aut speculo hystoriali aut communi sanctorum accipiantur. Officia aut misse sic fiant de sancto Paulo primo heremita, de sancto Egidio sicut de sancto Mauro; de sancta Emerentiana, Apollonia, Dorothea sicut de sancta Agnete secundo; de sancta Scholastica, Potentiana, Petronilla sicut de sancta Martha; de sancto Vito et Modesto, Protho et Iacinto, Sergio et Baccho, Agricola et Vitale sicut de Primo et Feliciano; de sancto Ciriaco et Iulitta, Tymotheo et Symphoriano, Felici et Audacto, Cornelio et Priano, Crispino et Crispiniano, de Machabeis sicut de Abdon et Sennen; [de sanctis] Agapito et Rufo, Marcello, Grisogono, Saturnino, Nycomede sicut de sancto Valentino; de Leodegario, Lamberto sicut de sancto Apollinari; de Calixto [et] Damaso sicut de sancto Urbano; de sancto Albino, Medardo et Bricio sicut de sancto Germano.

Item. Declaramus, quod in litaniis dicatur in fine post collectam de beata virgine et sancto Dominico illa collecta de patronis: Concede, quesumus, omnipotens deus, ut ad meliorem etc., cum versiculo: sapienciam sanctorum.

Item. Declaramus secundum tenorem nostrarum sacrarum constitucionum de electione prioris conventualis, quod nullus in nostro ordine in priorem eligatur, nisi sciat in conventu suo competenter verbis latinis verbum dei proponere.

Item. Declaramus, quod cum appellaciones in nostro ordine sub anathemate secundum tenorem nostrarum constitucionum omnibus fra-

---

29) litaniis dicatur in] litaniarum A. — 30) beata — de] nostris A. — 31) versiculo] versu A. — 35) in conventu suo *om.* B. — verbis latinis *om.* B.

tribus prohibite sint, easdem omnibus et singulis fratribus et patribus, cuiuscumque status aut condicionis existant, sub eodem anathemate et sentencia excommunicacionis late sentencie districte prohibemus presidentibus dictorum conventuum declaracionem dicte sentencie committentes, et quod nichilominus, non obstante appellatione, in causa procedatur.

Iste sunt commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis omnem nostram auctoritatem et facultatem, addendi, diminuendi, immutandi, prout sua reverendissima paternitas iudicaverit expedire, omnes eiusdem litteras approbantes, et volumus, ut simplici verbo vel litteris sue reverendissime paternitatis fides plenaria prestetur et obediencia, ac si presentibus omnia, que ordinaverit, essent inserta; et eidem reverendissimo magistro committimus et concedimus omnia et singula facere, que capitulum generale facere et instituere posset.

Committimus cuilibet diffinitori presentis capituli generalis, ut eorum quilibet possit facere duos iubilarios et duos apostatas absolvere et restituere ad habitum ordinis, duos eciam restituere ad gracias ordinis.

Iste sunt penitencie.

In primis cum approbemus, commendemus et laudemus reformacionem conventus Laudensis provincie Lombardie superioris, utpote qui totum ordinem reformatum cupimus, modum tamen observatum in premissa reformacione vituperamus; et quia frater Dominicus de Laude et frater Paulus de Crema fuerunt causa multorum scandalorum circa dictam reformacionem, et perventum est usque ad verberacionem fratrum et ordinis infamiam, multorumque fratrum criminacionem falsam, ideoque, ne crimina impunita remaneant, prefatos fratres Dominicum et Paulum in penam absolvimus ab officio omnis prelature, statuentes, ut per triennium in ordine nostro non possint esse prelati, ipsosque per tres menses pene culpe gravioris subiicimus indefectibiliter per eos peragende, nolentes quod reverendissimus magister quovis modo valeat cum eis dispensare.

Item. Quia frater Lucas de quinque ecclesiis provincie Ungarie existens prior conventus Segnensis provincie Dalmacie publice rebellis bis

---

1) et patribus *om.* A. — 3) sentencie] quam pro tribunali sedentes ferimus scriptis, unica pro trina canonica monicione premissa *add.* A. — 5) in causa *om.* B. — 11) prestetur] adhibeatur A. — 17) duos — ordinis] et eiusdem restituere gracias A. — 18) penitencie] inprimis decrevimus, quod quia frater Hermannus Mayer quondam provincialis Saxonie, dum esset in eodem officio, varias commisit frandes et provincie contulit damna gravissima et ipse ille damna provincie refundat et nichilominus penis subiaceat ei per magistrum reverendissimum et totum diffinitorium inflictis, ut in litteris plenius continetur, quas reverendissimus magister super hoc dedit ex commissione diffinitorum presentis capituli generalis *add.* A.: *cf. hac de re supra pag. 339 l. 16 sqq.* — 27) officio omnis] omni officio A. — 29) peragende] agende A. — 33) Segnensis] Sigeniensis A.

reverendo provinciali et machinatus est in mortem ipsius, excommunicatus ab actis dicti capituli et quemdam fratrem lethaliter percussit, ne locus sceleribus detur, ad penam carceris deputamus per annum et post annum reddita racione habitu privetur et expellatur solempniter, mandantes presidentibus conventuum, ut ita indefectibiliter impleatur.

Item. Quia frater Iohannes Bertini professus in conventu Belvacensi provincie Francie diversis vicibus ibidem magna furta perpetravit, quemadmodum in conventu Antverpiensi et Belin. (?) sponte confessus est, ut per processus super hoc confectos nobis constat evidenter, qui postmodum in apostasiam lapsus hinc inde girovagando destiterit in eius anime perniciem, ordinis vituperium et dicti conventus dampnum permaximum, per hanc nostram diffinitivam sentenciam ipsum, ubicumque poterit reperiri, carceribus perpetuis temporibus adiudicamus.

Item. Quia frater Stephanus iunior de Yadra provincie Dalmacie publice infamavit coram secularibus magistrum Lucam de Yadra (1), diffinitorem presentis capituli, qui multas expensas propter talem infamiam, ut purgaretur et iustificaretur, fecit, propter quam causam ipsum gravi culpe et penis carceris deputamus per mensem, et post prefatam penitenciam perpetuo a predicta provincia Dalmacie prius examinatus de complicibus expellatur et habitu privetur.

Item. Quia frater Alexius, frater Petrucius (2) et frater Philippus de conventu Florentino s. Marie novelle propter furtum et enormes excessus carceribus traditi et habitu ordinis exuti a nostro ordine proiecti sunt, volumus, ut ad ordinem nostrum de cetero non recipiantur.

Item. Quia frater Vincencius de Nahiraih provincie Ungarie dampnificavit conventum Posseganensem in curru et tribus equis nec hucusque satisfecit dicto conventui, mandamus, ut per presidentes conventuum dicte provincie, ad quos pervenerit, censuris compellatur ad satisfactionem completam.

Item. Quia frater Laurencius de Durlendio provincie Francie est notorius demonum invocator multisque criminibus a iuventute implicatus et carcerum, nescitur qua arte, infractor, eciam incorrigibilis et vagus

1) reverendo] suo A. — provinciali] fuit *add.* A. — est *om.* A. — ipsius *om.* A. — 2) ab] in A. — dicti] eiusdem A. — capituli] provincialis *add.* A. — lethaliter] letanter A. — 5) presidentibus conventuum] conventui et provincie A. — 6) item — habitu privetur *om.* A. — Belvacensi] Belvensi B. — 8) Antverpiensi] Autuopiensi B. — 20) et] aut B. — 21) Petrucius] Petricius A; Petrinus A. — 22) s. Marie novelle *om.* B. — 24) ut — nostrum] quod in nostro ordine A. — 25) item — completam *om.* A. — 26) Posseganensem] Posegrafiensem B. — 30) item — exuant *om.* B.

(1) De fr. Luca cf. supra pag. 410.
(2) De fr. Petrutio cf. l. c. pag. 274.

existens, precipimus omnibus provincialibus, ad quorum manus devenerit, quatenus ipsum habitu ordinis exuant.

Mandamus omnibus presidentibus provinciarum et conventuum, ad quos huiusmodi penitentes advenerint, sub pena suspensionis ab eorum officiis, ut ipsos debite puniant realiter et cum effectu.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro domino Innocencio octavo quilibet sacerdos tres missas et clerici octoginta vicibus septem psalmos penitenciales et conversi tociens centum pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Item. Pro collegio reverendissimorum cardinalium quil. sac. un. mis.

Item. Pro domino protectore ordinis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro christianissimo rege Francorum et inclita regina consorte quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro illustrissima regina Sicilie et dignissimo comite de Lavalle, qui pinguem et bonam elemosinam capitulo dederunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimis rege et regina Hyspanie, qui assidue bella gerunt contra turcos et infideles, et ordini nostro sumptuosis expensis student subvenire, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro reverendo in Christo patre domino domino episcopo Cenomanensi, ecclesiasticis et civibus huius civitatis, qui suas elemosinas presenti capitulo dederunt, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

In primis pro anima reverendi in Christo patris et domini domini cardinalis de Ursinis (1), qui perpetuam elemosinam nostro capitulo generali legavit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum, sororum et benefactorum ad beneficia ordinis receptorum per litteras, quilibet sacerdos unam missam.

Sentencias iudicum approbamus et volumus eas in suo robore permanere et suum per omnia sortiri effectum.

Mandamus acta presentis capituli per reverendos patres diffinitores fieri conscribi et ad suas provincias signata sigillo ordinis transferri.

Sequens capitulum generale, quod erit diffinitorum, assignamus in conventum Ferrariensem in festo pentecostes, quod erit anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto.

Locus ✠ sigilli.

3) mandamus — effectu *om.* A. — 6) ista sunt suffragia] de suffragiis B. — 19) turcos et *om.* A. — 21) item — missam *om.* A.

(1) De Matthaeo de Ursinis cf. supra pag. 389.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD FERRARIAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCCC°· XCIV°·

Sub reverendissimo patre fratre Ioachimo Turriano Veneto (1) sacre theologie professore ac tocius ordinis predicatorum generali magistro ac reverendis patribus diffinitoribus videlicet:

fr. Iohanne Poyade magistro diffinitore provincie Francie

fr. Petro Siber (2) de Ulma magistro diffinitore provincie Theutonie.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc, ut tercia feria, quando fit de beato Dominico, secunda oracio in missa erit communis oracio: Concede, quesumus, omnipotens deus, ut ad meliorem vitam etc. Secreta et postcommunio de festo sanctorum Sixti et Agapiti etc.

Item inchoamus hanc: de apostolis, evangelistis et quatuor doctoribus et de sancta Katerina martire fiat totum duplex.

Item inchoamus hanc, quod in conventu Castrensi provincie Tholozane fiant tres lectiones in quinta feria vacante de beato Vincencio martire, cum ibidem sit corpus eius.

Iste sunt confirmaciones.

In primis confirmamus hanc, quod de sancta Apollonia fiat festum trium lectionum, et de sancto Servacio festum simplex. Et habet duo capitula generalia.

Item confirmamus hanc, quod in missis festivitatum sanctorum nostri ordinis dicatur Credo, non autem in translacionibus eorum. Et habet duo capitula generalia.

Item confirmamus hanc, quod nullus, cuiuscumque gradus aut condicionis sit, audeat questus facere aut bullas aliquas predicare, nisi de licencia magistri ordinis sub pena excommunicacionis late sentencie, quam contra facientes pro tribunali ferimus in hiis scriptis et sub pena carceris et privacionis omnium bonorum eis ab ordine concessorum et communitati applicandorum; et hoc intelligimus de illis, qui discurrunt cum illis habentibus bullas. Et habet tria capitula generalia.

Iste sunt ordinaciones.

In primis ordinamus, quod divinum officium diurnum pariter et no-

(1) De fr. Ioachimo Turriano cf. supra pag. 393.

(2) De fr. Petro Siber cf. MOPH. VII, indicem.

eturnum breviter et succincte dicatur cum pausa in medio versus, ne studium impediatur secundum constitucionum nostrarum tenorem et devocio non amittatur; a quo nullus sit exemptus, debilibus, infirmis et legitime occupatis dumtaxat exceptis. Hortantes insuper presidentes conventuum, ut efficaciter insistant et laborent circa mundicias rerum sacrarum, maxime corporalium et mapparum et panniculorum altarium et eorum, que ad usum consecracionis sacramenti dominici et missarum ceremonias deputantur, necnon circa discurrentes per ecclesiam tempore divini officii, ut talis abusus tollatur.

Item. Cum in constitucionibus nostris habeatur in capitulo de domibus concedendis, quod mulieres claustrum et oratorium et alias officinas numquam ingrediantur nisi in die consecracionis ecclesie etc., et in multis provinciis hoc minime observetur cum maxima infamia nostre religionis, ideo per presentes statuimus et ordinamus, ut de cetero in toto ordine clausura conventuum teneatur cum fratre portario et seculari. Item ut nullo modo liceat mulieribus conventum ingredi, nec admittantur, ut ingrediantur, nisi forte essent alique magne et notabiles mulieres, que cum decenti comitiva venirent gracia videndi conventum et hoc raro, vel in claustro esset aliquis concursus pro aliqua devocione; vel eciam tempore pestis pro infirmis visitandis vel subveniendis vel pro aqua capienda. Mandantes per presentes prioribus provincialibus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena suspensionis ab eorum officiis, prioribus vero conventuum sub pena absolucionis ab officiis eorumdem, ut infra terminum octo dierum a noticia presencium debeant talem super hoc facere provisionem, ut clausura conventuum et dormitoriorum teneatur et servetur ita, quod mulieres de cetero non ingrediantur. Adiicientes sub eisdem censuris et penis, quod monasteria sororum nostrarum clausa teneantur per habentes earum curam, ita ut nulli virorum ad eas pateat introitus excepto visitatore cum socio et illis, sine quibus monasterium sustineri non potest, ut de medico et aliis; nec ipse exeant monasteria earum sine urgente necessitate et speciali licencia magistri ordinis vel prioris provincialis.

Item. Ad auferendam detractoribus omnem materiam ordinem nostrum diffamandi, districte precipimus omnibus fratribus, cuiuscumque gradus aut condicionis existant in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et sub pena excommunicacionis late sentencie, quam ferimus in hiis scriptis unica pro trina canonica ammonicione premissa, quatenus nullus per se vel per alium impetret aut procuret litteras a regibus, principibus, prelatis vel quibuscumque aliis personis secularibus contra fratres aut conventus nostre religionis aut ipsis quovis modo detrahant vel eos diffament. Et quod fratres regularis vite prioribus provincialibus sub-

iectos fratres non accipiant neque conventuum reformaciones procurent vel accipient nisi de licencia reverendissimi magistri ordinis et priorum provincialium; et si oppositum attentaverint, ex nunc pro tunc contrafacientes dictam senteneiam ac eciam penas carceris presenti ordinacione declaramus eos incidisse.

Insuper sacrum ordinem nostrum quoad studium reformare volentes, volumus et ordinamus, ut presidentes conventuum circa recepcionem et instructionem fratrum noviciorum ita attendant atque caveant, quod nullus pro clerico ad professionem recipiatur, nisi fuerit habilis ad litteras et sciat officium suum nec ad sacros ordines quomodolibet promoveatur, nisi prius sciverit grammaticam et ea, que in dei ecclesia suum concernunt ministerium. Et quia in diversis et pene omnibus provinciis studia, heu dolor, dilapsa atque in dies ulteriorem ruinam eidem imminere comperimus, propter quod ordo noster venit in contemptum, cui obviare curantes statuimus, quod in qualibet provincia studia debite reformentur, ita quod in singulis provinciis magis idonei et intelligentes in conventibus ad hoc aptis theologie lectores, philosophie ac arcium, studencium magistri ponantur, et per capitulum provinciale assignentur. Quibus si predicti conventus ad honestam ac sufficientem provisionem non suffecerint, tota provincia ad hoc contribuat; ipsi autem et magistri studencium lectiones suas et alia scholastica exercicia sub amissione et destitucione suarum promocionum diligenter usque ad terminum eis prefixum continuent. Reverendis provincialibus pro tempore mandantes, quatenus in premissis oculum vigilem habeant et pro honore dei et ordinis se exhibeant diligentes executores. Adiicientes, quod nullus de cetero inhabilis et indoctus et immorigeratus per saltum promoveatur, sed priusquam ad audiendam theologiam admittatur, tribus annis ad minus artes et philosophiam audiat et secundum morem quarumdam provinciarum eciam totidem annis predicta studentibus legat. Et ubi paucitas aut ineptitudo conventuum predicta studia in diversis conventibus poni non permiserit, in eodem conventu poterit poni studium theologie et philosophie.

Item. Ordinamus, quod magistri in theologia per bullas aut brevia apostolica sine licencia et favore magistri reverendissimi nostri ordinis vel capitulorum generalium promoti et indocti nullis libertatibus, exempcionibus, graciis, privilegiis eisdem ab ordine concessis gaudere debeant, sed solum pro simplicibus conventualibus habeantur; nec ab officiis et locis fratrum conventualium quomodolibet sint exonerati aut supportati, signanter qui ab undecim annis citra sunt promoti.

Item. Volumus et ordinamus, quod priores provinciales aut priores conventuales fratres fugitivos vite regularis nullo modo recipiant, nisi

forte per transitum. Neque volumus, ubi sunt duo conventus, quod unus conventus possit accipere fratrem alterius conventus sub quacumque causa vel pretextu sine expressa licencia reverendissimi magistri ordinis nostri in scriptis obtenta, vel nisi intervenisset consensus vicarii generalis, prioris et patrum dicti conventus, si frater reformatus vellet ad conventum vite communis accedere.

Item. Quia rerum communitas in victu et vestitu in regula beati Augustini nobis districte precipitur, volumus et ordinamus, ut de elemosinis tam in terminis quam in missis et de omnibus aliis ad conventum venientibus seu eciam de redditibus tantum extrahatur, ut conventus possit in communi habere vitam, si facultas adsit de talibus elemosinis, ut in communi vivatur; mandantes omnibus prioribus provincialibus et conventualibus, cuiuscumque gradus existant, in virtute spiritus sancti et sancte obediencie, ut in provinciis et conventibus omnes patres et fratres, cuiuscumque gradus existant, eciamsi magistri in theologia fuerint, in communi refectorio cum silencio et lectione mense simul comedant. Revocantes omnem concessionem de continua in cellis comestione datam; nolentes, quod fratres similes singularitates teneant; sed omnes in communi refectorio simul comedant; et si contrarium aliquando fiat, de licencia presidentis [fiat], exceptis infirmis et debilibus, qui ad communem refectionem commode venire non possunt.

Item. Abusibus quorumdam fratrum in Livonie partibus obviare pacique presidencium ac decori religionis providere volentes, mandamus et precipimus omnibus nostri ordinis fratribus (qui) extra obedienciam cum dominis cruciferis vel aliis quibuscumque ecclesiasticis vel secularibus personis in eisdem partibus commorantibus sub excommunicacionis pena, quatenus infra duos menses a noticia presencium ad aliquem nostri ordinis conventum se conferant, alioquin presidentibus conventuum in quorum terminis inventi fuerint, procedendi contra eos secundum ordinis rigorem plenariam concedimus facultatem, revocantes omnes concessiones in contrarium premissis datas.

Item. Quoniam studium Parisiense non est solum pro fratribus provincie Francie institutum, sed est toti ordini nostro commune, ut per constituciones patet, quare statuimus, quod novicii extranei habeant in dormitorio noviciorum unam nacionem cum sponda et lecticis secundum opportunitatem, et det quilibet annuatim quatuor scuta pro victu et medium pro fabrica dormitorii noviciorum; et pro hoc sint liberati a solucione quatuor solidorum alias dari consuetorum. Volumus autem, quod ad predictum dormitorium noviciorum singuli provinciales possint mittere iuvenes suos ad studendum. Mandantes priori Parisiensi et collegio magistrorum in virtute spiritus sancti et sancte obediencie et priori sub

pena absolucionis a suo officio prioratus, quam ipso facto incurrat contrafaciendo, et magistris de collegio sub pena privacionis privilegii, ut predicte ordinacioni non contradicant aut eam infringant. Similiter intelligimus de fratribus missis ad proficiendum, quod isti et quot quot mittuntur, acceptentur.

Item. Ad tollendam divisionem seu controversiam inter fratres vite regularis provincie Dalmacie, que sub dominio Venetorum, volumus et ordinamus et districte precipimus sub pena excommunicacionis late sentencie premissis premittendis quam ferimus in hiis scriptis et quam contrafacientes ipso facto incurrant et eos incurrisse declaramus per presentes, quatenus secundum ritum constitucionum veniant ad capitula provincialia dicte provincie ipsi fratres regularis vite, in quibus capitulis suum possunt instituere vicarium per electionem et a reverendo priore provinciali vel eius vicario conferri facere; et eciam quod dictus vicarius et isti quinque conventus: sancte crucis de Ragusio, sancti Petri martiris de Lesina veteri, sancti Marci de Farra, sancti Nicholai de Curzula, sancti Nicholai de Cataro teneantur et debeant suas contribuciones cum effectu reverendo provinciali et eius nuncio persolvere, et cum ad ipsos conventus declinaverit, debeant ipsum sub eadem pena superius posita quatenus debeant renunciare omnibus hiis, que contra suam professionem per antea fecerunt.

Iste sunt denunciaciones.

Item. Denunciamus omnibus et singulis fratribus congregacionis Hollandie, qui sine licencia et consensu suorum presidencium et patrum suorum conventuum morantur extra congregacionem suam, quod ad suos conventus nativos infra anni spacium a noticia presencium se conferant et sint in omnibus sicut ceteri patres, qui in vita regulari perseveraverunt, subiecti, alias presenti statuto declaramus eos esse a suorum conventuum filiacione absolutos; et mandamus ex tunc omnibus provincialibus atque prioribus et patribus conventuum, qui [contra] istud statutum nostrum tales fratres receperint, quod eisdem teneantur de conventu providere.

Item. Denunciamus (quod), cum quandoque contingat reverendum magistrum generalem aliquibus fratribus ad subveniendum eorum scrupulosis conscienciis concedere per litteras aut vive vocis oraculo facultatem certis temporibus in anno cum sua auctoritate plenaria confitendi, beneficium absolucionis percipiendi, nulli hanc facultatem contra precepta vel censuras reverendorum provincialium aut priorum conventualium fulminatas in aliquo posse suffragari, quin teneantur ad omnia huius-

16 Curzula] Punpula P. — 19) *post* posita *aliqua* desunt.

modi precepta adimplenda censurasque servandas, ac si nulla gracia fulcirentur. Adiicientes, quod fratres, qui per huiusmodi litteras in foro consciencie a suis excessibus absolvuntur, nichilominus a suis presidentibus possunt pro eisdem, dum constiterit, iudicialiter puniri. Et ut reverendissimi magistri ordinis littera in debita reverencia habeatur, nolumus aliquem posse eas aliter interpretari, quam verba grammaticaliter videntur sonare; revocantes omnes litteras contra aliquod premissorum datas vel dandas quibuscumque nostri ordinis prelatis seu fratribus et specialiter litteras continentes, quod eas interpretari possint vel declarare aut suspendere. Si tamen aliquid in eis contineri videatur, quod admitti non debeat nec deceat, nichilominus sue reverendissime paternitatis littere reverenter suscipiantur ab illis, quibus diriguntur, et desuper eum informent nec aliquid circa eas immutent, donec alias receperint in mandatis.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro domino Alexandro divina providencia papa VI. quilibet sacerdos tres missas, clerici tribus vicibus septem psalmos penitenciales, conversi ·c· pater noster et totidem ave Maria.

Item. Pro collegio reverendorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo domino protectore nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo domino duce Ferrariensi, qui nostrum capitulum generale in eius civitate alacri vultu et opulentissime acceptavit, qui eciam plurimum nostre religioni afficitur, quil. sacerdos unam mis.

Item. Pro reverendissimo domino patriarcha Hierosolimitano ac episcopo Ferrariensi, qui plurimum nostre religioni afficitur et capitulo bonam elemosinam contulit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis et civibus civitatis Ferrariensis, singulariter pro illis, qui suas elemosinas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro illustrissimo domino Alberto de Catajo, qui plurimum nostro ordini afficitur et largam contulit elemosinam, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro omnibus utriusque sexus societatibus civitatis Ferrariensis, qui capitulo largam elemosinam dederunt, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Primo pro anima reverendissimi patris et domini Mathei [de Ursinis] (1) cardinalis, qui perpetuam nostro capitulo generali legavit elemosinam, quilibet sacerdos unam missam.

(1) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. supra pag. 415.

Item. Pro animabus omnium de domo Estensi, singulariter pro anima illustrissime domine ducisse Ferrarie nuper defuncte, quilibet sacerdos unam missam.

Sentencias iudicum approbamus et volumus in suo robore ea permanere et suum per omnia sortiri effectum.

Mandamus acta presentis capituli per reverendos patres diffinitores conscribi et ad suas provincias sigillo ordinis munita transferri.

Sequens capitulum generale, quod provincialium erit, assignamus in conventu Parisiensi provincie Francie in festo pentecostes celebrandum, quod erit anno domini ·m°· cccc°· nonagesimo septimo.

Expliciunt acta capituli generalis apud Ferrariam celebrati anno domini ·m°· cccc°· nonagesimo quarto in festo pentecostes.

In nomine domini. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS ORDINIS PREDICATORUM FERRARIE CELEBRATI DIE VIGESIMA IUNII ANNO DOMINI ·M°· CCCC°· NONAGESIMO OCTAVO

Sub reverendissimo patre fratre Ioakino Turriano Veneto (1) sacre theologie professore ac tocius ordinis predicatorum generali magistro, diffinientibus reverendis patribus provincialibus ac absencium provincialium sociis videlicet:

Fr. Anthonio Penneti (2) s. theologie professore provinciali prov. Francie,
Fr. Petro de Cavalkantibus magistro provinciali provincie s. Dominici,
Fr. Valentino de Perusio magistro provinciali provincie Romane,
Fr. Udalrico (3) magistro provinciali provincie Theutonie,
Fr. Vincencio Merlino (4) magistro provinciali provincie Terre sancte,
Fr. Georgio Colet sacre theologie licenciato provinciali provincie Bohemie,
Fr. Vincencio de Cypro magistro provinciali provincie Grecie,
Fr. Petro Andree (5) magistro provinciali prov. Lombardie superioris,
Fr. Daniele de Egra magistro provinciali provincie Saxonie,

---

22) Penneti] Paneti P. — 25) Udalrico] Valdrico P.

---

(1) De fr. Ioachimo Turriano cf. supra pag. 416.
(2) De fr. Antonio Penneti cf. SSOP. II, 28.
(3) De fr. Udalrico cf. supra pag. 410.
(4) De fr. Vincentio Merlino cf. SSOP. I, 872.
(5) De fr. Petro Andreae cf. supra pag. 347.

Fr. Luca de Iadra (1) magistro provinciali provincie Dalmacie,
Fr. Iohanne de Cruce magistro socio provincialis provincie Tholozane,
Fr. Valentino Transylvano (2) magistro socio provincialis prov. Hungarie,
Fr. Iacobo Minutulo (3) magistro socio provincialis prov. Regni Sicilie,
Fr. Stanislao bachalario socio provincialis provincie Polonie,
Fr. Olavo de Insula (4) magistro socio provincialis provincie Dacie,
Fr. Pancracio (5) licenciato socio provincialis provincie Provincie,
Fr. Petro Alemani (6) magistro socio provincialis provincie Aragonie.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc, quod festum divi Vincencii confessoris nostri ordinis utrasque vesperas habeat, non obstante, quod festum beati Ambrosii concomitetur, de quo fiet tantum memoria in primis vesperis sancti Vincencii.

Item hanc, quod festa trium lectionum, dum non possunt celebrari in suo die, remitti possint in aliquo die non impedito usque ad spacium unius mensis.

Item. Inchoamus, quod iste quatuor octave fiant solempnes scilicet ascensionis domini, assumpcionis beate Marie, beati Dominici patris nostri et omnium sanctorum.

Item. Inchoamus hanc, quod in provincia beati Petri martiris feria quinta possit fieri de eo ad modum, quo fit tercia feria de beato Dominico. Et idem fiat in provincia Romana de beata Catherina Senensi. Et hoc in temporibus extra quadragesimam.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus istam, ut in tercia feria, quando fit de beato Dominico, secunda oracio in missa erit communiter oracio: Concede, quesumus omnipotens deus, ut ad meliorem etc. Secreta cum oracione post communionem de festo sanctorum Sixti, Agapiti et Felicis, nominibus mutatis. Et hec habet duo capitula generalia.

Item. Confirmamus hanc, quod de sanctis apostolis et evangelistis, de quatuor doctoribus et de sancta Catherina martire fiat totum duplex; et quod dicatur credo in festo quatuor doctorum. Et hec habet duo capitula generalia.

Item. Confirmamus hanc, quod fiat octava angelorum. Et hec habet duo capitula generalia.

---

10) confessoris *om.* A. — 29) sanctis *om.* A. — 33) item — generalia *om.* P.

---

(1) De fr. Luca de Iadra cf. l. c. pag. 414.
(2) Videtur esse idem ac Valentinus de Ungaria, quo l. c. pag. 364.
(3) De fr. Iacobo Minutulo cf. SSOP. II, 72.
(4) De fr. Olavo de Insula cf. Wedel-Iarlsberg l. c. pag. 234.
(5) De fr. Pancratio Bernardi cf. supra pag. 370.
(6) De fr. Petro Alemani cf. l. c. pag. 410.

Item. Confirmamus hanc, quod de sancta Appollonia fiat festum trium lectionum. Et de sancto Servacio fiat festum simplex. Et hec habet tria capitula generalia.

Item. Confirmamus hanc, quod in festis sanctorum nostri ordinis dicatur credo, non autem in translacionibus eorumdem. Et hec habet tria capitula generalia.

Iste sunt ordinaciones.

In primis ordinamus, quod divinum officium diurnum pariter et nocturnum iuxta rubricas ordinis summa vigilancia persolvatur, astringentes presidencium consciencias ad hoc; advertentes, quod circa altaria et reliquas res divino cultui deputatas multa cura adhibeatur, prohibentes superfluos discursus et staciones cum mulierculis in ecclesiis nisi sedendo cum capa.

Item. Cum multum splendoris et decoris nostre religioni ex clausura monasteriorum accrescat, et plurimis scandalis atque dissolucionibus via precludatur, volumus et districte precipimus universis nostri ordinis presidentibus, prioribus et vicariis, quatenus prefatam nostrorum conventuum clausuram strictissime secundum tenorem constitucionum nostrarum observent. Et ad hanc observandam, diligenti et honesto portario ordinato, prohibent sub pena privacionis vocis active et passive fratribus subditis, et sub pena absolucionis ab officiis suis prioribus conventualibus ac aliis inferioribus presidentibus, quam ipso facto incurrant, ne quovis colore exquisito, permittant mulieres ingredi clausuram nostrorum conventuum, nisi tantum ob aliquam iam antiquatam devocionem in aliqua parte conventus esset populi concursus vel aliquibus nobilibus cum decenti comitiva de consilio patrum conventus aditus aliquociens et raro admittatur. Hortantes ad hoc reverendos provinciales, quathenus in hiis negligentes, si quos invenerint, acrius corrigant.

Item. Cum acceperimus in multis provinciis nostri ordinis monasteria monialium adeo collapsa, ut utriusque sexus personis tam viris quam feminis indiscretus ad ea aditus pateat, et ipsarum extra monasterium non sine gravi periculo et scandalo ordinis exitus existat, volumus et precipimus in virtute spiritus sancti ac sub pena excommunicacionis et expulsionis a nostro ordine omnibus et singulis sororibus, cuiuscumque condicionis existant, quatenus strictissimam clausuram hostiorum et fenestrarum iuxta constituciones ipsarum observent et neminem intromittant, nisi quem constituciones admiserint, hortantes sorores tercii ordinis collegiatim et communiter viventes, ut pro moderaciori vita consequenda assuescant vivere secundum constituciones sororum dictarum clausarum, exceptis hiis, que ad clausuram pertinent.

Item. Cum ex ignorancia predicancium permaxime denigretur ordo noster, tenore presencium iuxta nostras constituciones statuimus, quod

nullus frater noster deinceps predicare possit populo nisi per tres annos in theologia studuerit vel alias ydoneus a suo priore provinciali vel vicario generali in capitulis provincialibus vel congregacionibus de consilio diffinitorum pro ydoneis (!) sint (!) expositi (!) sub pena suspensionis ab omnibus ordinibus, quam ipso facto deinceps contrafacientes incurrant; proibentes, ne aliquis predicet in terminis alterius conventus sine licencia presidentis illius conventus. Dantes facultatem prioribus conventualibus, ut rebelles coherceant, eciam ad hoc, si opus fuerit, invocato brachio seculari. Mandantes et districte precipientes in virtute spiritus sancti et sancte obediencie omnibus et singulis fratribus predicatoribus nostri ordinis, ne aliquid in suis predicacionibus audeant predicare preter ea, que ex sacris evangeliis, sacris canonibus et sanctis doctoribus et eorum exposicionibus extracta et approbata sunt, omnem fictionem, revelacionem et futurorum adventus penitus et omnino abradentes (1). Contrafacientes vero ipso facto per presentes officio predicacionis privamus nec ad id posse admitti sine licencia reverendissimi magistri vel capituli generalis (debere) declaramus. Mandantes omnibus provincialibus et presidentibus quibuscumque nostri ordinis, ut tales predicare non permittant, antequam generali capitulo vel reverendissimo magistro notificent.

Item. Ad tollendam confusionem, ne tollatur iusticia, precipimus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie ac sub pena absolucionis ab eorum officiis prioribus provincialibus et quibuscumque congregacionum vicariis ac omnibus presidentibus conventuum nostrorum, quathenus nullus fratrum recipiatur in conventibus nostris absque litteris testimonialibus suorum presidencium ultra unam vel duas refectiones. Adicientes, quod nullus provincialium recipiat fratrem congregacionum ad suam provinciam absque sui vicarii assensu, et econtra, quod nullus fratrum provincialibus subditorum in congregacione recipiatur absque voluntate provincialium et presidencium assensu, cassantes promociones et suspendentes ordines, quos hacthenus fratres fugitivi inter fratres, ad quos confugerint, absque sui ordinarii prelati ante fugam voluntate susceperint.

Item. Hortamur omnes nostri ordinis reverendos provinciales et alios presidentes, ut diligenter invigilent circa fratrum iuniorum erudicionem in moribus et sciencia; et nullus possit ordinari ad sacros ordines, nisi officium congrue dicere sciat et in grammatica sit sufficienter instructus et in via sit ad sciendum. Et ne in hoc sit defectus, volumus, quod non

37) sciendum] studium A.

(1) Hic tangere videtur R. P. F. Savonarole *notat* ECHARDUS *in marg. codicis* P.

possint ordinari ad sacros ordines absque assensu suorum provincialium et vicariorum. Similiter inhibemus sub pena privacionis vocis active et passive et omnium graciarum ordinis, ne quis fratrum nostrorum utatur sub tunica alba pannis alterius coloris quam albi nisi forte gracia infirmitatis stomachi aliquo panno rosato vel simili, et hoc de licencia prioris. Agravantes consciencias provincialium et visitatorum, ut hunc defectum omnino abradant, et sub eadem pena nullus frater, qui non est magister, utatur bireto rotundo.

Item. Cum expressum sit in bulla confirmacionis ordinis, ordinem ipsum a principio sui habuisse possessiones hoc ipsumque per multos summos pontifices post renunciacionem factam in capitulo generali, ut est expressum in constitucionibus, et novissime per Sixtum quartum ordini concessum sit, hortamur in domino et, quantum possumus, stringimus omnes ac singulos fratres nostri ordinis, cuiuscumque condicionis existant, quathenus diligentem curam possessionum habitarum et in futuro habendarum habeant, et sine scrupulo consciencie collatas recipiant. Et si possibilitas adest, emant, ut in ordine nostro studium efficacius per dictos redditus resurgat, presertim cum refriguerit caritas et multa animarum pericula in discursibus questuariis non faciliter evitentur; prohibentes sub pena excommunicacionis late sentencie, quam in hiis scriptis una pro trina canonica monicione premissa ferimus cum omnibus condicionibus de iure requisitis, quas volumus pro expressis haberi, ne sine licencia capituli generalis vel reverendissimi magistri possessiones ipsorum conventuum vel alii certi redditus alienentur vel quomodolibet commutentur, nisi in evidentem utilitatem nostrorum conventuum convertantur iuxta iudicium reverendorum provincialium, et hoc quoad commutacionem dumtaxat, declarantes nos quoad hoc subiectos esse bulle Pauli secundi edite super non vendicione possessionum et locorum piorum sub interminacione anathematis (1).

Item. Cum plurima scandala, ignominia et inquietudines sacro ordini nostro, reverendis provincialibus prioribus et conventualibus et universaliter singulis fratribus provenerint et in futurum provenire clarum sit, nisi obvietur, ex fratribus graduatis absque suarum provinciarum patrum provincialium ritu, consuetudine et assensu, tenore presencium huic malo obviare cupientes, volumus et mandamus, quod fratres nostri nullo modo aliquam promocionem cuiuscumque gradus suscipiant absque et voluntate suorum provincialium et capitulorum provincialium. Oppositum

7) omnino] penitus P. — et — rotundo *om.* P.

---

(1) De possessionibus habendis cf. BO. I, 3, 15 ; VIII, 76 etc.

facientes ipso facto pro non promotis ubique habeantur; precipientes omnibus et singulis conventuum prioribus et aliis presidentibus sub pena absolucionis ab eorum officiis, quod tales pro promotis nullo modo admittant, sed pro simplicibus fratribus habeant. Nullus autem aliorum fratrum favorem vel patrocinium talibus prestet sub pena privacionis vocis active et passive et omnium graciarum ordinis et bonorum eisdem ab ordine concessorum, que, si deliquerint, ad bona communia redigi debeant. Et ne similia ymo maiora mala proveniant ex mala conversacione multorum fratrum nostri ordinis extra conventus ordinis degencium quavis licencia, tenore presencium omnes et singulas litteras et facultates manendi extra ordinem a quocumque prelato ordinis concessas revocamus et totaliter annullamus et nullius roboris vel momenti deinceps esse volumus et tenore presencium esse annullatas et cassatas declaramus, illis dumtaxat exceptis, qui cum principibus et regibus et episcopis nostre et alterius religionis ex reverendissimi magistri ordinis vel patrum provincialium voluntate cum bone fame odore et populi hedificacione commorantur. Requirentes dictos fratres, ut in termino unius mensis a noticia presencium ad gremium religionis, uti sue professioni convenit, ad obediendum suis prelatis redire debeant, alias ipso facto se excommunicatos esse noverint, ut in privilegiis patet; volentes, quod reverendi provinciales de cetero tales licencias non concedant. Obnixius rogantes reverendum magistrum ordinis, ut a talibus promocionibus sine ritu provinciarum, ut prefertur, et talibus licenciis manendi extra ordinem, ut supra, abstineat. Notificantes omnibus et singulis fratribus nostris, quod litteris reverendissimorum dominorum cardinalium, qui non sunt legati cardinales missi a latere, ut patet in privilegiis, non habeant aliquam facultatem super fratribus nostris, ymo qui pertinaciter istis utuntur, sint ipso facto excommunicati et pro talibus a prelatis ordinis ubique puniantur.

Item. Cum vita religiosa in suis actibus differre debeat a seculari sollicitudine rerum temporalium, districte prohibemus sub interminacione maledictionis eterne dei et ordinis et privacionis omnium bonorum eis ab ordine concessorum et communitati conventuum accomodandorum, ne aliquis fratrum nostri ordinis, cuiuscumque condicionis vel gradus existat, post mensem a noticia presencium exerceat negociaciones seu mercancias vel artem medicine seu alchimie et similia, que nedum religiosos mendicantes, sed neque seculares clericos iuxta canones sacros decet, prohibentes sub eisdem penis, ne fratres nostri deposita suarum rerum quarumcumque eciam pecuniarum apud personas extra obedien-

---

17) requirentes] hortantes P. — 19) redire debeant] redeant P. — 28) puniantur] sequitur ordinacio conventus Parisiensis *add.* P; *forsitan eadem, quae legitur supra pag. 419 l. 32 sqq.*

ciam ordinis constitutas sine licencia sui prelati et scitu plurium patrum deponant.

Item. Quum fratres nostri, qui ad episcopatum promoti sunt, similiter qui ad alias ecclesiasticas dignitates assumpti sunt, ipso iure ab ordinis iurisdictione sint semoti et, ut nostro diffinitorio veraciter est relatum, multi inquietudines et dampna fratribus et conventibus ex illorum nobiscum cohabitacione provenerint, tenore presencium precipimus in virtute spiritus sancti et sancte obediencie omnibus et singulis fratribus et presidentibus nostri ordinis sub pena absolucionis a suis officiis et deputacionis ad carceres, aliis autem fratribus subditis sub pena privacionis vocis et omnium graciarum ordinis et pena gravioris culpe per mensem indispensabiliter faciende, quas penas ipso facto contrafaciendo incurrant, et non possint ab eis relaxari et dispensari nisi per magistrum ordinis, quathenus post mensem a noticia presencium nullo modo aliquem de dictis episcopis vel ecclesiasticis personis in conventibus retineant, nec aliqua bona temporalia eis subministrent; cassantes et annullantes omnes et singulas litteras contra predicta cuicumque et a quibuscumque concessas. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Iste sunt denunciaciones.

In primis denunciamus litteras confessionales reverendissimi magistri pro serenitate conscienciarum diversis fratribus datas et dandas et eciam licencias similiter confitendi vive vocis oraculo ab eo datas non suffragari fratribus illas arripientibus neque aliquam facultatem habere in foro consciencie neque iudiciali contra precepta vel censuras a reverendis provincialibus vel prioribus conventualibus factas, quinymmo cum constiterit dictos fratres contra illa precepta fecisse vel in illas censuras incidisse, iudicialiter puniantur, ac si nullas concessiones et gracias habuissent, quemadmodum in precedenti capitulo denunciatum fuit. Litteris autem reverendissimi magistri preterquam in predictis summa reverencia et obediencia exibeatur.

Item. Denunciamus, esse excommunicacionem late sentencie in constitucionibus in capitulo de generali capitulo et in capitulo de graviori culpa et eciam in pluribus actis capitulorum generalium contra revelantes secreta ordinis personis extra ordinem constitutis in infamiam fratrum vel conventuum, et contra impetrantes litteras a quibuscumque personis extra ordinem constitutis et illis utentibus, et ideo, siqui fratrum contrarium fecisse comperti fuerint, volumus, quod carceri tamquam excommunicati, scismatici et destructores ordinis mancipentur, nec inde

18) in — amen *om.* P. — 29) preterquam] pretensis P. — 30) et obediencia *om.* P. — 34) in — constitutis *om* P.

emittantur nisi per generale capitulum, nec alii fratres predictis publice vel secrete favorem prebeant sub simili pena, nisi admonicione suorum prelatorum statim desistant.

Item. Denunciamus, confirmacionem factam in capitulo Senomanensi anno domini · m°· cccc°· nonagesimo primo habere vim constitucionis, que est infrascripti tenoris: Confirmamus de conventibus reformatis, qui alias prioribus provincialibus contribuciones solverunt, quod nunc eciam easdem contribuciones [et] collectas pro rata eorum solvere teneantur. Mandantes presidentibus dictorum conventuum sub pena absolucionis a suis officiis, quam contrafaciendo ipso facto incurrant, quathenus ad requisicionem priorum provincialium dictas contribuciones et collectas integre solvant. Ac sub eisdem penis precipientes presidentibus conventuum communis vite, qui sunt sub vicariis, ut et ipsi similiter prioribus provincialibus suarum provinciarum contribuciones et collectas persolvant; dantes facultatem prioribus provincialibus, ut possint presidentes per penas et censuras ecclesiasticas cogere et pertinaces declarare absolutos. Et hec habet tria capitula generalia sibi invicem succedencia; quare nostris constitucionibus eam annumerandam censemus et statuimus adiiciendam. Sub eisdem penis precipimus, quod conventus novi, qui provincialibus contribuciones non solvunt, solvere teneantur reverendissimo magistro ordinis singulis annis, ut concordaverint. Monasteria autem monialium pro subsidio rerum agendarum pro ordine dent eidem singulis annis ducatum unum.

Item. Denunciamus reverendissimum magistrum ordinis de consensu tocius diffinitorii huius capituli generalis presentis confirmasse in vicarium generalem fratrum et sororum communis vite provincie Theutonie fratrem de Bercha magistrum, quare eum tamquam verum vicarium denunciamus. Omnia vero et singula facta in hac re [in oppositum] cassamus, annullamus et irritamus.

Iste sunt declaraciones.

In primis declaramus, ut in precedenti capitulo sancitum est circa conventus reformandos, quod fratrum bona conventuum, qui de novo reformantur, volencium non reformatis manere, libere pertineant ad conventum, ad quem fuerunt incorporati vel ad conventum, in quo tandem decesserint, dummodo conventum nativum non habuerint; et hoc tam de bonis mobilibus quam immobilibus preter ea, que in dictis conventibus, quos dimiserint, hedificaverint.

Item. Declaramus, quod post execucionem actorum presencium provisio studiorum, cum extra capitulum sit facienda, quoad graduandos tan-

24) item — irritamus *om.* A.

tum reverendissimo magistro pertineat, cum de hiis prelatus maior providere habeat, ut dicitur in constitucionibus.

Item. Declaramus, subpriores in suo conventu tantum suum consuetum locum habere; et similiter bacallarios non precedere priores conventuales eciam aliorum conventuum sive in capitulis provincialibus sive in quibuscumque aliis locis; ipsos autem bacallarios ultra lectores ubique locum tenere debere.

Item. Declaramus, reverendos provinciales, cum eis secundum constituciones fiat reverencia uti magistro ordinis, tenere locum immediate post provincialem proprie provincie, cum eos in alienis provinciis commorari contigerit.

Item. Declaramus fratrem Michaelem Rostelli conventus Anicii provincie Provincie pertinere ad conventum dictum et non ad conventum Carpent[oraten]sem, ad quem reducimus per presentes; et fratrem Ludovicum Donendi presentatum ad conventum Arelatensem et non ad conventum Barchinonie, ad quem similiter reducimus.

Item. Declaramus omnes priores conventuales provincie Theutonie sub vicario conventuum degentes secundum acta capituli Cenomanensis ac litteras reverendissimi magistri ordinis a suis officiis absolutos et transgressores precepti excommunicatos et omnibus graciis ordinis privatos, eo quod reverendo patri provinciali provincie Theutonie contribuciones debitas non consignaverunt. Nolentes, quod ad dicta officia restitui possint neque a penis predictis absolvi, donec et quousque a noticia presencium infra mensem satisfecerint realiter et cum effectu: quod intelligimus maxime de contribucionibus debitis ante promulgacionem bulle.... Acceptaciones eorum: approbantes omnia et singula per reverendos provinciales a nobis deputatos circa huiusmodi peracta et ordinata. Volentes nullam eis in contrarium appellacionem posse suffragari; precipientes vicario et omnibus et singulis sibi subditis, ut nunciis et litteris credenciam adhibeant.

Item. Declaramus, vicarios conventuum provincialibus subiectorum, a quocumque sunt instituti, non posse uti presidencia sui vicariatus nisi de beneplacito suorum provincialium.

Item. Declaramus, fratrem Iohannem de Molelchio Venetum Bochern, Guillelmum Michaelis, Geraldum de Forlia provincie Tholosane, Franciscum seniorem graciis iubilariis uti posse.

Iste sunt assignaciones.

In studio Parisiensi assignamus ad legendum sentencias pro primo anno

2) dicitur] habetur P. — 7) tenere debere] tenebunt P. — 12) item — reducimus *om.* P. — 17) item — adhibeant *om.* A. — 31) vicarios] aliquorum *add.* A. — 34) item — Faucillon provincie Francie *om.* P.

in magnis scolis extraneis debitis fr. Iohannem de Ferraria (1). In secundis vero scolis pro eodem anno fr. Priamum Poligne. Ad legendum bibliam pro eodem anno nacioni Francie debito fr. Iohannem Earluc. Ad legendum sentencias pro secundo anno nacioni Pictavie debito fr. Stephanum Constantini. In parvis scolis pro eodem anno fr. Iacobum Michaelis. Ad legendum sentencias pro tercio anno in magnis scolis reverendo patri provinciali Francie committimus. Ad legendum in parvis scolis pro eodem anno fr. Giraldum Gibaldi. Ad legendum bibliam pro eodem annum fr. Giraldum Gibaldi. Ad legendum bibliam pro eodem anno nacioni Campanie debito committimus reverendo patri provinciali Francie. Ad legendum sentencias in magnis scolis pro quarto anno nacioni Francie debito fr. Iohannem Caranardi, cui substituimus fr. Iohannem Turri. Ad legendum sentencias in parvis scolis pro eodem anno fr. Martinum Herquelin. Ad legendum bibliam pro eodem anno nacioni Burgundie debito fr. Iohannem Caranardi, cui substituimus fr. Glaudium (!) Unguenodi. Pro studente honoris pro duobus annis fr. Henricum Brucht de provincia Saxonie, fr. Corradum Salm conventus Argentinensis, pro rata provincie Grecie fr. Hermanum Hora pro studente generali theologie.

In studio Bononiensi damus in regentem pro primo anno fr. Iohannem de Tabia (2) magistrum; pro secundo et tercio anno fr. Silvestrum de Prierio (3). In baccallarium pro primo anno fr. Dominicum de Mortario (4); pro secundo et tercio fr. Heustachium de Bononia, cui substituimus fr. Thomam de Suertino. In biblicum pro primo anno fr. Thomam de Suertino; pro secundo fr. Cornelium de Verona; pro tercio fr. Vincencium de Placencia (5). In magistrum studencium fr. Vincencium de Placencia; pro secundo fr. Hieronimum de Vigevano; pro tercio fr. Thomam de Calvisano (6), cui substituimus fr. Paulum de Vincencia. In studentem theologie pro rata provincie Hungarie assignamus fr. Clementem de Quinque ecclesiis, fr. Iodocum Pistoris et fr. Bartholomeum Embessor. Pro rata provincie Saxonie Petrum de Spellunca. Pro rata provincie Hispanie fr. Albertum de sancto Angelo. Pro rata superioris Lombardie fr. Matheum de Brixia, Paulum de Olemo. Pro rata provincie Boemie fr. Andream de Caicona et fr. Albertum. Pro rata provincie Polonie fr. Corradum Ciochiel. Pro rata provincie Theutonie fratres Seraphinum et Augustinum.

---

(1) De fr. Ioanne de Ferraria cf. SSOP. II, 31.
(2) De fr. Ioanne de Tabia cf. supra pag. 362.
(3) De fr. Silvestro de Prierio cf. l. c. pag. 402.
(4) De fr. Dominico de Mortario cf. l. c.
(5) De fr. Vincentio de Placentia cf. SSOP. II, 81.
(6) De fr. Thoma de Calvisano cf. l. c. pag. 26.

In studio Coloniensi damus in regentem fr. Theodoricum Susteren (1) magistrum. In magistrum studencium fr. Iacobum Ostregen. In bacallarium sentenciarum eundem. De aliis officialibus studii reverendus provincialis providebit et prior Coloniensis. In studentem theologie mittimus pro rata provincie Ungarie fratres Ladislaum de Quinque ecclesiis et Ludovicum Bernoia.

In studio Montispessulani provincie Provincie damus in regentem pro primo anno fr. Iohannem Radulphi (2) magistrum; pro secundo fr. Iohannem de Serro magistrum; pro tercio committimus predicto magistro Iohanni Radulphi. Ad legendum sentencias pro primo anno ordinarie idem magister Iohannis providebit; pro secundo vero et tercio annis providebit reverendus provincialis. In scolis universitatis ad legendum sentencias pro primo anno regens providebit; pro secundo vero et tercio annis reverendus provincialis providebit. In biblicum pro primo anno fr. Iacobum Staloin conventus Barcilonie et pro secundo anno in magistrum studencium, in tercio in bacallarium ordinarium dicti conventus.

In studio conventus Tholosani ad legendum sentencias ordinarie in scolis conventus pro primo anno assignamus fr. Petrum de . . . onimo, et in defectu eius providebit reverendus provincialis, cui substituimus fr. Petrum Mathei; pro secundo anno fr. Petrum Mathei, cui substituimus fr. Petrum Germani; pro tercio anno fr. Petrum Germani, cui substituimus fr. Bernardum Raynerii. Ad legendum bibliam in eisdem scolis pro primo anno assignamus fr. Petrum Mathei, cui substituimus fr. Petrum Germani; pro secundo fr. Petrum Germani, cui substituimus fr. Bernardum Raynerii; pro tercio anno fr. Bernardum Raynerii, cui substituimus fr. Anthonium Thomassi. In magistrum studencium pro primo anno fr. Iohannem Ynardi, cui substituims fr. Petrum Mathei; pro secundo anno fr. Petrum Mathei, cui substituimus fr. Petrum Germani; pro tercio anno fr. Petrum Germani, cui substituimus fr. Bernardum Raynerii. Ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii in scolis sancti Saturnini pro primo anno fr. Iohannem Tullianis; pro secundo et tercio reverendus provincialis et regens scolarum providebunt. Ad legendum sentencias pro forma et gradu magisterii in scolis sancti Stephani pro primo et secundo annis reverendus provincialis providebit, et pro tercio anno inquisitor Tholosanus providebit.

In studio Aquensi provincie Provincie damus in regentem pro primo

---

1 Susteren] Sistern A.

---

(1) De fr. Theodorico Susteren cf. supra pag. 402.
(2) De fr. Ioanne Radulphi cf. l. c. pag. 405.

anno fr. [Mundonen] Bandrici (1) magistrum; pro secundo anno fr. Petrum Saluam magistrum; pro tercio reverendus provincialis providebit. Ad legendum sentencias ordinarie fr. Stephanum Stuhorch.

In studio Avinionensi damus in regentem pro primo anno fr. Iacobum Raphaelis (2) magistrum; pro secundo fr. Petrum Boneti (3) magistrum; pro tercio fr. Syffredum Pium Iohannis magistrum. In scolis tam universitatis quam conventus pro primo et tercio annis reverendus provincialis providebit; pro secundo ad legendum sentencias fr. Guillelmum Faucilhon provincie Francie.

Iste sunt approbaciones.

In primis approbamus reformaciones per provinciales in suis provinciis factas, illis districte imponentes et precipientes, ut optimo deo opitulante conventus suarum provinciarum sollicite reforment. Opposiciones autem et appellaciones in oppositum factas aut in posterum faciendas cassamus, annullamus et revocamus ac nullius roboris vel momenti esse declaramus. Reformacionem vero alias per reverendum nostri ordinis magistrum in conventu Parisiensi factam et per provincialem Francie revocatam in omnibus approbamus maxime quoad clausuram, custodiam portarum, frequenciam tabernarum et ingressus mulierum, censuras quoque et penas contra transgressores inordinacionis predicti provincialis expressas volumus in suo robore permanere; mandantes et districte sepe dicto provinciali, priori et regenti prefati conventus Parisiensis precipientes, ut insolentes et infructuosos quoscumque a conventu expellant et ad suos conventus remittant, litteris aut privilegiis in contrarium facientibus [non obstantibus].

Item. Approbamus translacionem fr. Iohannis Charsi presentati de conventu Arelatensi ad conventum Draguiniani et fr. Anthonii Grassi de prefato conventu Arelatensi ad conventum regalem sancti Maximini.

Item. Approbamus communitatem et dormicionem noviciorum in conventu Tholosano sub articulis et libertatibus per provincialem approbatis seu ordinatis.

Item. Approbamus magisteria fr. Modesti Veneti, Eugenii de Veneciis (4), Dominici de Novaria, Mathei Graciani, Michaelis Rothel, Osvaldi de Quinque ecclesiis, Dominici Zerosani conventus Sethbragas(?), Petri de

19) custodiam *om.* P. — frequenciam — facientibus *om.* P. — 24) aut] autem A. — 26) item — fecerint *om.* P.

(1) De fr. Mundone Bandrici cf. l. c. pag. 406.
(2) De fr. Iacobo Raphaelis cf. l. c. pag. 367.
(3) De fr. Petro Boneti cf. l. c. pag. 406.
(4) De fr. Eugenio de Venetiis cf. SSOP. II, 28.

Parma, Iohannis Martini, Iacobi Tina de Utino (1), Francisci iunioris de Florencia, Megiomii de Liniaco, Bernardini de Tarvisio, Dominici de Inbebenti, Barnabe de Salerno, cui precipimus, ut ad suum conventum Neapolitanum redeat, Theofridi Garsim provincie Provincie, Iacobi de Suessa, Bernardini Armandi, Iohannis Giganeti et Hieronmi de Belluno (2).

Item. Approbamus lecturam fr. Guilhelmi et translacionem eius de conventu Montisrelaxi provincie Francie ad conventum Burdegalensem provincie Tholosane ratam et approbatam declaramus.

Item. Approbamus omnes iubilarios de novo in duobus capitulis generalibus precedentibus factos sine impedimento alicuius presidentis inferioris reverendissimo generali sub pena absolucionis a suis officiis, si oppositum fecerint.

Item. Approbamus divisionem terminorum factam in capitulo provinciali Hungarie.

Item. Approbamus translacionem fr. Iohannis de Lutzemburgo ad conventum Cesaraugustanum.

Item. Approbamus translacionem fr. Baltazar Molitoris conventus Lipsiensis provincie Saxonie et fr. Iohannis Streifer ad conventum Frisacensem.

Iste sunt acceptaciones.

In primis acceptamus locum sancti Petri de Pera et locum sancti Nicholai de Capha in Constantinopoli societatis terre peregrinancium pro conventibus ordinis.

Item. Acceptamus locum Unguarie provincie Regni.... pro conventu ordinis, cui reverendus provincialis providebit de priore.

Item. Acceptamus Wilnensem in Lituania in provincia Polonie et locum Currick eiusdem provincie et locum sancte Marie in Cepon sub eadem provincia pro locis ordinis. Ecclesiam sancti Nicholai in Cursula provincie Dalmacie.

Item. Acceptamus domum, quam dedit serenissimus rex Sicilie nostro ordini in Neapolitana civitate congregacionis Lombardie.

Item. Acceptamus ad gracias ordinis reverendissimos dominos fr. Petrum Palmar episcopum Bosnensem, fr. Michaelem de Insula (3) episc. Salubriensem, confessorem archiducis Austrie, fr. Vincencium de Mapcello (4)

13) Item — Frisacensem *om.* A. — 22) peregrinancium] peregrinacionis P. — 24) item — dumtaxat *om.* A. — 31) Lombardie] s. Catherine de Formello *add. in marg.* P.

(1) De fr. Iacobo Tina de Utino cf. supra pag. 410.
(2) De fr. Hieronymo de Belluno cf. l. c. pag. 405.
(3) De fr. Michaele de Insula cf. l. c. pag. 363.
(4) De fr. Vincentio de Mapcello (Mazuelo) cf. BO. IV, 205.

episcopum Ber(in)gensem, declarantes gracias ordinis se extendere ad bona spiritualia dumtaxat.

Iste sunt commissiones.

In primis committimus reverendissimo magistro ordinis omnem auctoritatem, facultatem nostram immutandi, addendi vel diminuendi, prout sua reverendissima paternitas iudicaverit expedire, et concedimus omnia et singula facere, que capitulum generale facere et instituere potest.

Item. Committimus reverendo patri provinciali provincie Polonie reformacionem et informacionem studii Gripsvaldensis.

Item. Committimus priori conventus sancti Severi provincie Tholosane, ut de patrum illius conventus consilio possit fr. Iohannem de Marcellio provincie Aragonie incorporare conventui suo, cuius translacionem approbamus. Hoc idem dicimus de fr. Blasio de Pino, quem transferimus a conventu Vimaranensi provincie Portugalie seu Lusitanie ad conventum Petracoricensem provincie Tholosane.

Item. Committimus cuilibet provinciali et sociis diffinitoribus huius presentis capituli, ut quilibet eorum possit facere tres iubilarios et tres apostatas absolvere et ad habitum ordinis acceptare et tres ad gracias ordinis restituere.

Iste sunt absoluciones.

In primis absolvimus omnes et singulos priores habentes quamcumque facultatem procuratam, qua non possint absolvi a suis provincialibus vel a suis vicariis generalibus, declarantes similes facultates esse irritas et inanes, cum non sint secundum modum et ritum constitucionum, quas debite servari cupimus.

Iste sunt penitencie.

In primis quia fr. Guido Cullieti de Magdalena conventus regalis sancti Maximini provincie Provincie magistro ordinis renuit obedire, provinciali quoque Francie et reverendissimo rebellis existens molestias plurimas per secularem iusticiam intulit, ideo omnem assignacionem ab eo usurpatam ad legendum Parisius cassamus ac subrepticie impetratam declaramus, annullamus et illum sentencie excommunicacionis et pene gravioris culpe subiacere denunciamus, precipientes priori Parisiensi districte sub pena absolucionis a suo officio, ut eum habitu ordinis privet, si de lectura predicta non destiterit. Si autem collum obediencie subdiderit priori Parisiensi, de consilio trium aut quatuor discretorum [a] penitencia sibi imposita eum absolvere valebit et non alias.

Item. Quia fr. Iacobus Iustinianus de Ianua multa et enormia scan-

8) item — Gripsvaldensis *om.* A. — 14) seu Lusitanie *om.* P. — 25) quas — cupimus *om.* P. — 27) Cullieti *om.* P. — 37) alias] aliter P.

dala in conventu Chiensi societatis terre peregrinancium perpetravit, ideo precipimus omnibus nostri ordinis presidentibus, quathenus eum carcerali custodie mancipent, ubicumque repertus fuerit.

Item. Cum fr. Matheus Ducalhin in partibus Dalmacie plurima scandala perpetraverit, unde ordo noster plurimum dedecoris acquisivit et infamie, presertim in absolucionibus ab excommunicacione sedi apostolice reservata et manifestam contumaciam et rebellionem, quam reverendo patri provinciali Dalmacie exhibuit et usque modo exhibet, quare eum tamquam excommunicatum et contumacem pene gravioris culpe et carceris subiicimus, tandem quousque reverendus provincialis visa sua penitudine aliter secum ordinaverit.

Item. Quia fr. Iohannes Rode provincie Saxonie conventus Berlinensis diversa et enormia commisit scandala, de quibus in capitulo provinciali convictus fuit, ideo eum perpetuis carceribus, ubicumque repertus fuerit, nos adiudicamus.

Item. Quia fratres Nicholaus Tisther et Hermannus Tisther conventus Erphordiensis et Octobrem (!) conventus Buczerensis (?) litteras reverendissimi magistri falsificaverunt, ideo eos perpetuis carceribus adiudicamus.

Item. Quia fratres Iohannes Tachonis, Iohannes Cheler, Albertus Bauzer, Hegardus Bemvinch, Nycholaus Seger et Georgius Selechoc diversa commiserunt furta et scandala, ideo eos perpetuis carceribus adiudicamus.

Item. Quia fr. Henricus Dremet conventus Gronincensis sub pretextu predicacionis rosarii hinc et inde discurrendo multas pecunias collegit, ideo eum ab officio predicacionis absolvimus et carceribus adiudicamus, ubicumque repertus fuerit; revocantes omnes et singulas litteras fratribus in eadem provincia Saxonie in favorem predicacionis rosarii datas; concedentes auctoritatem reverendo patri provinciali eiusdem provincie, ut si opus fuerit, de aliis provideat, et cum predictis dispensare valeat, secundum quod videbitur sue paternitati.

Item. Quia fr. Thomassinus de conventu Bozanensi provincie Theutonie (!) ob graves eius excessus et scandala, que ad ordinis confusionem maxime commisit, ab ipso nostro ordine perpetuo privamus et expellimus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

In primis pro sanctissimo domino nostro domino Alexandro papa sexto quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro reverendissimo protectore quilibet sacerdos unam missam.

---

1) Chiensi] Istiensi A. — 4) cum] quia P. — Ducalhin] Ducatinez P. — 5) perpetraverit] perpetravit P. — 10) penitudine] humilitate et penitencia P. — 12) item — carceribus adiudicamus *om.* P. — 23) item — expellimus *om.* A. — 32) *post* Theutonie *aliqua desunt.*

Item. Cum illustrissimus dux Hercules Ferrarie nimia benevolencia summoque amore hanc nostram religionem prosequatur, adeo quod parvo temporis intervallo in civitate sua Ferraria amplissimis donis noster ordo generale capitulum bis celebrare permisit potissimum hac temporis angustia, cum pro huiusmodi celebracione locus in Ytalia minime daretur, idcirco quilibet sacerdos pro eius dominio, et quam cicius fieri poterit, dicat tres missas, domumque Hestensem oracionibus fratrum et sororum plurimum commendatam facimus.

Item. Pro societate sancte crucis Ferrariensi, que magnifice capitulo providit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendissimo magistro ordinis et provincialibus et sociis provinciarum, diffinitoribus presentis capituli, quil. sacerdos unam miss.

Ista sunt suffragia pro mortuis.

In primis imponimus, quod in singulis provinciis semel anniversarium pro defunctis omnium de domo Hestensi celebretur.

Item. Pro anima reverendissimi patris et domini Mathei de Ursinis (1) cardinalis, qui perpetuam elemosinam nostro capitulo generali legavit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro animabus fratrum, sororum et benefactorum ad suffragia ordinis receptorum quilibet sacerdos unam missam.

Loco unius misse clerici septem psalmos penitenciales dicant; conversi autem centum pater noster dicere teneantur.

Sentencias iudicum approbamus et volumus eas in suo robore permanere et suum per omnia sortiri effectum.

Mandamus acta presentis capituli generalis per reverendos patres provinciales et socios transcribi et ad suas provincias sigillata sigillo ordinis transferri.

Volumus auctoritatem diffinitorum nostrorum permanere usque in diem hunc sequentem inclusive.

De loco et tempore sequentis capituli generalis reverendissimus magister ordinis providebit, qui suo tempore provincias certas faciet.

Explicíunt acta capituli generalis apud inclitam Ferrariam celebrati anno domini ·m°·cccc°·nonagesimo octavo in festo penthecostes.

---

7) Hestensem] eius P. — 13) mortuis] defunctis P. — 14) imponimus] iubemus P. — 15) Hestensi] Cisterciensi P. — 21) loco] autem *add.* P. — 23) volumus — inclusive *om.* P. — 31) qui] eciam *add.* P. — provincias certas faciet] hoc provinciis insinuare [debet] P. — 32) expliciunt — penthecostes] explicit P.

---

(1) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. supra pag. 421.



IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesgerens.

Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica.

Quorum monumentorum haec edita sunt:

Tomus primus: Fr. GERARDI DE FRACHETO, *Vitae Fratrum Ord. Praed.* ed. REICHERT 1896.
Tomus secundus fasc. I.: Fr. GALVAGNI DE LA FLAMMA, *Cronica Ordinis* ed. REICHERT 1897.
Tomus tertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1220 ad annum 1303 ed. REICHERT 1898.
Tomus quartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1304 ad 1378 ed. REICHERT 1899.
Tomus quintus: Litterae Encyclicae magistrorum generalium Ord. Praed. sec. XIII. et XIV. (appendix ad tomos III et IV) ed. REICHERT 1900.
Tomus sextus fasc. I. *Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta* edd. BALME-PABAN 1898 (fasc. II sub prelo).
Tomus octavus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1380 ad 1498 ed. REICHERT 1900.

Sequentur:

Tomus secundus fasc. II.: Fr. SEBASTIANI DE OLMEDA *Cronica Ordinis* ed. IUSTUS CUERVO (sub prelo).
Tomus septimus: Diversae Cronicae Ordinis (sub prelo).
Tomus nonus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1501 ad 1650 (sub prelo).
THOMAS CANTIPRATANUS, *Liber qui dicitur Bonum universale de apibus* rec. REICHERT (tom. unicus).
GUILLELMUS DE TOCCO, *Vita S. Thomae Aquinatis* una cum *Actis canonisationis integris* rec. WEHOFER (tom. unicus).
B. IOHANNES DOMINICI *Lucula noctis* rec. MERKLE (t. un.).
Fontes ad historiam reformationis Ordinis in Germania pertinentes ed. REICHERT (tom. ca. tres).
Chartularium, kalendarium monasterii Zoffingensis Constantiae in Badenia edd. REICHERT-WEHOFER (tom. unicus).
Vitae primarum sororum Colmariensium de Subtilia.
Chronik der Schwestern von Engelthal (tom. unicus).
Bullarium Ordinis Praedicatorum (*supplementum* continens acta ad provincias Germaniae pertinentia).

ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta «San Sebastiano», 10

STUTTGARDIAE-VINDOBONAE
APUD JOS. ROTH BIBLIOPOLAM
33, via dicta «Kanzleistrasse», 33

Bibliotheca Ascetica Ordinis Praedicatorum Antiqua.

Rmi P. fr. Andreae **Frühwirth** Mag. Gen. iussu edita.

Veneunt volumina in domo generalitia, 10 via S. Sebastiano, Romae.

Vol. I. (fasc. 1, 2) **Brockhausen** fr. Conradi, *Idea Novitii Religiosi,* Pars I, II. rec. fr. Thomas M. Wehofer, Romae 1898.

Vol. II. **Brockhausen,** *Idea,* P. III, IV. (sub prelo).

Vol. III. **Preissig** fr. Henrici, *Recollectio Spiritus,* rec. fr. Thomas M. Wehofer; Romae 1897.

Vol. IV. **Brockhausen,** *Cursus Mensilis (meditationum)* (sub prelo).

Balme-Lelaider, *Cartulaire ou Histoire Diplomatique de Saint Dominique. Avec illustrations documentaires,* Vol. I. 1893, Vol. II, 1897, venit Bureau de l'Année Dominicaine, 94 Rue du Bac, Paris.

Chapotin, *Études Historiques sur la Province Dominicaine de France.* Paris 1890 apud Victor Lecoffre.

Douais, *Acta Capitulorum Provincialium Ordinis Fratrum Praedicatorum. Première Province de Provence, Province Romaine, Province d'Espagne (1239-1302).* Toulouse 1894. Apud Édouard Privat, 45 Rue des Tourneurs.

Fages, *Histoire de Saint Vincent Ferrier, Apôtre de l'Europe.* Tom. I, II. 1893, venit Bureau de l'Année Dominicaine.

Humberti de Romanis, *Opera de Vita Regulari,* edita curante fr. I. I. Berthier. Vol. I. 1888, II. 1889. Romae in domo generalitia, 10 via S. Sebastiano.



